

~~Real. Nam. 14. Sib. 15.~~

~~6-6-25~~

5-7-27

# Q V I N T I

## C V R T I I

D E

*Rebus gestis Alexandri Magni Macedonũ regis  
 Historia luculentissima, multò maiore, quàm  
 hæctenus nunquam, vigilantia emendata: mi-  
 nimeq; poenitenda eorum, quæ antea desi-  
 derabantur, accessione locupletata:  
 ut clarius proxima cogno-  
 sces pagella.*



*Oct. 24. t. 1*

*& S. Augustin*

*e 2  
 c 4  
 + 5*

V I R T U T E D V C E,



C O N I T E F O R T V N A.

L V G D V N I, A P V D S E B.  
 G R Y P H I V M,

1556.

ACCESSERVNT NUNC RE-  
*cens ad ea quæ in superiori nostra editione contine-*  
*bantur opera Christophori Brunonis,*

*Duorum, qui in principio desiderabantur, librorum Sup-*  
*plementum compendiosum.*

*Ad Quintum librum, qui hætenus præsertim circumfereba-*  
*tur, finis adiecta.*

*Fragmentorum, quæ antehac in Decimo libro desidera-*  
*bantur, restitutio.*

*His nos in hac editione adiecimus,*

*Alexandri Magni vitam Ioanne Monacho autore, Angelo*  
*uero Cospo Bononiensi interprete.*

*Epistolam præterea Alexandri Magni ad Aristotelem*  
*præceptorem suum de rebus mirabilibus Indię.*

*Indice rerum memorabilium copiosissimo minime præter-*  
*misso.*

# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO D.

Alberto, comiti Palatino Rheni, utriusq; Ba-  
variae Duci, Domino suo clemen-  
tissimo, εὖ παράκλη.



**H**ISTORIAE cognitionem, Illustrissi-  
me Princeps, summas, easdemq; cuiuslibet  
status atq; dignitatis hominibus maximè  
necessarias, ad ferre commoditates, pleriq;  
doctissimorum uirorum memorie prodide-  
runt. Ea siquidem clarissimum atq; præcipuū oratoris opus  
existens, Cicerone teste, lux ueritatis, uita memoriae, nun-  
tia uetustatis, tēporum testis, Ciuilibus prudentiæ pars, huma-  
næ uitæ speculum atq; imago, adeoq; ad res præclarè ge-  
stas æmulandas, omnesq; turpes atq; flagitiosos actus deui-  
tandos, acerrimus stimulus, haud immerito mihi uidetur  
nuncupanda. Sine cuius cognitione, nec hi, quos Deus Opt.  
Max. suo beneficio mundi gubernaculis, atq; reipublicæ  
administrandæ fastigijs, admouerit: nec qui priuatis rebus,  
imaginaria quadam, atq; parua, ut dicitur, politia, præ-  
sunt, satis unquā suo fecerint officio. Nam quum nullum do-  
cendi genus efficacius sit eo, quod per plurima exempla,  
quibus maximè mouemur, nobis proponatur, certè quic-  
quid unquam siue publicis, siue priuatis, siue forensibus, si-  
ue domesticis in negotijs, tecū, uel cū alio, fuerit agendum,  
in eo historia, dux & magistra, necessario erit adhibenda.  
Ex præteritis enim atq; presentibus, quid deinceps arri-  
piendū, quid ue deuitandum sit colligimus: & qui sic colla-  
tis temporū atq; rerū omnium rationibus, maximè perspi-  
cit, quid in re quaq; commodissimū atq; uerissimū sit, quiq;

& acutissimè, & celerrimè potest, & uidere, & explicare rationè, is, Cicerone asserète, prudentissimus & sapientissimus ritè haberi solet. Cum autè Q. Curtij quoq; rerum gestarum Alexandri Magni historia, olim à me puero, & nunc denuo rursus lecta, mirè candida, tersa, ac luculenter pura, utroq; tēpore mihi uisa esset, dici non potest, quantum omnium studiosorum nomine doluerim, tantū autorē ἀκρίπαλον, id est sine capite, duobus nimirum primis libris, cum sine quinti, amputatis, & in decimo libro plurimis in locis mutilatum nobis superesse. Quæ res maximam huic autori abstulit gratiam. Animus enim perfectis, non mutilatis, delectatur rebus. Operæpretium igitur me facturū credidi, si, quod ego legens Curtium uotis omnibus expetuissem, hoc est, eorū quæ desiderantur πλάγωμα, siue supplementū quoddam cōpendiosum, omnium studiosorum utilitati exhiberem. Eo deniq; ex earundem rerum probatissimis scriptoribus, summa diligentia ac fide congesto, Illustrissime Princeps Alberte, duabus potissimum de causis, Illustrissime tuæ celsitudini, hanc meam opellam dedicare uolui. Primū, quia eadem, cum cæteris principe dignis uirtutibus, ex Imperatorij atq; Cæsarei stemmatis propagatione naturaliter insitis, tum his præcipuè à Deo Opt. Max. peculiariter donata, atq; celeberrime exornata est: quod cū ipsa studijs ardentissime incumbat, in ijsq; (ut principè maximè decet) singulariter excellat, seseq; ad exemplū præstantissimorum quorumlibet Heroū studiosissime componat, uere quoq; doctis (in quorū numero me uel nullū, uel minimum esse ingenue fateor) hoc solū apprime fāueat, uerum etiam eosdē, exemplo diuorum atq; sacratissimorum principum, prudentiæ ueterum non immemor, promoueat, studijsq; debita præmia decesse nō patiatur. Quo fit, ut quisq; sibi per studia atq; uirtutem,

tutem, aditū ad honorum fastigia quærat, & pleriq; certatim boni atq; eruditi esse contendant, cum uideant, non fastuosos, & falso eruditionis titulo gloriantes, sed doctos duntaxat, atq; prudēter bonos à principibus sapientissimis, ad quorum mores, nutum, atq; uoluntatem, cuncti se compo-  
nunt, in pretio haberi. Vnde quanta felicitas in subditos sit promanatura, uel cæco apparet. Adhæc tanta in uniuersos paternæ ditioni subiectos, clementia, (quæ uirtus principum peculiaris esse debet) ut cuncti, non sine faustissimo fidere, tantū hæredem laudatissimæ domui Bauricæ natum credant. Quæ uirtutes in uniuersum omnes, multijuga exemplorū propositione, mihi non tam excitandæ atq; confirmandæ, quàm ob ingenitam indolē, debita laude non defraudandæ, uidentur. Propterea hic Alexander, sapientissimus atq; supra humanā potentiā magnitudine animi præditus princeps, summæ felicitatis, infraclī in omni fortuna animu, omnigenæq; uirtutis splendidissimum exemplum, tibi principi ad res maximas nato, in primis conuenire uidebatur. Cui Alexandro, in utero matris cōcepto, deinde quoq; nato, uarijs omnibus, uniuersū terrarū orbis imperiū portendebatur. Puer, accerrimè literarū studijs incubuit. Exacta pueritia, sub Aristotele doctore, omnium philosophorū principe, multis annis creuit. Accepto imperio regē se terrarū omnium ac mundi appellari iussit. Statura corporis decora fuit, (ut refert Arrianus) laborū patientissimus, in agendo strenuus, animo ingenti, gloriæ studiosissimus, circa uoluptates corporis moderatus, rerum diuinarum atq; ceremoniarum cultor, consilio bonus, in coniectando solers. Ad hæc sapienter exercitus ducere, copias armare, acies instruere, milites & oratione excitare, & ubi opus esset, communicato periculo labantes confirmare, impigrè

omnia obire, præuenire hostium consilia, promissa seruare, pecuniam contemnere, liberalitate in suos uti. Si uerò quis aliquid uitij in eo reprehendendum putauerit, is si florentem adhuc ætatem, continuos prosperarum rerum successus, adultores (qui reges à uerò rectoq; distrabere conantur) considerauerit, æquior factus iudex, omnia illa uirtutum splendore obscurari atq; penitus deleri facile uidebit. Nullus enim antiquorum regum, unquam post delictum tanta ductus poenitentia fuit. Plurimi nanq; etiam si se deliquisse sciant, illud tamen tanquã rectè factum pertinaciter defendunt. Alexander autem quicquid unquam uitij ex calore iracundiæ perpetravit, post factum poenitenti animo ipse, ueluti maiestati suæ indecorum, detestatus est. Longas autem potationes non idcirco ab eo constitui solitas, Aristobulus scribit, quod esset uini auidus, (neq; enim multus erat in potu) sed multò magis ut amicos delectaret. Deorum originẽ sibi, multorum exemplo, assererat. Neq; mihi etiam sine diuino consilio, atq; singulari altissimi Dei prædestinatione, & genitus, & natus uidetur. Is enim maximè commendatur in sacrosancta Hieremiæ, & præcipue Danielis prophetia, ubi per hircum, arietem ferientẽ atq; proculcantem, manifestissimè nobis depingitur: cuiusq; summum & uniuersale in terris imperiũ, in primo Machabeorum libro non obscure describitur. Nã cum nullo unquam hoste, ut Iustinus ait, congressus est, quem non uicerit: nullam urbem obsedit, quam non expugnauerit: nullam gentem adiit, quam non debellauerit. Militesq; sui tantam de illo conceperant fiduciam, ut illo præsentẽ nullius hostis arma nec inermes timuerint. Tantum ad militum animos confirmandos ducis ualet præstantia. Victus denique est non uirtute hostili, sed insidijs suorum & fraude civili.

Altera

Alterâ dedicationis meæ causa, Illustrissime Princeps, hæc est. Quod nō dubitauerim, hanc Q. Curtij historiam, si sub felicissimo tui nominis auspicio, emendatior quàm antehac unquam (de rerum gestarum serie, in amputatorum supplemento, maxime loquor) in publicum prodiret, historiâ amatoribus, atq; studiosis omnibus, longe gratissimâ futuram: ipsumq; Curtium, tanti principis autoritate suffulcitur, cum posthac à capite, ac sine lectionis interruptione, legi possit, ab imperfectionis nota, magna ex parte vindicatum iri. Vt enim ad illius stylum hæc nostra fortasse non accedant, breuib; tamen, quæ de Alexandro ab autore dicta conijcimus, bona fidè exponunt. Porro quo tempore Quintus Curtius uixerit, non satis certum est, cum ne hæc quidem, quæ supersunt eius scriptoris, integra ad nos peruenierint. Certè Romanum fuisse, satis constat, quòd non solum styli ipsius tersissima puritas ad Romanum filium adamussim sit formata, uerumetiam ipse temporum Romani imperij, in quarto, octauo, & decimo libris, non obscure mentionem faciat: ut mihi non immerito mirum uideatur, nec à Quintiliano inter scriptores Romanos, propter phrasin uetustioribus simillimam, recenseri, nec à quocumque alio ueterū huius mentionem fieri. Verum utcumq; ea res sese habeat, cum (ut diximus) scriptor sit minime contemnendus, ego certè admittere nō potui, ut diutius ita truncis manibus studiosorū tereretur, sed modis omnibus curare uolui, ut quasi resarcitis ijs quæ desiderabantur, perpetua Curtij historia, non sine uberrimo fructu, mea quidem sententia, euolui posset. Quicquid itaq; bonarum literarum sectatores, iucunditatis atq; utilitatis ex hac Curtij (quantum ad ordinem historie attinet) restitutione ceperint, id omne, princeps atque Heros magnanime, Illustrissi-



me tuæ celsitudini, cui me meaq; omnia trado, atq; humil-  
limè commendo, acceptum referre debebunt. Optimè ua-  
le Princeps celeberrime, & hunc meum conatum, Illustris-  
sima tua fauente clementia, ἀπορτήσις χέρις, & obuijs  
(quod aiunt) ulnis, excipito. Quo Illustriss. T. C. me non  
solum ad omnia imperata diligentissimè perficienda, ue-  
rumetiam ad maiora in nostra etiam facultate scribenda,  
proculdubio prouocabit. Ex inlyto Monaco, VII. Ca-  
lend. Septembr. Anno à nato Christo, mundi saluatore,  
M. D. XLIIII.

I. T. C.

Ad omnia imperata facienda prom-  
ptissimus,

Christophorus Bruno, Iuris utriusq; Licen-  
tius, eiusdemq; ac bonarum literarum pro-  
fessor Monaci, in schola Poëtica:

AVTORES, TAM GRAECI, QVAM  
LATINI QVIBVS IN HOC OPE-  
re illustrando usi sumus.

Hieremias	Raphaël Volaterranus
Daniel	Otto Frisingensis
Machabeorum lib.	Erasmus
Plutarchus	Franciscus Irenicus
Arrianus	Strabo
Diodorus	Ptolemæus
Laërtius	Iustinus
Ioannes Monachus	Chronicon Nurëbergen.
Eusebius	Paulus Orosius
Aristobulus qui ab alijs citatur	Cicero
Nauclerus	Boccatius
Vrßpergensis	Ioannes Carion.

# S V P P L E M E N T I

IN Q. CVRTIVM, DE REBVS

ALEXANDRI MAGNI RE-

gis Macedonum, Liber

primus.



**P**HILIPPVS Macedo (qui pri-  
mus omnium regum eius gētis, Ma-  
cedoniae regnum, subacta tota Gre-  
cia, ad summam potentiam euexit)  
Amyntæ, uiri prudentissimi, omni-  
busq; imperatorijs uirtutibus in-  
structi, filius fuit. Is Amyntas, ex

Eurydice uxore tres filios susceperat, Alexandrum, Per-  
diccam, & Philippum Alexandri Magni patrem, atq; fi-  
liam Euryonem. Insiidijs autem Eurydices uxoris, quæ nu-  
ptias generi, mariti morte pacta, occidendum uirum, re-  
gnumq; adultero tradendum susceperat, oppressus fuisset,  
ni filia pellicatum matris, & sceleris consilia prodidisset.  
Post mortem Amyntæ, Alexander maior natu filius, regno  
potitus est. Qui inter initia regni, cogente sanè durissimo  
necessitatis telo, bellum ab Illyrijs pacta mercede, datoq;  
Philippo fratre obside, redemit. Interiecto quoq; tempore,  
per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis recon-  
ciliat. Quæ res Philippo ad maxima egregiæ indolis in-  
crementa profuit. Siquidē tota custodiendi pueri cura, Epa-  
minondæ, strenuissimo Thebanorum duci, atq; philosopho  
præstantissimo, hac conditione demandata est, ut cōmissum  
sibi puerum, diligenter seruaret, & summo studio in id  
iuxta incumberet, ut moribus principe dignis atque hone-

stis disciplinis quàm optimè imbueretur. Fouebat ea tempestate laudatissimus princeps, domi filio suo Epaminonda præceptorem Pythagoricum, sub quo Philippus multum profecit. Interea temporis, Alexander insidijs matris Eurydices adpetitus, occubiuit: cui tamen antea Amyntas, in scelere deprehensæ, propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdikkas, simili insidiarum fraude, relicto paruulo filio, decipitur. Sub idem tempus, Philippus commodum è custodia elapsus diu se non regem, sed tutorem pupilli egit. At ubi grauiora bella imminebant, serumq; auxilium in expectatione infantis erat, compulsus à populo, regnum Macedonicum male affectum, cum bellicis artibus, tum philosophiæ præceptis præmunitus, adprehendit, Anno c c c c. ab urbe condita, Olympiade c v. Circa prima itaque regni primordia, rerum infinita multitudine in diuersas trahente partes, finitimis undique in Macedoniam irruentibus populis, bellisq; ueluti conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diuersis locis, uno tempore confluentibus, rex Philippus cautius omnino agendum esse considerans, (omnibus enim par esse non poterat) alia interposita pactione composuit, alia redemit, facillimis aggressis, ut militum trepidos firmaret animos, & sibi hostium contemptum demeret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit, quibus per insidias uictis, metu grauioris belli, cum interficere posset, omnes incolumes, sine pretio dimisit: quæ res illi magnam & gratiam & auctoritatem conciliauit. Captis deinde Pæonibus, bellum in Illyrios transtulit: ibi multis hostium milibus caesis, Larissæam urbem nobilissimam cepit. Hinc Thessalos, non cupid

cupiditate prædæ, sed quòd exercitui suo robur Thessa-  
 lorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quàm  
 bellum metuentes, adoritur. Quibus ex improviso præ-  
 occupatis, atque in potestatem redactis, iungendo equi-  
 tum peditumq; fortissimas turmas & copias, inuictissimum  
 fecit exercitum. Quibus rebus feliciter gestis, Olympi-  
 da, Neoptolemi regis Molossorum filiam, uxorem duxit,  
 conciliante nuptias altore uirginis Arisba rege Molos-  
 sorum, qui sororem Olympiadis Troadam, in matrimo-  
 nium habebat: quæ causa illi exitij, malorum que omnium  
 fuit. Nam cum regni incrementa, affinitate Philippi se ac-  
 quisiturum sperat, proprio regno ab eodem priuatus, in  
 exilio consenuit. Post nuptias autem Philippus per quie-  
 tem uisus est, coniugis aluo insignem affixisse bullam, cu-  
 ius sculptura, quemadmodum is existimauerat, Leonis ha-  
 beret imaginem. Quod uates ita sunt interpretati. Ipsam  
 quidem esse grauidam, animosum quoque, & leonis natu-  
 ra præditum infantem parituram. Deinde cum Philippus  
 urbem Methonem expugnaret, iactu sagittæ dextrum  
 amisit oculum. Nihilominus tamen pacem deprecantibus  
 dedit, mitis que etiam aduersus uictos fuit. Pagas etiam  
 capiens, imperio suo adiecit. Triballorum quoque gen-  
 tem, & quicquid præterea terrarum in proximo erat, in-  
 uadens omnia, uno uelut impetu, deuicit. Debellatis fini-  
 timis, atque confirmato iam Macedoniae regno, cum do-  
 mum redisset, natus est ipsi Alexander filius ex Olympi-  
 da uxore, VII. Idus Aprilis, dicit Plutarchus: ab eo an-  
 tem qui illum in Latinum conuertit, scribitur circa Idus  
 Augusti, quod sanè cuius sit error, dubium est. Porro Phi-  
 lippus, ueluti è specula quadam, libertati omnium insidia-  
 tus, Græcorum ciuitates quæ dominandi libidine singule  
 imperare

imperare cogitauerant, omnes in suam redegit potestatem. Inferioribus enim contra superiores suadens certamina, omnibus ad inuicem callide incitatis, à Thebanis etiam (qui tamen antea eum tanquam hostem repellere conabantur) contra Lacedæmonios & Phocenses, qui templo Apollinis spoliato, milites conduxerant, necessitate urgente, dux electus oppressis sacrilegis, magnamq; inde apud omnes nationes gloriam adeptus, omnium ad ultimum efficitur dominus ac princeps, & uictos pariter atq; uictores seruitutem subire coëgit. Inde in Cappadociam traiciens, captis & occisis finitimis regibus, uniuersam prouinciam imperio Macedoniæ adiecit. Olyntho quoq; expugnata, Thraciam inuasit. Nam cum eum fratres duo Thraciæ reges, de terminis regni ambigentes, disceptationum suarum iudicem eligerent, Philippus ad iudicium uelut ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu uenit, & utrumque regno de quo disceptabant, spoliauit. Omnes sanè principes docens, concordiam maximum ad conseruanda imperia, atque principatus stabiliendos, aduinculum esse. Alexander autem factus annorum duodecim, rebus bellicis admodum delectari, & excelsæ indolis manifestissima proferre indicia, cœpit. Cumq; ex equalibus nonnulli ex eo percunctarentur, ad Olympicum nunquid stadium libens decertaret: (plurimum enim pedum celeritate pollebat) Libens equidem, inquit, si decertaturos mecum reges sim habiturus. Olim cum forte absente Philippo, legati à Persarum rege uenissent, eos cum hospitio, tum consuetudine captos, iucundissima sibi familiaritate coniunxit: admirantes quòd is nihil aut humile aut puerile sciscitaretur, sed aut uiarum longitudinem, aut superiorum itinerum modos perquirebat, multa super rege, qualis in ho-

stes esset, nunc super Persis, quæ vires, aut quæ esset potentia rogabat. Quas res admirati legati, latè diffusam Philippi grauitatem nihil præ huius pueri indole, & maiore quàm ætas pateretur animi magnitudine, duxerunt. Quoties à Philippo aut nobile quoddam captum oppidum, aut memorabili prælio par uictoria, nunciabatur, haud magnopere letabatur, cæterum ad suos aiebat æquales, Omnia ò pueri genitor occupabit, ita ut ne uobiscum grande ullum ac insigne facinus ostẽtare mihi sit reliquum. Non enim ipsum ulla illecebrarum, aut pecuniæ, sed solà uirtutis ac gloriæ cupido tenebat: quoq; maiores à patre facultates acciperet, eo se minora gerere posse existimabat. Quocirca crescente dominio gerendis præclaris rebus materiam magna ex parte exhaustum iri ratus, non opes, non deliciarum usus, uerum certamina & pugnas ardebat, & principatum unde sibi ob uirtutem gloriam, nominisq; immortalitatem (quæ spes nec Alexandrum, nec quenquam alium bonum, unquam sefellit) compararet, affectabat. Quamobrem ipsius cura compluribus (uti par erat) nutritoribus, pædagogis, ac præceptoribus est demandata. In primis tamen Aristoteli, ex cuius disciplina decem sermè annis informatus est. Eodem fere tempore Philippus Delphos misit, consulens de successore, responsumq; tale accepisse ferunt: Is denium tuo imperio, omniq; orbe potietur, quemcunque Bucephalus sessorem passus fuerit. Erat autem Bucephalus, equus forma spectabilis, atque ferocissimus, quem Philonicus Thessalus Philippo XIII. talentis emerat. Hunc diu Philippus sub claustris præferratis asseruari iussit, mansit tamen ita ferus, ut planè nullus eum ne tangere quidem ausus fuerit: quare factum est, ut eum Philippus remoueri atque abijci iusserit. Alexander

xander uerò cum forte adesset, qualem, inquit, isti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti nesciunt. Cum que mira arte, sine uerberibus, tractasset equum, tandem conscensum ad cursum admisisset, tum calcibus usus est, ac molliter flexis habenis, quum equum reduxisset, descendens caput exosculatus pater, emissis lacrymis, Aliud, inquit, ò fili tibi par regnum quere, quando te iam Macedonia non capit. Præsagijt uir prudens tam excelsæ indoli non suffecturam paternam ditionem. Post hæc Philippus toti Græciæ bellum inferre statuit, ad quod percommodum ratus, si Bizantium nobilem & maritimam urbem in potestatem redegisset: eandem sibi resistantem, obsidione cinxit, relicto domi ad regni curam filio Alexandro, tum xvi. annos nato. Hæc urbs à Pausania Spartanorum rege condita, à Constantino postmodum gloria opibusq; aucta atque renouata, & à nomine suo Constantinopolis dicta, circiter m c xl. annos sacratissimi Imperij sedes, totiusq; Orientis caput fuit. Nunc tamen (proh dolor) foediſsimæ atque impiſſimæ Turcarum gentis imperio subiacet. Sed (ut ad Philippum redeam) exhaustis in obsidione opibus, piraticam aggreditur, centumq; septuaginta nauium spolia rapuit, atq; militibus suis distribuit. Ne autem in unius urbis obsidione tantus exercitus teneretur, profectus cum fortissimis, multas Chersonesi urbes expugnauit. Filium deinde Alexandrum xviii. annos natum, uirtutis & promptitudinis in rebus agendis manifestissimæ, ut sub patris militia tyrocinijs rudimenta deponeret, ad se accersuit. Cum quo in Scythiam prædandi causa, more negotiantium, impensas belli alio bello refecturus, est profectus. Eaque expugnata uiginti millia puerorum ac sceminarum capta, pecoris magna uis, auri  
argenti

argentiq; nihil: x x. millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa sunt. Sed reuertenti à Scythia Philippo Triballi occurrunt, negantes se transitum duros, ni portionem accipiant prædæ. Hinc iurgium, mox & prælium, in quo ita in sæmore uulneratus est Philippus, ut per corpus eius equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, præda amissa est. Quamprimum ex uulnere conualuit, diu distumlatum bellum Atheniensibus infert. Cuius causa Thebani se iunxere, metuentes, ne uictis Atheniensibus, ueluti uicinum belli incendium, ad se transfiret. Inita societate inter ciuitates paulò antè infestissimas, legationibus totam fatigant Græciam, communem hostem communibus uiribus summouendum putantes. Quædam ciuitates motæ, Atheniensibus sese iungunt: quasdam autem belli metus ad Philippum traxit. In hac pugna Philippus Alexandrum filium alteri cornu præfecit. Vbi laudatissimi Herois uirtus clarissimè emicuit. Talem enim in eadem pugna se præstitit, ut non inferior patre, imò etiam nulli secundus extiterit: postea quoque, eam uictoriam sibi inuidia ac fraude patris præreptam fuisse conquestus sit. Commisso itaque apud Chæroneam prælio, etsi Athenienses numero militum longe præstarent, à Macedonibus tamen continuo ac diuturno bellandi usu exercitatissimis, uincuntur. Non autem immemores pristinae gloriæ cecidere. Hic dies uniuersæ Græciæ, & gloriæ dominationis, & uetustissimam libertatem finijt. Cæterum cum Philippus semper erga Alexandrum optimè affectus fuisset, tandem ex Cleopatra nouerca, Olympiadi superinducta, discordia orta est. Causam adhibuit Attalus auunculus Cleopatræ, qui cum in nuptijs Macedones exhortaretur, deos orarent, ut ad regni success



successione, legitimus ex Philippo & Cleopatra crearetur haeres, excandescens Alexander, O' improbum caput, inquit, nos uerò tibi nothi uidemur? simulq; in eum coniecit poculum. Insurgens inde pater contra Alexandrum, stricto eum petijt ferro, ictus tamen, inclinatione corporis ab Alexandro euitatus, inanis excidit. Tunc Alexander conuictijs patrem adortus, receptam Olympiadem matrem secum in Epirum duxit. Eum tamen Philippus, exprobrata sibi à Demarato Corinthio hac eorum discordia, paulò post multis precibus egrè reuocauit. Inter hæc nuptias Cleopatræ filia, & Alexandri fratris Olympiadis, quem pulso Arisba, regem Epiri fecerat, Philippus celebrat. Dies erat pro magnificentia duorum regum, & collocantis filiam, & uxorem ducentis, insignis. Sed nec ludorum celebritas decrat, ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus medius inter duos Alexandros, filium generumq; procederet, Pausanias nobilis ex Macedonibus nemini suspectus adolescens, occupatum angustijs Philippum, in transitu obtruncauit, diemq; letitiae destinatum, foedum luctu funeris fecit. Hic puer stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat, qui eum etiam postea, tanquam uile scortum, libidini conuiuiarum subiecit. De quo Philippo conquestus, qui multum quidem ex rei turpitudine est motus, sed Attalo ob magnam familiaritatem, & quod eius opera tunc uteretur, ut noceret induci haud potuit. Erat etiam Attalus ob Cleopatram, proximè à rege in matrimonium acceptam, arctissima ei iunctus cognatione, copiarumq; in Asiam præmissarum dux fuerat delectus, uir in rebus bellicis egregiæ fortitudinis. Idcirco rex potius ut Pausaniæ animum iustissimo dolore incensum mulceret, est conatus: datisq; ei magnis muneribus, loco

insuper

insuper honestiori, inter corporis sui custodes, honorauit. Sed ille implacabili ardens ira, decreuit, non tantum de eo qui sibi iniuriam intulisset, sed & qui ulcisci illatam nolisset, poenam sumere, quod & fecit, ut diximus. Is Philippus etsi omni serè tempore negotijs belli, uictorijsq; affectus exercitusq; esset, à liberali tamen Musa, & à studijs humanitatis nunquam absuit, quin lepide comiterq; pleraq; & dixerit & fecerit. Vixit annos XLVII. Regnavit XXV. fuitq; uigesimus tertius Macedonum rex.

## S V P P L E M E N T I

IN Q. CVRTIVM DE REBVS

GESTIS ALEX. MAGNI

LIBER II.

**A**NNO ab urbe condita CCCCXXVI. mortuo Philippo, Alexander filius, (ob magnitudinem rerum gestarum Magnus appellatus) uigesimo ætatis anno, plenum inuidia, & grauissimis odijs ac periculis undique circum septem assequutus est imperium. Nec enim uicinæ barbarorum prouinciæ & nationes, modeste seruitutem ferebant, auita uerò dominia patriosq; principatus affectabant. Primo omnium autem quotquot paternæ cædis causa fuerant, grauibus affecit pœnis. Deinde sepulturæ eiusdem, maximam impendit curam. Principatum uerò multò melius quàm quisquam existimasset confirmauit. Iuuenis enim, atque ob ætatem adhuc teneram, ab aliquibus contemptui habitus, uulgus ipsum humanissimis sermonibus ita in sui beneuolentiam traxit, ut & spem maximam omnibus faceret, & metum simul atque contemptum sui

uniuersis demeret. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum præter militiæ uacationem dedit. Quo facto tantum sibi conciliauit fauorem, ut alij corpus non uirtutem, alij uerò nomen regis solum immutatum esse dicerent. Et quum initio tumultus undique contra ipsum exorti essent, audacia, & animi constantia incredibili, citissimè motus omnes compressit. Profectus deinde Corinthum in Peloponnesum, generali totius Græciæ concilio, contra Persas, (quorum erat eo tempore summum in terris imperiũ, quicq; Græciam sæpe multis cladibus affligerant) Imperator est designatus. Siquidem pater eius idem bellum inchoauerat, morte tamen præuentus, consummare haud potuerat. In huius belli apparatu nunciatur Athenienses, Thebanos, & Lacedæmonios, ab eo ad Persas descisse, autoremq; eius defectiois, magno auri pondere à Persis corruptum, Demosthenem oratorem extitisse. Quibus motibus occursurus, tanta celeritate, instructo paratoq; exercitu Græciam oppressit, ut quem uenire non senserant, uidere se uix crederent. In transitu hortatus Thessalos, beneficiorum patris commonefaciens, commemorata etiam ueteri cognatione, quæ sibi cum illis per Herculem esset, sermonibusq; humanissimis, ut magna à se sperarent persuasos induxit, ut communi totius Thessaliæ decreto, uniuersæ gentis dux crearetur, omniaq; uectigalia atque redditus suos ei traderent. Tanta autem in iuuenè celeritas, tamq; efficax in rebus agendis diligentia, omnes qui per contemptum ab eo erant alienati, perterrefecit. Athenienses itaq; sicuti primi defecerunt, ita etiam primi pœnitere ceperunt, pueritiam Alexandri antea spretam, supra uirtutem ueterum ducum extollentes: missisq; legatis bellum deprecabantur. Quibus auditis & grauius increpatis, bel-

lum remisit. In ea legatione Demosthenem quoque fuisse  
 ferunt, sed cum cæteris ad Alexandrum non peruenit: si-  
 quidem à Cytherone Athenas reuersus est: siue cõtreptus  
 timore, quod frequenter Philippum cum suis uituperas-  
 set, atque in sua rep. contra Macedones uerba fecisset: siue  
 ut regi Persarum (à quo magnam auri summam, ut Mace-  
 donum causam oppugnaret, accepisse dicebatur) omnem  
 de se suspicionem eximeret. Hoc quoque ipsi ab Aeschi-  
 ne exprobratum aiunt, qui in oratione quadam de acceptis  
 muneribus ita dicit: In præsens sanè regium aurum sum-  
 ptus huic suppeditat. Sed hoc deinceps haud sufficiet, cum  
 nullæ opes moribus improbis satis esse possint. Alexander  
 sedatis motibus qui in Græcia erant exorti, antequam in  
 Asiam cum exercitu traiceret, per Thraciam iter faciens,  
 Pæones, Triballos, Illyrios, aliosq; finitimos petere, quos  
 nouis rebus studere acceperat. Nam quod regno eius tum  
 finitimi tum maximè infidi erant, minimè negligendos  
 censuit, præsertim cum in tam longinquas à domo regio-  
 nes cum exercitu profecturus esset. Ex Amphipoli igi-  
 tur cum copijs profectus in Thraces, (quos Græci *αυτο-  
 νόμους* uocant, nullius imperio, nullius legibus obnoxios)  
 decem dierum itinere ad Hemum montem peruenit: ibi  
 circa aditus angustias, negotiatorum atque Thracum in-  
 gentem manum collectam, obuiam habuit. Infederant mon-  
 tis uerticem, curribusq; pro uallo, quæ patebat aditus, ute-  
 bantur, inde pugnaturi, si necessitas postulasset. Sin au-  
 tem ex aduersa montis parte peterentur, currus in Alexā-  
 dri Phalangem magno impetu erant inmissuri, quod & fe-  
 cerunt. Sed milites ab Alexandro edocti, alij laxatis ordini-  
 bus, alij corpora humi strata scutis contegentes, pericu-  
 lum omne deuitarunt. Hinc alacriores facti, ingenti clamore

in hostes feruntur, eosq; uno impetu superauere. Alexander protinus superato iugo, per Hæmum montem in Triballos ad flumen Lygium profectus est. Syrmus Triballorum rex erat: is cognito Alexandri aduentu, uxores ac pueros, cæteramq; imbellem turbam, ad Danubium in insulam Peucam confestim misit, quo & Thraces Triballis finitimi se receperant. Nec multò post, & ipse Syrmus eodem fugit. Reliqua Triballorum multitudo ad alteram insulam se contulerat, eo in loco, ex quo pridie Alexander mouerat sitam. Alexander Triballos repetens, hostes ex syluis in aperta prouocatos, superat, 111. millibus cæsis, reliquis in fugam coniectis, paucisq; captis. Post hanc pugnam Alexander ad Danubium profectus, ad insulam in quam Triballi ac Thraces confugerant, contendit: cui tamen barbari summa ui restiterunt, quod erat ijs facilius, quoniam & naues pauca erant, & insulae maxima pars prærupta ac præceps, & fluminis cursus, utpote in angusto conclusus, concitator. Quapropter Alexander abductis inde nauibus, traiecto noctu flumine. M C C C C C. equitibus, peditibusq; 1111. millibus, Getas (quorum circiter 1111. millia equitum, peditumq; supra x. millia prohibendi animo, in aduersa ripa armatos uiderat) petijt. Quo factò territi Getæ, ne primum quidem impetum sustinere. Res prorsus ingentis audaciæ ijs uisa, Alexandrum tam facîle unica nocte Danubium, omnium Europæ fluminum amplissimum atq; altissimum, nullo ponte iniecto, transisse. Confugientibus igitur illis in sylvarum solitudines atque latebras, Rex urbem uacuam nactus cepit, solo que æquauit. Huc loci uenere legati à cæteris Danubij accolis, à Syrmo Triballorum rege, atq; Germanis ad Alexandrum, ut cum eo amicitia fœdus inirent. Quibus in fidem

& amicitiam acceptis, e Germanis quæsiuit, Quid nam in  
 humanis rebus præ cæteris extimescerent, ratus nominis  
 sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam uideri.  
 Illi hoc se in primis timere responderunt, ne forte in sese  
 aliquando cælum rueret. Alexander nihil motus responsi  
 superbia, tantum adiecit: Germanos superbos esse, eosq;  
 domum remisit. Inde in Agrianos & Pæonas iter perse-  
 quenti nunciatum est, Clitum Bardylei ab eo defecisse, Glau-  
 ciamq; Taulantiæ regem, se ei coniunxisse. Erant &  
 qui nunciarent fore, ut Autariatæ ipsum in itinere adori-  
 rentur. Proinde negotio de Autariatis Lagaro Agriano-  
 rum regi (qui patri Philippo admodum charus Alexandro  
 quoq; perquam familiaris erat) commisso, in super Cyna so-  
 rore ubi Pellam reuertisset, ultro in uxorem promissa, ipse  
 ad Clitum Glauciamq; magna celeritate cõtendit, eosq; ua-  
 rio prælio uicit atq; prostrauit. Hæc agenti superueniunt  
 nuntij, multos in Græcia res novas moliri, ciuitatesq; non  
 paucas, & in primis Thebanos ab eo defecisse. Qua re mo-  
 tus Alexander, in Macedoniam est reuersus, ut factum in  
 Græcia tumultum reprimeret. Thebanis autem conantibus  
 præsidium Macedonicum ex arce Thebana (quam Cadmeã  
 uocant) depellere, ipsamq; præ altis fossis, & munitissimo  
 uallo cinctam, obsidentibus, rex cum exercitu magnis iti-  
 neribus profectus, non longè à Thebis, cum omnibus co-  
 pijs consedit. itaq; Thebanorum duces, quoniam Alexan-  
 der præter spem omnium aduenerat, ac incertũ erat, utrum  
 auxilia sicuti à nonnullis ciuitatibus petierant, illis aduen-  
 tura essent, de belli ratione consultare cœperunt. Omnibus  
 tandem consentiẽtibus belli discrimẽ subire constituerũt. Sed  
 rex suos cõtinuit, illis spatium pœnitendi mutãdiq; consilij  
 exhibẽs, nullo pacto futurũ existimãs, ut una ciuitas contra

tantas copias esset pugnatura. Habebat enim ultra  $x\ x\ x$ .  
 millia peditum, equitūq; ad 111. millia omnes laborib. bel-  
 licis exercitatissimos. Quorum uirtuti confisus, Persicum  
 bellum susceperat. Sanè si Thebani temporum fortunæ ce-  
 dentes, pacem petiissent, rex eorum postulatis libentissi-  
 mè annuisset: nam tum mirifico studio ad Persas in Asiam  
 transire properabat. Cum tamen armis non precibus uti  
 decreuissent, Alexander Macedones ad prælium instru-  
 xit. A Thebanis, contra hostes numero longe superiores,  
 summis uiribus atq; impigrè decertatum est. Interim Mace-  
 donibus qui custodiæ Cadmæ arcis præerant, à tergo in-  
 uadentibus, circumuenti Thebani, in ipsa pugna cecide-  
 runt. Capta ciuitas & direpta, urbs euersa funditus est. Qua  
 quidem in re ea spes, idq; consilium extitit Alexandro, ut  
 huiusmodi casu ac terrore compressi Græci, quietius dum  
 abesset agerent: cum alioqui incusantibus Thebanos so-  
 cijs Phocensibus ac Plateensibus, morem gerere gratifi-  
 cariq; concupisceret. Plures sex millibus oppetiere, Tri-  
 ginta millia uendidit, ex quibus quadringentorum qua-  
 draginta talentorum argenti summam coëgit. Pindari u-  
 tis tamen stirpi pepercit, summum in doctos fauorem ma-  
 nifestissimo exemplo testatus. Non omittendum uidetur  
 quod hic rerum gestarum Alexandri scriptores de Timo-  
 clea referunt. Quam insignem Thebanam sceminam, Thra-  
 cius quidam dux constuprasse dicitur. Quumq; post id eam  
 posceret pecuniam, solus à muliere ad puteum seductus  
 fuisse, in quo diceret pretiosiora rerum suarum occultari.  
 Ducem igitur super os putei, spectandi causa inclinatum,  
 illa in profundum detrusit, superneq; iniectis lapidibus,  
 oppressit. Ob id facinus adductam ad se in uinculis scemi-  
 nam, percunctatus est Alexander, quæ nam esset? Ea im-  
 per

perterrita, Theagenis, inquit, sum soror, qui contra Philippum electus imperator fortiter pugnans pro Græciæ libertate, occubuit. Magnanimitatem mulieris & constantiam admiratus rex, liberam eam cum filijs dimisit. Athenienses Thebarum casum moleste & cum summa commiseratione ferentes, refugijs profugorum portas contra regis edictum aperuerunt. Quam rem ita grauitè tulit Alexander, ut secunda legatione, denuo bellum deprecantibus, ita demum renuserit, ut oratores & duces quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur. Eò tamen demum res est deducta, ut retentis oratoribus, duces in exilium agerentur, qui confestim ad Darium regem Persarum profecti sunt. Cæterum coactis in Isthmo Græcis, & expeditionem in Persas decernentibus, Alexandro plures philosophi & oratores occurrunt, præter Diogenem Cynicum, qui tum uersabatur Corinthi, & Alexandrum paruifaciens, in Cranio habitabat. miratus Alexander, ad eum in sole apricantem uenit, rogans re'ne cuiusquam indigeat: at ille, Vt paulum, inquit, à sole discedat. Quo responso Alexandrum adeo delectatum ferunt, ut ad suos conuersus dixerit, se Diogenem esse uelle, si Alexander non esset. Rebus Græciæ compositis, aduentante uere, ipsaq; Græciæ cum Macedonia, Antipatro, (cui ex amicis maxime fidebat) commissis, ad Hellepontum cum exercitu profectus, in Asiam incredibili ardore mentis accensus, traiecit. Cum autem delati in continentem essent, primus Alexander iaculum uelut in hostilem terram coniecit, armatusq; de nauì, tripudianti similis, prosiluit, atq; ita hostias cædit, precatus, ne se regem illæ terræ inuitæ accipiant. Inde hostem petens, milites à populatione Asiæ prohibuit, parcendū suis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ posses-



furi uenerint. In exercitu eius fuerunt  $\text{xxxii}$ . millia pedatum, non supra  $\text{v}$ . millia equitū, nauisq;  $\text{clxxx}$ . Hac tam parua manu uniuersum terrarum orbem, utrum sit admirabilis quòd uicerit, an quòd aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum non iuuenes robustos, nec primo ætatis flore, sed ueteranos, plerosq; etiam emeritæ militiæ, qui cum patre patruisq; militauerant, elegit: ut non tam milites, quàm militiæ magistròs, electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneret, senatum te alicuius priscæ Reipub. uidere diceret. Itaque nemo in prælio fugam, sed omnes uictoriam animis conceperant, nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Alexander deinde passim peractis sacrificijs maximè apud Troiam ad Achillis tumulum, in quem genus suum ex materna linea referebat, eum ob id felicissimum adolescentem prædicans, quòd suarum uirtutum præconem Homerum inuenisset, ad interiora Darij regis Persarum contendit. Hunc Darium Arsani filium, qui decimus quartus à Cyro, totius orientis monarchiam tenebat, hac potissimum causa aggredi uoluit, quòd à patre suo Philippo tributum requisierat. Darius autem missa prius superba, contumeliosa, atque imperiosissima legatione, se regem regum, ac consanguineum deorum, Alexandrum uerò famulum suum appellans, satrapis suis id negotij dederat, ut insipientem istum Philippi adolescentulum, (sic enim eum per contemptum appellabat) uerberibus puerilibus grauiter cæsum, indutumq; post ueste purpurea, sibi uinctum traderent, nauibusque unà cum nautis submersis, omnes eius milites ad ulteriora maris rubri transportarent, Qui mandatum regis exequi uolentes, ad Granicum amnem

(qui

(qui Troadem à Propontide disternat) magna manu, uidelicet uiginti millibus peditum, & pari equitum numero, confluxerunt, & præruptam fluminis ripam, quæ Alexandro omnino traiciendum erat, obsiderunt. Alexander etiam si præsentissimum periculum instare cerne- ret: quippe cum suis ex inferiore atque instabili loco (erat enim cum udus, tum coeno lubricus) utpote ex flumine aduersus hostes in eminenti ripa stantes, dimicandum foret, suæ tamen fortunæ ac uirtuti, simulq; fortitudini militum confusus, annum traiecit. Et primo quidem non spernenda difficultate pressus, tandem tamen hostes, non tam sua arte, quàm uirtute Macedonum, uicit atque prostrauit. In eo conflictu Persarum uiginti millia peditum, & c c l. equites, cæsa, Macedonum non plus x x x i i i i. interfecti sunt. Ea pugna magnum ad res Alexandri momentum peperit. Sardis enim maritimi barbarorum imperij propugnaculum, cœpit, ijsq; ac cæteris Lydiæ populis, ut legibus uterentur suis concessit. Ephesum, quarto post pugnam die elapso inde præ metu præsidio, occupauit. Interim ex Magnesia & Trallibus legati uenerunt, urbium suarum deditionem pollicentes, ad quas in fidem recipiendas Parmenionem cum duobus millibus & quingentis mercenarijs, pariq; Macedonum numero, equitibus ex amicis circiter c c. misit. Miletum deinde sibi resistentem oppugnauit: eaque potitus uersus Halicarnasum iter ingreditur. Omnibus interiacentibus oppidis primo impetu captis, Halicarnasum urbem permunitam obsedit, eamq; non sine labore expugnatam, solo æquauit. Ingressus Cariam, Ada Cariæ regina, (quæ regno ab Orontobate, quem Darius miserat, pulsa, nihil quicquam in tota Caria, præter Alinda, eius prouinciæ urbem munitissimam, tenebat) Alexan-

dro obuiam profecta, Alindis urbe tradita, eam in filium adoptauit. Rex nec liberalitatem sceminae, nec filij nomen aspernatus urbem eidem custodiendam reliquit. Tota deinde Caria subacta, memor accepti beneficij eam uniuersam Adæ imperio subiecit. Hinc in Lyciam & Pamphyliam tendit, eo consilio, ut ora maritima ad Phoeniciam & Ciliciam usque in potestatem redacta, nauales copias hostibus inutiles redderet. Deuictisq; rebellibus Pisidiæ populis, summo mentis ardore, nec minori alacritate, aduersus Darium, quem cum multis militantium millibus aduentare constabat, contendens, Phrygiam, per quam exercitus traducendus erat, est ingressus.

# QVINTI CVR-

TII DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

REGIS MACE-

donum,

LIBER TERTIVS.



INTER hæc Alexander ad conducendum ex Pelopōneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lyciæ Pamphyliæq; rebus compositis, ad urbem Celenas exercitum admouit. Media illa tempestate mœnia interstuebant Marsia amnis, fabulosis Græcorum carminibus inclytus, fons eius ex summo montis cacumine excurrens, in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus, circumiectos rigat campos, liquidus, & suas duntaxat

*Quantaxat undas trahens. Itaq; color eius placido mari simili-  
 lis, locum poëtarum mēdacio fecit: quippe traditū est, nym-  
 phas amore amnis retentas, illa rupe considerare. Cæterum  
 quā diu intra muros fluit, nomen suum retinet. At cum  
 extra munimenta se euoluit, maiore vi ac mole agentem  
 undas, Lycum appellant. Alexander quidem urbem desti-  
 tutam à suis intrat: arcem uerò, in quam cōfugerant, oppu-  
 gnare adorsus, caduceatorem prēmisit, qui denuntiaret, Ni  
 se dederent, ipsos ultima esse passuros. Illi caduceatorem in  
 turrim, & situ & opere multum editam perductum, quāta  
 esset altitudo, intueri iubent, ac nunciare Alexandro, non  
 eadem ipsum & incolas æstimatione munimenta metiri: se  
 scire inexpugnabiles esse: ad ultimum pro fide morituros.  
 Cæterū ut circumsideri arcē, & omnia sibi in dies arctiora  
 uiderunt esse: sexaginta dierum inducias pacti, ut nisi intra  
 eos auxilium Darius ipse misisset, dederent urbem: postea-  
 quam nihil inde præsidiij mittebatur ad præsitutam diem,  
 permisere se regi. Superueniunt deinde legati Athenien-  
 sium, petentes, ut capti apud Granicum amnem redderētur  
 sibi. Ille non hos modo, sed etiam cæteros Græcos restitui  
 suis, iustum respondit, finito Persico bello. Cæterū Alexan-  
 dro imminens de Dario cura erat, quem nondum Euphratē  
 superasse cognouerat. Undique omnes copias contrahit, to-  
 tis uiribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat, per  
 quam ducebatur exercitus, pluribus uicis quā urbibus fre-  
 quens. Tunc habebat quondā nobilem Midæ ciuitatē regiā,  
 Gordiū nomen est urbi, quā Sāgarius amnis interfluit, pari  
 interuallo Pontico & Cilicio mari distantē. Inter hæc ma-  
 ria angustissimum Asiæ spaciū esse cōperimus, utroq; in ar-  
 etas fauces compellente terrām. Quæ quia continenti adhæ-  
 ret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insule  
 præbet*

præbet : ac, nisi tenue discrimen obijceret, maria, quæ nunc diuidit, committeret. Alexander, urbe in suam ditionem redacta, Iouis templum intrat : uehiculum, quo Gordium Midæ patrem uectum esse constabat, aspexit, cultu haud sanè à uilioribus uulgatisq; usu abhorrens. Notabile erat uinculum adstrictum compluribus nodis in semetipso implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiæ positurum qui inexplicabile uinculum soluisset : cupido incesit animo sortis eius implendæ. Circa regem erat & Phrygum turba, & Macedonum, illa explicatione suspensa, hæc sollicita ex temeraria regis fiducia : quippe series uinculorum erat ita adstricta, ut unde nexus inciperet, quo'ue se conderet, nec ratione, nec usu percipi posset. Soluere aggresso iniecerat curam, ne in omen uerteretur irritam inceptum. Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis : Nihil, inquit, interest quomodo soluantur : gladioq; ruptis omnibus loris, oraculi sortem uel elusit, uel impleuit. Cum deinde Darium regem, ubicunque esset, occupare statuisset : ut à tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Helleponti, copijs autem præficit Egelochum, Lesbium, & Chium, Coumq; præfidijs hostium liberaturos. His talenta ad belli usum quingenta attributa. Ad Antipatrum, & eos qui Græcas urbes tuebantur, sexcenta missa. Ex fœdere naues socijs imperat, quæ Helleponto præsiderent. Non dum enim Memnonem uita excessisse cognouerat, in quem omnes intenderat curas, satis gnarus, cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moueretur. Iamq; ad urbem Ancyram uentum erat, ubi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat : huic iuncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt : omnisq; hæc regio paruit regi,  
datisq;

datisq; obsidibus, tributum (quod ne Persis quidem tulif-  
 sent) pendere ne cogerentur, impetrauerunt. Calas huic  
 regioni præpositus est: ipse, assumptis qui ex Macedonia  
 nuper aduenerant, Cappadociam petijt. At Darius, nun-  
 ciata Memnonis morte, haud secus quàm par erat, motus,  
 omiſſa omni alia spe, statuit ipse decernere. quippe quæ  
 per duces suos acta erant, cuncta dannabat: ratus, pluri-  
 bus curam, omnibus abſuiſſe fortunam. Igitur caſtris ad  
 Babyloniam poſitis, quo maiore animo capeſſeret bellum,  
 uniuerſas vires in conſpectum dedit: & circumdato uallo,  
 quod decem millium armatorum multitudinem caperet,  
 Xerxis exemplo numerum copiarum iniijt. Orto ſole, ad  
 noctem agmina, ſicut deſcripta erant, intrauere uallum:  
 inde occupauerant emiſſa Meſopotamiæ campos: equitum  
 peditumq; propemodum innumerabilis turba maiorem  
 quàm pro numero ſpeciem gerens. Perſarum erant cen-  
 tum millia, in queis eques triginta millia implebat. Medi  
 decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant.  
 Barcanorum equitum duo millia fuere, armati bipennibus  
 leuibusq; ſcutis cetræ maximè ſpeciem reddentibus: pedi-  
 tum decem millia pari armatura ſequebantur. Armenij  
 quadraginta millia miſerant peditum, additis ſeptem mil-  
 libus equitum. Hyrcani egregij, ut inter illas gentes, ſex  
 millia expleuerant equis militatura. Dernices quadragin-  
 ta millia peditum armati erant: pluribus hærebant ferro  
 præfixæ hæſtæ: quidam lignum igne durauerant. hos quo-  
 que duo millia equitum ex eadem gente comitata ſunt. A  
 Caſpio mari octo millium pedeſter exercitus uenerat: du-  
 centi equites. Cum his erant ignobiles Aſiæ gentes, duo  
 millia peditum, equitum duplicem parauerant numerum.  
 His copijs triginta millia Græcorum mercede conductæ,  
 egregiæ

egregiæ iuuentutis , adiecta sunt. nam Bactrianos & Sogdianos & Indos , cæterosq; rubri maris accolæ , ignota etiam ipsi gentium nomina , festinatio prohibebat acciri. Nec quicquam illi minus , quàm multitudo militum , defuit. cuius uniuersæ aspectu admodum letus , purpuratis solita uanitate spem eius instantibus , conuersus ad Charidemum Atheniensem belli peritum , & ob exilium infestum Alexandro , ( quippe Athenis , iubente eo , fuerat expulsus ) percunctari cœpit , Satis'ne ei uideretur instructus ad obterendum hostem. At ille & suæ sortis , & regiæ superbiæ oblitus : Verùm , inquit , & tu forsân audire nolis , & ego , nisi nunc dixero , aliàs nequaquam confitebor. hic tanti apparatus exercitus , hæc tot gentium , & totius orientis excita sedibus suis moles , finitimis potest esse terribilis , nitet purpura , aurum'que fulget armis & opulentia : quantam qui oculis non subiecerint , animis concipere non possent. Sed Macedonum acies torua sanè & inculta , clypeis hastis'que immobiles cuneos , & conserta robora uirorum teget. Ipsi phalangem uocant peditum stabile agmen . Vir uiro , armis arma conserta sunt : ad nutum monentis intenti , sequi signa , ordines seruare didicere. Quod imperatur , omnes exaudiunt : obsistere , circuire , discurrere , in cornu mutare pugnam , non duces magis quàm milites callent. Et ne auri argenti'que studio teneri putes , adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est. cibus , quem occupant , satiat. tempora somni arctiora quàm noctis sunt. Iam Thessali equites , & Acarnanes , Aetoli'que inuicta bello manus , fundis credo & hastis igne duratis repellentur : pari robore opus est. In illa terra , quæ hos genuit , auxilia querenda sunt. Argentum istud atque aurum ad conducendum

dam militem mitte. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerunque fortuna corrumpere. Itaque ueritatis impatiens, hospitem ac supplicem, tunc maximè utilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus: Habeo, inquit, paratum mortis meæ ultorem. expetet poenas mei consilij sprete ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere. Hæc uociferantem, quibus erat imperatum, iugulant. Sera deinde pœnitentia subit regem: ac uera dixisse confessus, cum sepeliri iussit. Thymodes erat Mentoris filius impiger iuuenis, cui præceptum est à rege, ut omnes peregrinos milites, in quibus plurimum habebat spei, à Farnabazo acciperet, opera eorum usus in bello. Ipsi Farnabazo tradidit imperium, quòd ante Memnoni dederat. Anxium de instantibus curis, agebant etiam per somnum species imminentium rerum: siue illas ægritudo, siue diuinitas animi præsagientis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei uisa sunt: & paulò post Alexandrum adduci ad ipsum in eo uestis habitu, quo ipse fuisset, cum appellatus esset rex. Equo deinde per Babyloniam uectum, subito cum ipso equo oculis esse subductum. Ad hæc uates uaria interpretatione curam distraxerunt: alij letum id regi somnium esse dicebant, quòd castra hostium arsisent, quòd Alexandrum, deposita regia ueste, in Persico & uulgari habitu productum esse uidisset. Quidam non ita augurabantur: quippe illustra Mædonum castra uisa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere: quoniam



in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus est rex. Vetera quoque omnia, ut fert sollicitudo, reuocauerant. Recensebant enim, Darium principio imperij uaginam acinacis Persicam, iussisse mutari in eam formã, qua Græci uterentur: protinusq; Chaldaeos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Cæterum ipse & uatum responso, quod edebatur in uulgus, & specie, quæ per somnium oblata erat, admodum letus, castra ad Euphratem mouere iubet. Patrio more Persarum traditum est, orto sole demum procedere die iam illustri, signum è tabernaculo regis buccina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi sacrum & æternum uocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi proximi, patrium carmen canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque iuuenes sequebantur puniceis amiculis uelati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Ioui sacratum albentes uehebant equi. hos eximie magnitudinis equus, quem solis appellabant, sequebatur. Aureæ uirgæ, & albæ uestes regentes equos adornabant. Haud procul erant uehicula decem, multo auro argentoq; cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium, uarijs armis & moribus. Proximi ibant, quos Perse immortales uocant, ad decem millia: cultus opulentie barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi uestem auro distinctam habebant, manicatasq; tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo interuallo, quos cognatos regis appellant, decem & quinque millia hominum: hæc uerò turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quàm decoris armis conspicua erat: dori-

phori

phori uocabantur. Proximum his agmen soliti uestem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipse eminebat uehebatur. Vtrumque currus latus deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant: distinguebant interuenientes gemmae iugum: ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum in alterum belligerebat effigiem. inter hæc auream aquilam pinnas extendenti similem sacrauerant. Cultus regis, inter omnia, luxuria notabatur. purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, uelut rostris inter se corruerent, adornabant: & Zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat, cui ex gemma erat uagina. Cydarim Persæ capitis uocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat. Currum decem milia hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas, spicula auro præfixa gestabant. Dextra leuamque regem ducēti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Interuallo deinde unius stadij, matrem Darij Sysigambim currus uehebat, & in alio erat coniunx. Turba scænarum reginas comitantium equis uectabatur. Quindecim inde, quas armamaxas appellant, sequebantur. In his erant liberi regis, & qui educabant eos, spadonumque grex, haud sanè illis gentibus uilis. Tum regie pellices trecentæ sexaginta uehebantur, & ipse regali cultu ornatuque: post quas pecuniam regis sexcenti muli, & trecenti cameli uehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum, amicorumque coniuges huic agmini proxime, lixarumque & calonum greges uehebantur. Vltimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogere agmen leuiter armati. Contra, si quis

aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat, equis uir-  
 risq; non aurea, non discolori ueste, sed ferro atq; ere ful-  
 gentibus. Agmen & stare paratum, & sequi: nec turba,  
 nec sarcinis prægrauæ: intentum ad ducis non signum mo-  
 do, sed etiam nutum. Et castris locus, & exercitui com-  
 meatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non  
 defuit. Darius tantæ multitudinis rex, loci, in quo pugna-  
 uit, angustijs redactus est ad paucitatem, quam in hoste  
 contempserat. Interea Alexander, Abistamene Cappado-  
 ciæ præposito, Ciliciam petens cum omnibus copijs regio-  
 nem, quæ castra Cyri appellant, peruenerat. Statua illic  
 habuerat Cyrus, cum aduersus Cræsum in Lydiam exer-  
 citum duceret. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab adi-  
 tu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolæ dicunt artissimas  
 fauces, munimenta quæ manu ponimus naturali situ ini-  
 tante. Igitur Arsanes, qui Ciliciæ præerat, reputans quid  
 in initio belli Memnon suasisset: quondam salubre consi-  
 lium, sero exsequi statuit: igne ferroq; Ciliciam uastat, ut  
 hosti solitudinem faciat: quicquid usui esse potest, corrup-  
 pit, sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relictu-  
 rus. Sed longè utilius fuit, angustias aditus, qui Ciliciam  
 aperit, ualido occupare præsidio, iugumq; opportune iti-  
 neri imminens obtinere, unde inultus subeuntem prohi-  
 bere, aut opprimere hostem potuisset. Tunc paucis, qui  
 callibus præsiderent, relictis, retrò ipse concessit popula-  
 tor terræ, quam à populationibus uedicare debuerat. Ergo  
 qui relictæ erant, proditos se rati, ne aspectum quidem ho-  
 stis sustinere uoluerunt, quum uel pauciores locum obti-  
 nere potuissent. Nãq; perpetuo iugo montis asperi ac præ-  
 rupti Cilicia includitur: quod quum à mari surgat, ue-  
 lut sinus quodam flexu quæ curuatum rursus altero cornu in  
 diuer

diuersum litus excurrit. Per hoc dorsum, quâ maximè introrsum mari cedit, asperi tres aditus, & per angustis sunt: quorum uno Cilicia intranda est, campestris eadem, quâ uergit ad mare, planiciem eius crebris distinguuntibus riuis. Pyramus & Cydnus inclyti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens, puro solo excipitur. Nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alucum turbent. Itaque incorruptus, idem que frigidissimus quippe multa riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare euadit. Multa in ea regione monumenta uulgata carminibus uetustas excederat. Monstrabantur urbium sedes Lyrnessi & Cebesti: specus quoque & Corycium nemus, ubi crocum gignitur, cæteraq; in quibus nihil præter famam durauerat. Alexander fauces iugi, quæ Pylæ appellantur, intrauit: contemplatus locorum situs, non aliâs magis dicitur admiratus esse felicitatem suam: obrui potuisse uel saxis consitebatur, si fuissent qui subeuntes propellerent. Iter uix quaternos capiebat armatos. Dorsum montis imminebat uix, non angustæ modo, sed plerunq; præruptæ, crebris oberrantibus riuis, qui ex radicibus montium manant. Thracas tamen leuiter armatos præcedere iusserat, scrutariq; calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupauerat iugum: intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos inire, sed prælium. Hoc modo agmen peruenit ad urbem Tarson, cui tum maximè Persæ subijciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis inuaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu præmisso, posteaquam Barbaros aduentu suorum fugatos esse cognouit, urbem à se conseruatam intrat. mediam Cyd-

nus annis, de quo paulò antè dictum est, interfluit: & tunc æstas erat, cuius calor non aliam magis quàm Cili-  
 ciæ oram uapore solis accendit, & diei seruidissimum tem-  
 pus cœperat. puluere ac sudore simul persusum regem in-  
 uitaui liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret.  
 Itaque, ueste deposita, in conspectu agminis (decorum quo-  
 que futurum ratus, si ostendisset suis, leui ac parabili cul-  
 tu corporis se esse contentum) descendit in flumen, uix' que  
 ingressi subito horrore artus rigere cœperunt: pallor de-  
 inde suffusus est, & totum propemodum corpus uitalis  
 calor reliquit, expiranti similem, ministri manu exci-  
 piant, nec satis compotem mentis, in tabernaculum dese-  
 runt. Ingens sollicitudo, & penè iam luctus, in castris  
 erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursu' que re-  
 rum, omnis ætatis ac memoria clarissimum regem non in  
 acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua  
 corpus ereptum esse & extinctum: instare Darium, victo-  
 rem, antequam uidisset hostem. Sibi easdem terras, quas  
 uictores peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos, aut  
 hostes populos: per uastas solitudines, etiam si nemo in-  
 sequi uelit, cunctes, fame atq; inopia debellari posse. Quem  
 signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro  
 succedere? iam ut ad Hellepontum fuga penetrarent: clas-  
 sem, qua transeant, quem preparaturum? Rursus in ipsum  
 regem misericordia uersa, illum florem iuuentæ, illam vim  
 animi, eundem regem & commilitonem diuelli à se &  
 abripi, immemores sui querebantur. Inter hæc liberius  
 meare spiritus cœperat, alleuabat rex oculos, & pau-  
 latim redeunte animo, circumstantes amicos agnouerat:  
 laxataq; uis morbi ad hoc solum uidebatur, quia magni-  
 tudinem mali sentiebat: animum autem ægritudo corpo-  
 ris

ris urgebat, quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Vincitum ergo se tradi, & tantam uictoriam eripi sibi è manibus, obscurá que & ignobili morte in tabernaculo extingui se, querebatur. admissisq; amicis pariter & medicis: In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi uideor: & qui ultro intuli bellum, iam prouocor. Darius ergo cum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequiquam, si mihi arbitrio mihi curari licet. Lenta remedia & segnes medicos non expetunt tempora mea. Vel mori strenuè, quàm tardè conualescere, mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est: sciant, me non tam mortis, quàm belli remedium querere. Ingentem omnibus incusserat curam tam præceps temeritas eius. Ergo pro se quisque precari coepere, ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium. Inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem eius etiam à latere ipsius pecunia sollicitaret hostis: quippe Darius, mille talenta interfectori Alexandri daturum se, pronunciari iusserat. Itaque ne ausurum quidem quenquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter nouitatem posset esse suspectū. Erat inter nobiles medicos è Macedonia regem secutus Philippus natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alunnum eximia charitate diligebat. Is non præceps se, sed strenuum remedium afferre, tantam que uim morbi potione medicata leuaturum esse promisit. Nulli promissum eius placebat, præter ipsum cuius periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quàm moram, perpeti potebat. Arma & acies in oculis erant:

& uictoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tātum antē  
 signa stare potuisset : id ipsum quòd post diem tertium me-  
 dicamētum sumpturus esset ( ita enim medicus prædixerat )  
 ægrè ferens. Inter hæc à Parmenione fidissimo purpura-  
 torum literas accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem  
 suam Philippo committeret : nulle talentis à Dario, & spe  
 nuptiarum sororis eius esse corruptum. Ingentem animo  
 solitudinem literæ incusserant, & quicquid in utranque  
 partem aut metus, aut spes subiecerat, secreta æstimatio-  
 ne pensabat. Bibere perseuerem? ut si uenenum datum fue-  
 rit, ne immerito quidem quicquid acciderit, euenisse ui-  
 deatur? Damnem'ne medici fidem? in tabernaculo me op-  
 primi patiar? Atqui satius est, alieno me mori scelere, quam  
 metu meo. Diu animo in diuersa uersato, nulli, quid scri-  
 ptum esset, enunciat, epistolamq; sigillo anuli sui impres-  
 sam, puluino, cui incumbebat, subiecit. Inter has cogita-  
 tiones biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies.  
 Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intra-  
 uit. Quo uiso, Alexander, leuato corpore in cubitum, epi-  
 stolam à Parmenione missam sinistra manu tenens, acce-  
 pit poculum, & hausit interritus : tum epistolam Philip-  
 pum legere iubet, nec à uultu legentis mouit oculos, ratus  
 aliquas conscientie notas in ipso ore posse deprehendere.  
 Ille, epistola perlecta, plus indignationis quàm pauoris  
 ostendit : proiectisq; amiculo & literis ante lectum, Rex,  
 inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit : sed  
 nunc uerò arbitror, sacro & uenerabiliore trahitur. Cri-  
 men paricidij, quod mihi obiectum est, tua salus diluet. Scr-  
 uatus à me, uitam mihi dederis, oro quæsoq; : amissoq; me-  
 tu, patere medicamentum concipi uenis. Laxa paulisper ani-  
 mum, quem solitudine intempestiua amici sanè fideles,

sed

sed moleste seduli turbant. Non securum modo hæc vox, sed etiam letum regem ac plenum bonæ spei fecit. Itaque si dii, inquit, Philippe tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio projecto uoluisses. Sed certio rem, quàm exper tus es, ne optasses quidem. Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: & nunc credo te non minus pro tua fide, quàm pro mea salute esse sollicitum. Hæc locutus dextram Philippo offert. Cæterum tanta uis medicaminis fuit, ut quæ secuta sunt, criminationem Parmenionis adiuuerint. Interclusus spiritus arcte meabat, nec Philippus quicquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admouit, ille torpentem, nunc tibi, nunc uini odore excitauit. Atque ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris sororumq; , modo tantæ uictoriæ appropinquantis admonere non destitit. Vt uerò medicamentum se diffudit in uenas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primò animus uigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperauit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum uenit: nec auidius ipsum regem, quàm Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque dextram eius amplexi, grates habebant uelut præsentî Deo. Namque haud facile dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos uenerationem, quantum huius quoque regis uel admirationi dediti fuerint, uel charitate flagrauerint. Iam primum nihil nisi diuina ope aggredi uidebatur. Nam quum præsto esset ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat: ætas quoque uix tantis matura rebus, sed abundè sufficiens, omnia etiam eius opera honestabat: & quæ leuiora haberi solent, plerunq; in re militari gratiora uulgo sunt, exercitatio corporis inter ipsos, cultus habi-



tusq; paululum à priuato abhorrens, *militaris uigor* : queis ille uel ingenij dotibus , uel animi artibus , ut pariter charus ac uenerandus esset , effecerat. At Darius , nuncio de aduersa ualetudine eius accepto , celeritate , quanta poterat tam graue agmen , ad Euphratem contendit : iunctoq; eo pontibus , quinq; tamen diebus traiecit exercitum , Cili-  
ciam occupare festinans. Iamq; Alexander uiribus corporis receptis , ad urbem Solos peruenerat : cuius potitus , ducentis talentis nomine multæ exactis , arci præsidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscepta per ludum atq; ocium reddens , ostendit , quanta fiducia barbaros sperneret : Aesculapio & Minervæ ludos celebrauit. Spectanti nuncius letus affertur Alicarnasso , Persas acie à suis esse superatos. Myndios quoque & Caunios , & pleraque tractus eius suæ factæ ditionis. Igitur edito spectaculo ludicro , castrisq; motis , & Pyramo ante ponte iuncto , ad urbem Mallon peruenit : inde ad eò alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit , quem præmiserat ad explorandum iter saltus , per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat. Atque ille angustijs eius occupatis , & præsidio modico relicto , Isson quoq; desertam à barbaris ceperat. Inde progressus , deturbatis , qui interiora montium obsidebant , prædijs cuncta firmanit : occupatoq; itinere , sicut paulò ante dictum est , idem & author & nuncius uenit. Isson inde rex copias admouit : ubi consilio habito , utrum ne ultra progrediendum foret , an ibi opperendi essent milites noui , quos ex Macedonia aduentare constabat : Parmenio non alium locum prælio aptiorem esse censebat , quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares , quum angustie multitudinem non caperent : planiciem ipsis camposque esse uitandos , ubi  
cir

circuiri, ubi ancipiti acie opprimi possent. timere, ne non uirtute hostium, sed lassitudine sua uincerentur. Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilij accepta est. Itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit. Erat in exercitu regis Sisenes Perses, quondam à prætore Aegypti missus ad Philippum, donis'que & omni honore cultus, exilium patria sede mutauerat: secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cuius signum haud sanè notum erat, tradidit. Nabarzanes prætor Darij miserat eam, hortabatur'que Sisenem: ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet: magno id ei apud regem honori fore. Has literas Sisenes, utpote innoxius, ad Alexandrum sæpe deferre tentauit: sed quum tot curis, apparatus'que belli regem uideret urgeri, aptius subinde tempus expectans, suspicionem initi scelesti consilij præbuit: namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri peruenerat, lectam'que eam, ignoti anuli sigillo impresso, Siseni dari iusserat, ad æstimandam fidem Barbari. qui quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam uisus est suppressisse: & in agmine à Cretensisibus haud dubie iussu regis occisus est. Iam'que Græci milites, quos Thymodes à Farnabazo acceperat, præcipua spes & propemodum unica, ad Darium peruenerant. Hi magnopere suadebant, ut retrò abiret, spaciososq; Mesopotamiæ campos repeteret. Si id consilium damnaret, at ille diuideret saltem copias innumerabiles, neis sub unum fortunæ ictum totas uires regni cadere pateretur. Minus hoc consilium regi, quàm purpuratis eius displicebat: ancipitem fidem & mercede uenalem proditionem imminere, &

diuidi non ob aliud copias uelle, quàm ut ipsi in diuersa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro. nihil tutius esse, quàm circumdatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non inultæ perfidiæ futuros. At Darius, ut erat sanctus & mitis, se uerò tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem suos milites iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem stolidam consilium capite lucre debere. Defuturos eos, qui suaderent, si suasisse periculum esset. Denique, ipsos quotidie ad se uocari in consilium, uariasque sententias dicere, nec tamen melioris fidei haberi qui prudentius suaserint. Itaque Græcis nunciari iubet, ipsum quidem beneuolentiæ illorum gratias agere: ceterum, si retrò ire pergat, haud dubiè regnum hostibus traditurum. Fama bella stare: & eum, qui recedat, fugere credi. Trahendi uerò belli insulsam esse rationem. Tantæ enim multitudini, utique quum iam hyemis instaret, in regione uasta, & inuicem à suis atque hoste uexata, non suffectura alimentane diuidi quidem copias posse seruato more maiorum, qui uniuersas uires semper discrimini bellorum obtulerint. Et hercule terribilem antea regem, & absentia sua ad uanam fiduciam elatum, posteaquam aduentare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium serarum, quæ, strepitu prætereuntium audito, sylvarum latebris se occuluerunt. Iam etiam ualitudinis simulatione frustrari suos milites: sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. In illo specu, in quem pauidi recessissent, oppressurum esse cunctantes. hæc magnificentius iactata, quàm uerius. Ceterum pecunia omni, rebusque preciosissimis Damascum Syriæ cum modico

modico præsidio militum missis, reliquas copias in Cili-  
ciam duxit, insequentibus more patrio agmen coniuge &  
matre: uirgines quoque cum paruo filio comitabantur pa-  
trem. Fortè eadem nocte & Alexander ad Fauces, qui-  
bus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem Amanic-  
as pylas uocant, peruenit. Nec dubitauere Persæ, quin,  
Ippo relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam  
etiam saucij quidam & inualidi, qui agmen non poterant  
persequi, excepti erant. Quos omnes, instinctu purpura-  
torum barbara feritate saucientium, præcis adustisq; ma-  
nibus circumduci, ut copias suas noscerent: satiq; omni-  
bus spectatis, nunciare, quæ uidissent, regi suo iussit. Mo-  
tis ergo castris, superat Pyramum amnem, in tergis, ut  
credebat, fugientium hæsurus. At illi, quorum amputaue-  
rat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium,  
quàm maximo cursu posset, sequi nunciantes. Vix fides  
habebatur. Itaque speculatores in maritimas regiones  
præmissos explorare iubet, ipse ne adesset, an præfecto-  
rum aliquis speicem tribuisset uniuersi uenientis exer-  
citus. Sed cum speculatores reuerterentur, procul in-  
gens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis  
collucere cœperunt, omniaque uelut continenti incendio  
ardere uisa, cum incondita multitudo, maximè propter  
iumenta, laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari su-  
os castra iusserat, letus, quod omni expetiuerat uoto,  
in illis potissimum angustijs decernendum esse. Cæterum,  
ut solet fieri cum ultimi discriminis tempus aduentat, in  
solicitudinem uersa fiducia est. Illam ipsam fortunam,  
qua aspirante res tam prosperè gesserat, uerebatur. nec  
iniuria. Ex his, quæ tribuisset sibi, quàm mutabilis  
esset, reputabat. unam superesse noctem, quæ tanti discrimi-

minis moraretur euentum. Rursus occurrebant maiora  
 periculis præmia: & , sicut dubium esset an uinceret, ita  
 illud utique certum esse, honestè & cum magna laude  
 moriturum. Itaque corpora milites curare iussit, ac de-  
 inde tertia uigilia instructos & armatos esse. Ipse in iu-  
 gum editi montis ascendit, multisque collucentibus fa-  
 cibus, patrio more sacrificium Dijs præsidibus loci fe-  
 cit. Iamque tertium, sicut præceptum erat, signum tuba  
 miles acceperat, itineri simul paratus & prælio: stre-  
 nueq; iussi procedere, oriente luce peruenerunt ad angu-  
 stias, quas occupare decreuerant. Darium triginta inde  
 stadia abesse, præmissi indicabant. tunc consistere agmen  
 iubet, armisq; ipse sumptis, aciem ordinabat. Dario ad-  
 uentum hostium pauidi agrestes nunciauerunt, uix cre-  
 denti, occurrere etiam, quos ut fugientes sequebatur. Er-  
 go non mediocris omnium animos formido incesserat:  
 quippe itineri, quam prælio aptiores erant, raptimq; ar-  
 ma capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium, suosque  
 ad arma uocantium, maiorem metum incussit. Alij in iu-  
 gum montis euaserant, ut hostium agmen inde prospice-  
 rent: equos plerique frenabant: discors exercitus, nec ad  
 unum intentus imperium, uario tumultu cuncta turbaue-  
 rat. Darius initio montis iugum cum parte copiarum oc-  
 cupare statuit, & à fronte & à tergo circuiturus hostem:  
 à mari quoque, quo dexterum eius cornu tegebatur, alios  
 obiecturus, ut undique urgeret: præter hæc uiginti millia  
 præmissa cum sagittariorum manu, Pyramum amnem, qui  
 duo agmina intersluebat, transire, & obijcere sese Mac-  
 donum copijs iusserat. Si id præstare non possent: retroce-  
 dere in montes, & occultè circuire ultimos hostium. Cæ-  
 terum destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna  
 discuss

discussit : quippe alij præ metu imperium exsequi non audebant, alij frustra exsequebantur: quia, ubi partes labant, summa turbatur. Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu dexterum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorumq; uiginti ferme millibus. In eodem Thymodes erat, Græcis peditibus mercede conductis triginta millibus præpositus. hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicæ phalangi acies. In Leuo cornu Aristomedes Thessalus uiginti millia Barbarorum peditum habebat, in subsidijs pugnacissimas locauerat gentes. Ipsum regem in eodem cornu dimicaturum, tria millia delectorum equitum assueta corporis custodiæ, & pedestris acies quadraginta millia sequebantur. Hyrcani deinde Mediq; equites. his proximi cæterarum gentium equites dextera Leuaq; dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia iaculatorum funditorumq; antecedeabant. Quicquid in illis angustijs adiri poterat, impleuerunt copiae: cornua que hinc à iugo, illinc à mari stabant: uxorem matremq; regis, & aliarum foeminarum gregem in medium agmen acceperant. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas ualidius erat, in fronte constituit. Dexterum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur. huic proximi stabant Cœnos & Perdiccas, & Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, sui quisque agminis duces. In Leuo, quod ad mare pertinebat, Craterus & Parmenio erant: sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab utroque cornu locati: dexterum Macedones Thessalis adiunctis, Leuum Peloponnenses tuebantur. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittarijs admixtis. Thraces quoque & Cretenses ante agmen ibant, & ipsi leuiter armati. At his, qui præmissi à Derio iugum montis insederant,

rant, Agrianos opposuit ex Græcia nuper aduectos. Par-  
 mentioni autem præceperat, ut quantum posset, agmen ad  
 mare extenderet, quo longius abesset montibus, quos oc-  
 cupauerant Barbari. At illi neque obstare uenientibus, nec  
 circuire prætergressos ausi, funditorum maximè aspectu  
 profugerant territi. Ea'que res tutum Alexandro agminis  
 latus, quod ne supernè incessetur timuerat, præstitit. tri-  
 ginta & duo armatorum ordines ibant: neque enim latus  
 extendi aciem patiebantur angustie. Paulatim deinde se  
 laxare sinus mōtium, & maius spacium aperire cœperant,  
 ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed  
 etiam à lateribus circumfundi posset equitatus. Iam in con-  
 spectu, sed extra teli iactum utraque acies erat, cum prio-  
 res Persæ inconditum & truce[m] sustulere clamorem. Red-  
 ditur & à Macedonibus maior, exercitus impar numero,  
 sed iugis mōtium uastisq; saltibus repercussus: quippe sem-  
 per circumiccta nemora petræq; quantamcunque accepe-  
 re, uocem multiplicato sono referunt. Alexander ante pri-  
 ma signa ibat, identidem manu suos inhibens, re suspensi  
 acrius ob nimiam festinationem concitato spiritu capesse-  
 rent bellum. Cumq; agmen obequitaret, uaria oratione, ut  
 cuiusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Mace-  
 dones tot bellorum in Europa uictores, ad subigendam  
 Asiam atque ultima Orientis, non ipsius magis, quam suo  
 ductu profecti, inueterate uirtutis admonebantur. illos  
 terrarum orbis liberatores, emensos'que olim Herculis &  
 Liberi patris terminos, non Persis modò, sed etiam omni-  
 bus gentibus imposituros iugum. Macedonum Bactra &  
 Indos fore: minima esse, quæ nunc intuerentur: sed omnia  
 uictoria parari. Non præruptis petris Illyricorum &  
 Thraciæ saxis sterilem laborem fore: spolia totius Orientis  
 offerri

offerri. Vix gladio futurum opus. Totam aciem suo pauore fluctuantē, umbonibus posse propelli. Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater inuocabatur, domitæque nuper Bœotiae, & urbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ species representabatur animis: iam Granicum amnem, iam tot urbes aut expugnatas, aut in fidem acceptas, omniaque quæ post tergum erant strata, & pedibus ipsorum subiecta, memorabat. Cum adierat Græcos, admonebat, ab ijs gentibus illata Græciæ bella: Darij prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam terramque populantium, ut neque fontium haustam, nec solitos cibos relinquerent: dein Deum templa ruinis & ignibus esse deleta: urbes eorum expugnatas, fœdera humani diuini que iuris uiolata reserebat. Illyricos uerò & Thracas raptio uiuere assuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri iubebat, prædam, non arma gestantem. Irent & imbellibus fœminis aurum uiri eriperent: aspera montium suorum iuga, nudosque colles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent. Iam ad teli iactum peruenerant, cum Persarum equites ferociter in leuum cornu hostium inuecti sunt: quippe Darius equestri prælio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans: iamque etiam dextrum Alexandri cornu circuibatur. quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in mediam belli discrimen strenue transfert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, præfectum eorum occultè circuire tergum suorum iubet, Parmenioni que coniungi, & quod is imperasset, impigre exsequi. Iamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi, egregie se tuebantur: sed conserti & quasi coherentes, tela uibrare non poterant. Simul ut erant emissæ,



in eosdem concurrentia implicabantur, leuiq; & uano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominus coacti conserere, gladios impigrè stringunt. Tum uerò multum sanguinis fufum est: duæ quippè acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent; mucrones in ora dirigerent. non timido, non ignauro cessare tum licuit: collato pede quasi singuli inter se dimicarent, in eodem uestigio stabant, donec uincendo locum sibi facerent. Tum demum ergo promouebant gradum, cum hostem prostrauerät. At illos nouus excipiebat aduersarius fatigatos, nec uulnerati (ut aliàs solent) acie poterant excedere, cum hostis instaret à fronte, à tergo sui urgerent. Alexāder non ducis magis, quàm militis munera exsequebatur, opimum decus cæso rege expetens: quippe Darius curru sublimis eminebat, & suis ad se tuendum, & hostibus ad incessendum ingens incitamentum. Ergo frater eius Oxatres cum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus præerat, ante ipsum currum regis obiecit, armis & robore corporis multum super ceteros eminēs, animo uerò & pietate & paucissimis: illo utique prælio clarus, alios improvidè instantes prostrauit, alios in fugam auertit. At Macedones, ut circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrūpunt. Tum uerò similis ruinæ strages erat. Circa currum Darij iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, aduerso corpore uulneribus acceptis. Inter hos Aticies, & Romithres, & Sabaces prætor Aegypti magnorum exercituum præfecti noscitantur: circa eos cumulata erat peditum equitum que obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen cæsi sunt. Inter quos Alexan-

dri dexterum femur leuiter mucrone perstrictū est. Iamq̄; qui Darium uehebant equi confossi hastis, & dolore efferrati, iugum quaterere, & regem curru excutere coeperant: cum ille, ueritus ne uiuus ueniret in hostium potestatem, desilit, & in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur: insignibus quoque imperij, ne fugam proderent, indecorè abiectis. Tūm uerò ceteri dissipantur metu, & quæ cuiq̄; patebat ad fugam uia erumpunt, arma iacentes quæ paulò ante ad tutelam corporum sumpserant: adeò pavor etiam auxilia formidabat. Instabat fugientibus eques à Parmenione missus: & fortè in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persæ Thessalos equites uehementer urgebant. Iamq̄; una ala ipso impetu proculcata erat, cum Thessali strenuè circumactis equis dilapsi rursus in prælium redeunt, sparsosq̄; in compositos uictoriæ fiducia barbaros ingenti cæde prosternunt. Equi pariter equitesq̄; Persarum serie laminarum ob id genus graue, agmen, quod celeritate maximè constat, agrè moliebantur: quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupauerant. Hac tam prospera pugna nuntiata, Alexander non ante ausus persequi barbaros, utrinque iam uictor instare fugientibus cepit. Haud amplius regem quàm mille equites sequebantur, cum ingens multitudo hostium caderet. Sed quis aut in uictoria, aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo à tam paucis pecorum modo: & idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur. At Græci, qui in Darij partibus steterant, Amynta duce (prætor hic Alexãdri fuit, nunc transfuga) abrupti à cæteris, haud sanè fugientibus similes euaserant. Barbari longè diuersam fugam intenderunt, alij quæ rectum iter Persidem ducebat, quidam circuitus rupis, saltusq̄; montium occultos petiuere, pauci castra Darij.

Sed iam illa quoq; hostis uictor intrauerat omni quidē opulenta ditia. Ingens auri argentiq; pondus, non belli sed luxurie apparatus, diripuerant milites. Cumq; plus raperent, passim strata erant itinera uilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum auaritia contempserat. Iamq; ad foeminas peruentum erat, quibus quo chariora ornamenta sunt, uiolentius detrahebantur: nec corporibus quidem uis ac libido parcebat. Omnia planctu tumultuq; prout cuique fortuna erat, castra repleuerant: nec ulla facies mali deerat, cum per omnes ordines aetatesq; uictoris crudelitas ac licentia uagaretur. Tunc uerò impotens fortunæ species conspici potuit, cum ij, qui tum Dario tabernaculum exornauerant omni luxu & opulentia instructum, eadem illa Alexandro quasi ueteri domino reseruabant. nanque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, ut uictorem uicti regis tabernaculo exciperent. Sed omnium oculos animosq; in semet conuerterant captivæ mater cōiuxq; Darij. Illa non maiestate solum, sed etiam ætate uenerabilis: hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta, acceperat in sinum filium, nondum sextum ætatis annum egressum, in spem tantæ fortunæ, quantum paulò ante pater amiserat, genitum. At in gremio anus auie iacebant adultæ uirgines duæ, non suo tantum, sed illius mœrore etiam confectæ. Ingens circa eam nobilium foeminarum turba constitit, laceratis crinibus, abscissaq; ueste pristini decoris im memores, reginas dominasq; ueris quondam, tunc alienis nominibus uocantes. illæ suæ calamitatis oblité, utro cornu Darius stetisset, quæ fortuna discriminis fuisset, requirebant, negabant se captas, si uiueret rex. Sed illū equos subinde mutantem, longius fuga abstulerat. In acie autē cæsa sunt Persarum pedum centum millia: decem uero millia

inter

interfecta equitū. At ex parte Alexandri quatuor & quingenti saucij fuere: triginta omnino & duo ex peditibus desiderati sunt: equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens uictoria stetit. Rex, qui diu Darium persequēdo fatigatus erat, posteaquam & nox appetebat, & eum assequendi spes non erat, in castra paulò ante à suis capta, peruenit. Inuitari deinde amicos, quibus maximè as-  
 suerat, iussit: quippe summa dūtaxat cutis in femore per-  
 stricta, non prohibebat interesse conuiuio. tum repente è  
 proximo tabernaculo lugubris clamor barbaro ululatu  
 planctūq; permixtus, epulantes conterruit. Cohors quoq;  
 que excubabat ad tabernaculum regis, uerita: ne maioris  
 motus principium esset, armare se cœperat. Causa pauoris  
 subiti fuit, quod mater uxorq; Darij cū captiuis mulieribus  
 nobilibus, regem quem interfectum esse credebant, ingēti ge-  
 mitu eiulatuq; deslebant. Vnus nanq; è captiuis spadonibus,  
 qui fortè ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum,  
 quod Darius (sicut paulò antè dictū est) ne cultu prodere-  
 tur, abiecerat, in manibus eius, qui repertum ferebat, agno-  
 uit: ratusq; interfecto detractum esse, falsum nuntium mor-  
 tis eius attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexan-  
 der fortunæ Darij, & pietati earum lachrymasse fertur. Ac  
 primò Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritū Persicæ  
 lingue, ire ad consolandas eas iusserat. Veritus deinde, ne  
 proditor captiuarum iram doloremq; grauaret, Leonatum  
 ex purpuratis suis misit, iussum indicare, falsò lamētari eas  
 Darium uiuum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum  
 in quo captivæ erant, peruenit, missumq; à rege se nuntiare  
 iubet. At hi, qui in uestibulo erant, ut armatos conspexere,  
 rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, uocife-  
 rantes, adesse supremam horam, missosq; qui occiderent ca-

ptas. Itaque, ut quæ nec prohibere, nec admittere auderent, nullo responso dato, tacite opperiebantur uictoris arbitriū. Leonatus, expectato diu qui se intromitteret: postea quā nemo prodire audebat, relictis in uestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbauerat foeminas, quod irrupisse, non admissus uidebatur. Itaque mater & coniunx prouolutæ ad pedes, orare coeperunt, ut, priusquam interficerentur, Darij corpus ipsis patrio more sepelire permitteret functas supremo in regem officio, se impigre morituras. Leonatus, & uiuere Darium, & ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatusu pristinae fortune reginas fore. Tum mater Darij alleuari se passa est. Alexander postera die cum cura sepultis militibus, quorum corpora inuenerat, Persarum quoq; nobilissimis eūdem honorem haberi iubet, matriq; Darij permittit, quos uellet, patrio more sepeliret. Illa paucos arcta propinquitate coniunctos pro habitu presentis fortune humari iussit, apparatusu funerum, quo Persæ suprema officia celebrarent, inuidiosum fore existimans, quum uictores haud pretiose cremarentur. Iamq; iustis defunctorum corporibus solutis, præmittit ad captiuas qui nuntiarent ipsum uenire: inhibitaq; comitantium turba, tabernaculum cum Ephestione intrat. Is longè omnium amicorum charissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoq; in admonendo eo non alius ius habebat, quod tamē ita usurpabat, ut magis à rege permissum, quàm uendicatum ab eo uideretur: & sicut ætate par erat regi, ita corporis habitu præstabat. Ergo reginae illum regem esse rate, suo more uenerate sunt. Inde ex sp̄idonibus captiuis, quis Alexander esset, monstrantibus: Sysigambis aduoluta est pedibus eius, ignorationem nunquam antea nisi regis excusans. Quam ma-

nu alleuans rex, Non errasti, inquit, mater. nam & hic Alexander est. Equidem si hac continentia animi ad ultimum uite perseuerare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quam ius est esse, cum Liberi patris inuaretur triumphum, ab Helleponto usque ad Oceanum omnes gentes uictoria emensus, si uicisset profecto superbiam atq; iram, mala inuicta: si abstinuisset inter epulas cædibus amicorū, egregiosq; bello uiros, & tot gentium secum domitores inducta causa ueritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo eius supersuderat. Itaque orientem tam moderatè & prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem eius non cepit: tum quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges & continentia & clementia uincerentur. Virgines & reginas excellentis formæ tam sanctè habuit, quàm si eodem, quo ipse, parente genitæ forent. Coniugem eiusdem, quàm nulla ætatis suæ pulchritudine corporis uicit, adeò ipse non uiolauit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Omnem cultum reddi fœminis iussit, nec quicquam ex pristinæ fortunæ magnificentia captiuus, præter fiduciam, defuit. Itaque Sysigambis, rex, inquit, mereris ut ea precemur tibi, quæ Dario nostro quondam precatæ sumus, & (ut uideo) dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam æquitate superaueris. Tu quidem matrem me & reginam uocas: sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et præteritæ fortunæ fastigiū capio & præsentis iugum pati possum. Tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia, quàm seuita uis esse testatum. Rex bonum animum habere eas iussit. Darij deinde filium collo suo admouit. Atque nil ille conspectu tunc primum à se uisi cõterritus, ceruicem eius manibus amplectitur. Motus ergo rex constantia pueri, Ephestionem intu-

ens, quàm uellem, inquit, Darius aliquid ex hac indole  
 hausisset. Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa  
 Pyrami amnis Ioui atq; Herculi Mineruæq; sacratis, Sy-  
 riam petit, Damascum, ubi regis gazæ erant, Parmenione  
 præmisso. Atque is cum præcessisse Darij satrapam compe-  
 risset, ueritus, ne paucitas suorum sperneretur, accersere  
 maiorem manum statuit. Sed fortè in exploratores ab eo  
 præmissos incidit nomine Mardus, qui ad Parmenionem  
 perductus, literas ad Alexandrũ à præfecto Damasci mis-  
 sas tradit ei: nec dubitare eum, quin omnem regiam supel-  
 lectilem cum pecunia traderet, adiecit. Parmenio, assuerua-  
 ri eo iusso, literas aperit, in queis erat scriptum, ut matu-  
 re Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu  
 exigua. Itaq; re cognita, Mardum, datis comitibus, ad pro-  
 ditorem remittit. Ille è manibus custodientium lapsus, Da-  
 mascum ante lucem intrat. Turbauerat ea res Parmenio-  
 nis animum insidias timentis: & ignotum iter sine duce nõ  
 audebat ingredi. Felicitati tamen regis sui confusus, agre-  
 stes, qui duces itineris essent, excipi iussit: quibus celeriter  
 repertis, quarto die ad urbem peruenit, iam metuente præ-  
 fecto, ne sibi fides habita non esset. Igitur quasi parum mu-  
 nimentis oppidi fidens, ante solis ortum pecuniam regiam  
 quam Gazam Persæ uocant, cum preciosissimis rerum ef-  
 ferri iubet, fugam simulans, re uera ut prædam hosti offer-  
 ret. Multa millia uirorum fœminarumq; excedentem oppi-  
 dõ sequebantur, omnibus miserabilis turba, præter eum,  
 cuius fideicommissa fuerat: quippe quo maior proditoris  
 merces foret, obijcere hosti parabat gratiorem omni pe-  
 cunia prædam, nobiles uiros, prætorum Darij coniu-  
 ges, liberosque, præter hos urbiũ Græcarum legatos,  
 quos Darius, uelut in arce tutissima, in proditoris relinque-  
 rat

*rat manibus. Gangabas Persæ uocant humeris onera por-*  
*tantes: hi quum frigus tolerare non possent, quippe &*  
*procella subito niuem effuderat, & humus rigebat gelu,*  
*tum adstrictas uestes, quas cum pecunia portabant, auro &*  
*purpura insignes induunt, nullo prohibere auso, cum for-*  
*tuna regis etiam humilimis in ipsum licentiam faceret.*  
*Præbuere ergo Parmenioni non spernendi agminis speci-*  
*em: qui intentiore cura suos quasi ad iustum prælium pau-*  
*cis adhortatus, equis calcæria subdere iubet, & acri impe-*  
*tu in hostem inuichi. At illi, qui sub oneribus erant, omiſſis,*  
*per metum capessunt fugam. Armati quoq; , qui eos perse-*  
*quebantur, eodem metu arma iactare, ac nota diuerticula*  
*petere cœperunt. Præfectus quasi & ipse conterritus, si-*  
*mulans, cuncta pauore compleuerat. Iacebant totis cam-*  
*pis opes regie, illa pecunia stipendio ingenti militum præ-*  
*parata, ille cultus tot nobilium uirorum, tot illustrium sce-*  
*minarum, aurea uasa, aurei freni, tabernacula regali ma-*  
*gnificèntia ornata, uehicula quoq; à suis destituta ingentis*  
*opulentie plena, facies etiam prædantibus tristes, si qua*  
*res auaritiâ moraretur: quippe tot annorum incredibili*  
*& fidem excedente fortuna cumulata, tunc alia stirpibus*  
*lacerata, alia in cœnum demersa eruebantur: non sufficie-*  
*bant prædantium manus prædæ. Iamq; etiam ad eos, qui*  
*primi fugerant, uentum erat. Fœminæ pleræq; paruos tra-*  
*hentes liberos ibant, inter quas tres fuere uirgines, Occhi*  
*(qui ante Darium regnauerat) filie, olim quidè ex fastigio*  
*paterno rerum mutatione detractæ, sed tum sortem earum*  
*crudelius aggrauante fortuna. In eodem grege uxor quo-*  
*que eiusdem Occhi fuit, Oxatrisq; (frater hic erat Darij)*  
*filia & coniux Artabazi, principis purpuratorum: & fi-*  
*lius, cui Ilionco fuit nomen. Farnabazi quoq; , cui summum*



imperium maritimæ oræ rex dederat, uxor cum filio excepta est. Mentoris filia tres ac nobilissimi ducis Memnonis coniunx & filius: uixq; ulla domus purpurati fiat tantæ cladis expers. Lacedæmonij quoque & Athenienses erant, societatis fide uiolata, Persas secuti, Aristogiton, Dropides, & Leuertes, inter Athenienses genere famaq; longe clarissimi: Lacedæmonij, Perisippus & Onomastorides cū Omaio & Callicratide, ij quoq; domi nobiles. Summa pecuniæ signatæ fuit talentorum duo millia & sexaginta, facile argenti pondus quingenta æquabat. Præterea triginta millia hominum, cum septem millibus iumentorum dorso onera portantium capta sunt. Cæterum dij tantæ fortunæ proditorem sepulturæ celeriter debita pœna persecuti sunt. Namque unus è conscijs eius, credo regis uicem etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito: quippe & ultus inimicum erat, & nondum in omnium animis memoriam maiestatis suæ exoleuisse cernebat.

## Q. CVRTII DE RE

BVS GESTIS ALE-

XANDRI MAGNI

LIB. IIII.



**D**ARIVS tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis, quàm dimicantis more curru sublimis inierat prælium, per loca, quæ propè immensis agminibus compleuerat, iam inania & ingenti solitudine uasta fugiebat. Pauci regem sequebantur. nam nec eodem omnes fugam intenderant, & deficientibus equis  
*curf*

*cursum eorum, quos Rex subinde mutabat, equare nõ poterant. Vnchas deinde peruenit: ubi exceperere cum Græcorum quatuor millia, cum quibus ad Euphratem contendit, id demum credens fore ipsius, quod celeritate præripere potuisset. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat præda, iussum eam ipsam, & captiuos diligentiã asseruare custodia, Syriæ, quàm Coelen uocant, præfecit. Nouum imperium Syri nondum belli cladi- bus satis domiti aspernabantur: sed celeriter subacti, obedienter imperata fecerunt. Aradus quoq; insula deditur regi. Maritimam tamẽ oram, & pleraq; longius etiam à mari recedentia, Rex eius insule Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra mouit ad urbem Marathon. Ibi illi literæ à Dario redduntur, quibus, ut superbè scriptis, uehementer offensus est. Præcipuè eum mouit, quòd Darius sibi Regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis, quàm petebat, ut accepta pecunia quantamcunq; tota Macedonia caperet: matrem sibi ac coniugem liberisq; restitueret. De regno, æquo, si uellet, Marte contenderet. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet alieni imperij finibus, socius amicusq; esset: in ea se fidem & dare paratum, & accipere. Contrà Alexander in hunc maximè modum rescripsit. Rex Alexander Dario. Ille cuius nomen sumpsisti Darius, Græcos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasq; Græcorum Ionas omni clade uastauit. cum magno deinde exercitu mare traiecit, illato Macedoniae & Græciæ bello rursus Rex Xerxes gentis eiusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copijs uenit: qui nauali prælio uictus, Mardonium tamen reliquit in Græcia, ut absens quoque popularctur urbes, agros ureret. Philippum uerò*

parentem meum quis ignorat ab his interfectum esse, quos ingentis pecunie spe sollicitauerant uestri? Impia enim bella suscipitis, & cum habeatis arma, licita muni hostium capita: sicut tu proximè talentis mille, tanti exercitus Rex, percussorem in me emere uoluisti. Repello igitur bellum, non infero. Et dijs quoq; pro meliore stantibus causa, magnam partem Asiæ in ditionem redegi meam: te ipsum acie uici; quem etsi nihil à me impetrare oportebat, quod petieras, ut pote qui ne belli quidem in me iura seruaueris: tamē, si ueneris supplex, & matrem, & coniugem, & liberos sine pretio recepturum te esse promitto. Et uincere, & consulere uictis scio. Quòd si te nobis committere times, dabimus fidem impune uenturum. De cætero, cum mihi scribes, memento non solum Regi te, sed etiam tuo scribere. Ad hanc perserendam Thersippus missus. Ipse in Phoenicen deinde descendit, & oppidum Biblon traditum recepit. Inde ad Sidona uentum est, urbem uetustate fama; conditorum inclytam. Regnabat in ea Strato Darij opibus adiutus: sed quia deditionem magis popularium quam sua sponte fecerat; regno uisus indignus: Ephestioniq; permissum, ut quem eo fastigio Sidones dignissimum arbitrarentur, constitueret Regem. Erant Ephestioni hospites clari inter suos iuuenes, qui facta ipsis potestate regnandi, negauerunt quæquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Ephestion magnitudinem animi, spernētis, quod alij per ignes ferrumq; peterent: Vos quidem matris uirtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset regnum fastidire, quam accipere. cæterum date aliquem regie stirpis, qui meminerit, à uobis acceptum habere se regnum. At illi cum multos imminere tantæ spei cererent, singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupid

piditatem adulates statuunt, neminem esse potiorē, quā  
 Abdolominum quendam longa quidem cognatione stirpi  
 regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exi-  
 gua colentem stipe. Causa ei paupertatis, sicut plerisque,  
 probitas erat, intentusq; operi diurno, strepitum armorum,  
 qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subitò dein-  
 de, de quibus antè dictum est, cum regiæ uestis insignibus  
 hortum intrant: quem fortè steriles herbas eligens Abdo-  
 lominus repurgabat. Tunc Rege eo salutato: Alter ex his  
 Habitus, inquit, hic quem cernis in meis manibus, cum isto  
 squalore permutandus tibi est: ablue corpus, illuue æter-  
 nisq; sordibus squalidum: cape Regis animum, & in eam  
 fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. &  
 cum in regali solio residebis, uitæ necisq; que omnium ci-  
 uium dominus, caue obliuiscaris huius status, in quo acci-  
 pis regnum: imò hercule, propter quem, Somnio similis  
 res Abdolomino uidebatur. Interdum, satis ne sani essent,  
 qui tam proteruè sibi illuderent, percunctabatur. Sed ut  
 cunctanti squalor ablutus est, & iniecta uestis purpura au-  
 roq; distincta, & fides à iurantibus facta serio: iam Rex  
 iisdem comitantibus in regiam peruenit. Fama (ut solet)  
 strenuè totas urbes discurrit: aliorum studium, aliorum  
 indignatio eminebat. Ditissimus quisque humilitatem ino-  
 piamq; eius apud amicos Alexandri criminabatur: admit-  
 ti eum Rex protinus iussit, diuq; contemplatus, Corporis,  
 inquit, habitus famæ generis non repugnat: sed libet scire,  
 inopiam qua patientia tuleris. Tum ille, Vtinam, inquit,  
 eodem animo regnum pati possim. Hæ manus sufficere de-  
 siderio meo: nihil habenti, nihil defuit. Magnæ indolis spe-  
 cimen ex hoc sermone Abdolomini cepit. Itaq; non Strato-  
 nis modò regiam supellectilem attribui ei iussit, sed pleraq;

etiam

etiam ex Persica præda: regionem quoque urbi appositam ditioni eius adiecit. Interea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus, cum quatuor millibus Græcorum ipsum ex acie persecutis, fuga Tripolim peruenit. Inde in naues militibus impositis, Cyprum transmisit: & cum in illo statu rerum id quæque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, uelut certo iure possessum, Aegyptum petere decreuit, utrique Regi hostis, & semper ex ancipiti mutatione temporum pendens: hortatusque milites ad spem tantæ rei, docet, Sabacem Prætozem Aegypti cecidisse in acie: Persarum Præsidium & sine duce esse, & inualidum: Aegyptios semper Prætoribus eorum insensos, pro socijs ipsos, non pro hostibus æstimaturos. Omnia experiri necessitas cogebat: quippe cum primas spes fortuna destituit, futura præsentibus uidentur esse potiora. Igitur conclamant, Duceret, quò uideretur. Atque ille ut edum animis, dum spe calerent, ratus, ad Pelusij ostium penetrat, simulans à Dario se esse præmissum. Potitus ergo Pelusij, Memphin copias promouit: ad cuius famam Aegyptij uana gens, & nouandis quàm gerendis aptior rebus, ex suis quisque uicis urbibusque ad hoc ipsum concurrunt, ad delenda præsidia Persarum: qui territi tamen spem obtinendi Aegyptum non amiserunt. Sed eos Amyntas prælio superatos in urbem compellit, castrisque positis, uictores ad populandos agros eduxit, ac uelut in medio positis omnibus, hostium cunctis agebantur. Itaque Mazeces quanquam infelici prælio suorum animos territos esse cognouerat: tamen palantes, & uictoriæ fiducia incautos ostentans, perpulit ne dubitarent ex urbe erumpere, & res amissas recuperare. Id consilium non ratione prudentius, quàm euentu felicius fuit. Ad unum omnes cum ipso duce occisi sunt. Has poenas

*Amynthas utrique Regi dedit, nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quam illi, quem deseruerat. Darij Prætores, qui prælio apud Isson superfuerant, cum omni manu, quæ fugientes secuta erat, assumpta etiam Cappadocum & Paphlagonum iuuentute, Lydiam recuperare tentabant. Antigonus Prætor Alexandri Lydiæ præerat: qui quanquam plerosque militum ex præsidijs ad Regem dimiserat, tamen, Barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit. tribus prælijs alia atq; alia regione commissis, Persæ funduntur. Eodem tempore classis Macedonum ex Græcia accita, Aristomenem, qui ad Hellepontis oram recuperandam à Dario erat missus, captis eius aut demersis nauibus, superat. A Milesijs deinde Farnabazus præfectus Persicæ classis pecunia exacta, & præsidio in urbem Chium introducto, centum nauibus Andrum, & inde Syphnum petijt, is quoque insulas præsidijs occupat, pecunia mulctat. Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Europæ Asiæque Regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur, Græciæ quoq; & Cretæ arma commouerat. Agis Lacedæmoniorum Rex octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniae Præfecto moliebatur. Cretenses has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidijs occupabantur. Sed leuiores inter illos fuere discrimina, unum certamen, ex quo cætera pendebant, Intuente fortuna, iam tota Syria, iam Phoenice quoque excepta Tyro, Macedonum erant: habebatq; Rex castra in continenti: à quo urbem angustum fretum dirimât. Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura, uidebatur, quam imperium.*

riam. Coronam igitur auream legati donum afferebant, commeatus que largè & hospitaliter ex oppido adduxerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi iussit, benignèq; Legatos allocutus, Herculi (quem præcipue Tyrij colerent) sacrificare uelle se dixit: Macedonum Reges credere, ab illo Deo ipsos genus ducere: se uerò ut id faceret, etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem, in ea sede quam Paletyron ipsi uocant: ibi Regem Deo sacrum ritè facturum. Non tenuit iram Alexander, cuius alioquin potens non erat. Itaque uos quidem, inquit, fiducia loci, quòd insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis: sed breui ostendam, in continenti uos esse. Proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum. Cùm hoc responso dimissos, monere amici ceperunt, ut Regem quem Syria, quem Phœnice recepiisset, ipsi quoque intrare paterentur. At illi loco satis fisti, obsidionem ferre decreuerunt. nanque urbem à continenti quatuor stadiorum fretum diuidit, Africo maxime obiectum, crebros ex alto fluctus in litus euoluens, nec accipiendo operi, quo Macedones continenti insulam iungere parabant, quicquam magis, quam ille uentus, obstabat: qui pe uix leni & tranquillo mari moles agi possunt. Africus uerò prima queque congesta pulsu illisa mari subruit: nec ulla tam firma moles est, quam non excidant undæ per nexus operum manantes, & ubi acrior flatus existit, summi operis fastigio superfusæ. Præter hanc difficultatem haud minor alia erat: muros turresq; urbis præaltum mare ambiebat. Nam tormenta, nisi è nauibus procul excussa, emitti, non scale mœnibus applicari poterant præceps in salum murus, pedestre interceperat iter. naues nec habebat Rex, & si admouisset, pendentes & instabiles missilibus arceri

ceri poterant. Inter quæ haud parua dictu res Tyriorum  
 fiduciam accendit: Carthaginensium Legati ad celebran-  
 dum anniuersarium sacrum more patrio tunc uenerant:  
 quippe Carthaginem Tyrij condiderunt, semper paren-  
 tum loco culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, ut obsidionem  
 forti animo paterentur, breui Carthagine auxilia uen-  
 tura. nanque ea tempestate magna ex parte Punicis clas-  
 sibus maria obsidebantur. Igitur bello decreto, per mu-  
 ros turresq; tormenta disponunt, arma iunioribus dini-  
 dunt, opificesq;, quorum copia urbs abundabat, in offi-  
 cinas distribuunt, omnia belli apparatus strepunt: fer-  
 reæ quoque manus (harpagonas uocant) quas operibus  
 hostium iniicerent, cornuque, & alia tuendis urbibus ex-  
 cogitata, preparabantur. Sed cum fornacibus ferrum,  
 quod excudi oportebat, impositum esset, admotisq; fol-  
 libus ignem statu accenderent, sanguinis riuus sub ipsis  
 flammis extitisse dicuntur: idq; omen in Macedonum me-  
 tum uerterunt Tyrij. Apud Macedonas quoque, cum  
 forte panem quidam militum frangeret, manantis san-  
 guinis guttas notauerunt: territoq; Rege, Aristander pe-  
 ritissimus uatum respondit, si extrinsecus cruor fluxisset,  
 Macedonibus id triste futurum: contra, cum ab interio-  
 re parte manauerit, urbi, quam obsidere destinaissent,  
 exitium portendere. Alexander cum & classem procul ha-  
 beret, & longam obsidionem magno sibi ad cætera im-  
 pedimento uideret fore: caduceatores, qui ad pacem  
 eos compellerent, misit: quos Tyrij contra ius gentium  
 occisos præcipitauerunt in altum. Atque ille suorum tam  
 indigna nece commotus, urbem obsidere statuit. Sed antè  
 iacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret.  
 Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cer-  
 nent



nentium profundum mare, quod uix diuina ope posset  
 impleri: quæ saxa tam uasta, quas tam proceras arbores  
 posse reperiri? exhauriendas esse regiones, ut illud spa-  
 tium aggeraretur: & ex æstuarè semper fretum: quoque  
 arctius uolueretur inter insulam & continentem, hoc  
 acrius furere. At ille haudquaquam rudis tractandi mi-  
 litares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam  
 esse pronuntiat, dexteram porrigentis: illo duce, illo  
 aperiente, in urbem intrare se uisum. Inter hæc caducea-  
 tores interfectos, gentium iura uiolata referebat. Vnam  
 esse urbem, quæ cursum uictoris morari ausa esset. Du-  
 cibus deinde negotium datur, ut suos quisque castiget: sa-  
 tisq; omnibus stimulis, opus orsus est. Magna uis saxo-  
 rum ad manum erat Tyro uetere præbente, materies ex  
 Libano monte ratibus & turribus faciendis uehebatur.  
 Iamque fundo maris in altitudinem montis opus excreue-  
 rat, nondum tamen aquæ fastigium æquabat: & quo lon-  
 gius moles agebatur à litore, hoc magis quicquid ingere-  
 batur, præ altum absorbebat mare: cum Tyrij paruis nau-  
 gijs admotis, per ludibrium exprobrabant, illos armis in-  
 clytos, dorso, sicut iumenta, onera gestare: interrogabant  
 etiam uum maior Neptuno esset Alexander? Hæc ipsa in-  
 sectatio alacritatem militum accendit. Iamque paululum  
 moles aquam eminebat, & simul aggeris latitudo cre-  
 scebat, urbi que admouebatur, tum Tyrij magnitudine mo-  
 lis, cuius incrementum eos antè se fillerat, conspecta, leui-  
 bus nauigijs nondum commissum opus circuire cœperunt:  
 missilibus eos quoq; qui pro opere stabant, incessere. Mul-  
 tis ergo impuniè uulneratis, cum & remouere, et appellere  
 scaphas in expedito esset: ad curam semetipsos tuendi ab  
 opere conuerterant. Igitur ex iumentis coria uelaq; iussit  
 obtendi

obtendi, ut extra teli iactum essent: duasq; turres ex capite molis erexit, è quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contrà Tyrij nauigia procul à conspectu hostium litori appellunt, expositisq; militibus, eos, qui saxa gestabant, obruncant. In Libano quoque Arabum agrestes, incompositos Macedonas aggressi, triginta ferè interficiunt, paucioribus captis. Ea res Alexandrum diuidere copias coëgit. Et ne segniter assidere uni urbi uideretur, operi Perdiccam Crateronq; præfecit, ipse cum expedita manu Arabiam petijt. Inter hæc Tyrij nauë magnitudine eximia, saxis harenaq; à puppi oneratam, ita ut multū prora emineret, bitumine ac sulphure illitam, remis concitauerunt: & cum magnam uim uenti uela quoq; concepissent, celeriter ad molem successit. Tunc, prora eius accensa, remiges desiliere in scaphas, que ad hoc ipsum præparatæ sequebantur. Nauis autem, igne concepto, latius fundere incendium coepit: quod, priusquam posset occurri, turres & cætera opera in capite molis posita comprehendit. At qui desilierant in parua nauigia, faces, & quicquid alendo igni aptū erat, in eadem opera ingerunt. Iamq; non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperāt igne: cum ij, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omīsis, in mare semetipsi immitterent. At Tyrij, qui capere eos quam interficere mallet, natantium manus stipitibus saxisq; lacerabant, donec debilitati impunè nauigijs excipi possent: nec incendio solum opera consumpta, sed fortè eodem die uehementior uentus totum ex profundo mare illisit in molem, crebrisq; fluctibus compages operis uerberatæ se laxauere, saxa que interfluens unda medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus iniecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit,

tantæ'que molis vix ulla uestigia inuenit Arabia rediens  
 Alexander. Hic ( quod in aduersis rebus solet fieri) alius  
 in alium culpam referebat, quum omnes uerius de scintia  
 maris queri possent. Rex noui operis molem orsus, in ad-  
 uersum uentum non latere, sed recta fronte direxit, quod  
 cætera opera uelut sub ipso latentia tuebatur. Latitudi-  
 nem quoque aggeri adiecit, ut turres in medio erectæ  
 procul teli iactu abessent. Totas autem arbores cum in-  
 gentibus ramis in altum iaciebant: deinde saxis onerabant,  
 rursus cumulo eorum alias arbores iniiciebant. Tum hu-  
 mus aggeriebatur, super que alia strue saxorum arborūq;  
 cumulata, uelut quodam nexu continens opus iunxerant.  
 Nec Tyrij, quicquid ad impediendam molem excogitari  
 poterat, segniter exsequebantur. Præcipuum auxilium  
 erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, oc-  
 cultoq; lapsu ad molem usque penetrabant, falcibus palmi-  
 tes arborum eminentium ad se trahentes: que ubi secute  
 erant, pleraque secum in profundum dabant: tum leuatos  
 onere stipites truncosq; arborum haud agrè moliebantur.  
 Deinde totum opus, quod stipitibus fuerat infixum, fun-  
 damento lapsa sequebatur. Aegro animi Alexandro, &  
 utrum perseueraret, an abiret, satis incerto, classis Cypro  
 aduenit. Eodem'que tempore Cleander cum Græcis militi-  
 bus in Asiam nuper aduectus, centum & octoginta na-  
 uium classem in duo diuidit cornua. Leuum Pythagoras  
 rex Cypriorum cum Cratero tuebatur. Alexandrum in  
 dextro quinqueremis regia uehebat. Nec Tyrij, quanquam  
 classem habebant, ausi nauale inire certamen, triremes o-  
 mnes ante ipsa mœnia opposuerunt, quibus rex inuectus,  
 ipsas demersit. Postera die classe ad mœnia admota, un-  
 dique tormentis, & maximè arietum pulsu muros quatit:

quos

quos Tyrif, raptim obſtructis ſaxis, reſecerunt: interiorē quoque murum, ut ſi prior ſefelliſſet, illo ſe tuerentur, undiq; orſi. Sed undique uis mali urgebat: moles intrateli iactum erat: claſſis mœnia circuibat: terreſtri ſimul naualiq; clade obruebantur: quippe binas quadrirēmes Macedones inter ſe ita iunxerant, ut proræ cohærent, puppes interuallo, quantum capere poterant, diſtarent. Hoc puppiū interuallum, antennis aſſeribusq; ualidis deligatis, ſuperq; eos pontibus ſtratis, qui militem ſuſtinerent, impleuerant. ſic inſtructas quadrirēmes ad urbem agebant. inde miſſilia in propugnantes ingerebantur tutò, quia proræ miles tegebatur. Media nox erat, cum claſſem (ſicuti dictum eſt) paratam circuire urbem iubet: iam que naues urbi undique admouebantur, & Tyrif deſperatione torpebant, cum ſubitò ſpiſſe nubes intendere ſe cœlo, & quicquid lucis internitebat, effuſa caligine extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paulatim leuari, deinde acriori uento concitatum fluctus ciere, & inter ſe nauigia collidere, iam que ſcindi cœperant uincula, quibus connexæ quadrirēmes erant, ruerē que tabulata, & cum ingenti fragore in profundum ſecum milites trahere. Neque enim conſerta nauigia ulla ope in turbido regi poterant. Miles ministeria nautarum, remiges militis officia turbabant, & quod in huiusmodi caſu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores aliàs imperare ſoliti, tum metu mortis iuſſa exſequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, ueluti eripientibus nauigia claſſicis ceſſit, appuſſaq; ſunt litori lacerata pleraque. iſdem diebus fortè Carthaginienſium legati triginta ſuperueniunt, magis obſeſis ſolatium, quàm auxilium: quippe domeſtico bello Pœnos impediri, nec

de imperio, sed pro salute dimicare nuntiabant. Syracusani tunc Africam urbant, & haud procul Carthaginis muris locauerant castra. Non tamen defecere animis Tyrus, quanquam ab ingenti spe destituti erant: sed coniuges liberosq; deuehendo Carthaginem tradiderunt, fortius, quicquid accideret, laturo, si charissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent. Cumq; unus e ciuibus concione indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis, molemq; à Macedonibus iactam in salo, in syluestrem saltum esse mutatam: quanquam auctor leuis erat, tamen ad deteriora credenda prouisi metu, aurea cathena deuinxere simulacrum, aræq; Herculis, cuius numini urbem dicauerant, inseruere uinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria, multisq; alijs spolijs urbium à semet captarum non Carthaginem magis, quam Tyrum ornauerant. Sacrum quoque, quod quidem dijs minimè cordi esse crediderim, multis seculis intermissum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium uerius, quam sacrum, Carthaginenses à conditoribus traditū, usq; ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur: ac, nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio uicisset. Cæterum efficacior omni arte imminens necessitas, non usitata modo præsidia, sed quædam etiã noua admoxit. Namq; ad implicanda nauigia, quæ muros subibant, ualidis asseribus coruos & ferreas manus cum uncis ac falcibus illigauerant, ut cum tormento asseres promouissent, subito laxatis funibus iniicerent. Vnci quoque & falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnato-

res, aut ipsa nauigia lacerabant. Clypeos uerò æneos multò igne torrebant, quos repletos seruida harena, cœnoque decocto, è muris subito deuoluebant: nec ulla pestis magis timebatur: quippe ubi lorica corpusq; seruens harena penetrauerat, nec ulla ui excuti poterat, & quicquid attigerat, perurebat: iacentesq; arma, laceratis omnibus queis protegi poterant, uulneribus inulti patebant: corui uerò & ferreæ manus tormentis emissæ, plerosq; rapiabant. Hic rex fatigatus, statuerat, soluta obsidione, Aegyptum petere: quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset, circum muros unius urbis hærebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissa. Cæterum tam discedere irritum, quam morari pudebat: famam quoq; qua plura quam armis euertierat, ratus leuiorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse uinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naues admoueri iubet, delectosq; militum imponi. Et fortè belua inusitata Magnitudinis super ipsos fluctus dorso eminenens ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus applicuit, diuerberatisq; fluctibus alleuans semet, utrinque conspecta est. Deinde à capite molis rursus alto se immerfit, ac modo super undas eminenens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis urbis emerfit. Vtrisque Letus fuit beluæ aspectus. Macedones, iter iaciendo operi monstrasse eam augurabantur: Tyrij, Neptunum occupati maris uindicem arripuisse beluam, ac molem breui profecto ruituram: Letiq; omine eo ad epulas dilapsi, onerauere se uino: quo graues, orto sole nauigia conscendunt redimita coronis floribusq;: adeò uictoriæ non omen modo, sed etiam gratulationem præceperant. Fortè rex classem in diuersam partem agi iusserat, triginta minoribus nauigijs relictis in litore: è quibus Tyrij duobus captis,

cætera ingenti terruerant metu, donec suorum clamore audito, Alexander classem littori, à quo fremitus acciderat, admouit. Prima è Macedonum nauibus quinqueremis uelocitate inter cæteras emînens occurrit: quã ut cõspexere Tyrii, due è diuerso in latera eius inuelle sunt, in quarum alteram quinqueremis eadem cõcitata, & ipsa rostro iccta est, & illam inuicem tenuit. Iamq; ea quæ non cohærebat, libero impetu euecta, in aliud quinque remis latus inuehebatur, cum opportunitate mira triremis è classe Alexandri in eam ipsam quæ quinqueremi imminabat, tanta ui impulsæ est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur è puppi. Plures deinde Macedonum naues superueniunt, & rex quoq; aderat, quũ Tyrii inhibentes remis ægrè euellũt nauem quæ hærebat, portũq; omnia simul nauigia repetunt. Consectim rex insecutus, portum quidem intrare nõ potuit, quum procul è muris missilibus submoueretur: naues autem omnes ferè aut demersit, aut cepit. Biduo deinde ad quietem dato militibus, iussisq; & classem & machinas pariter admouere, ut utrinque territis instaret, ipse in altissimam turrim ascendit ingenti animo, periculo maiore: quippe regio insigni & armis fulgētibus conspicuus, unus præcipue telis petebatur: & digna prorsus spectaculo edidit, multos è muris propugnatores hasta transfixit, quosdã etiam communis gladio clypeoq; impulsos præcipitauit: quippe turris, ex qua dimicabat, muris hostium propemodũ cohærebat. Iamq; crebris arietibus saxorum cõpage laxata munimẽta defecerãt, & classis intrauerat portum, & quidã Macedonum in turres hostiũ desertas euaserant, cũ Tyrii tot simul malis uicti, alij supplices in templa confugiunt, alij foribus ædium obseratis, occupant liberũ mortis arbitriũ, nonnulli ruunt in hostem, haud inultè tamen perituræ. Magna pars

summa

summa tectorum obtinebat, saxa, & quicquid manibus fors dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, igneque testis iniici iubet. His per præcones pronunciatis, nemo tamen armatus opem à dijs petere sustinuit. Pueri uirginesque templa compleuerant: uiri in uestibulo suarum quisque ædium stabant, parata seuentibus turba. Multis tamen saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum præsidia erant. hi urbem quidem inter uictores intrauerant, sed cognationis cum Tyrijs memores (quippe utranque urbem Agenorem condidisse credebant) multos Tyriorum etiam protegentes ad sua perduxere navigia, quibus occultati, Sidona deuecti sunt. quindecim millia hoc furto subducta seuitiæ sunt: quantumque sanguinis fusum sit, uel ex hoc existimari potest, quòd intra munimenta urbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum uictoribus ira præbuit regis: duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens litoris spatium pependerunt. Carthaginensium legatis pepercit, addita denuntiatione belli, quod præsentium rerum necessitas moraretur. Tyrus septimo mense, quam oppugnari cœpta erat, capta est, urbs & uetustate originis, & crebra fortunæ uarietate ad memoriam posteritatis insignis, condita ab Agenore, diu mare non uicino modo, sed quocumque classes eius adierunt, ditioris suæ fecit: & si fama libet credere, hæc gens literas prima aut docuit, aut didicit. Coloniae certe eius penè orbe toto diffusæ sunt. Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum, credo libero commeantes mari, sepiusque adeundo cæteris incognitas terras elegisse sedes iuuentuti, qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terræ (nam hoc quoque traditur) cultores eius fatigati, no-



ua & externa domicilia armis sibi met querere cogebantur. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta resouente, sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit. Iisdem ferme diebus Darij literæ allatæ sunt, tandem ut regi scriptæ. Petebat, uti filiam suam (Saptinæ erat nomen) nuptijs Alexander sibi adiungeret. Dotem fere omnem regionē inter Hellespontū & Alynannē sitam, inde orientem spectantibus terris contentum. Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere, nunquam diu eodem uestigio stare fortunam, semperq; homines, quantamcunque felicitatem habeant, inuidiam tamen sentire maiorem. Vereri, ne se auium modo, quas naturalis leuitas ageret ad lydera, inani ac puerili mentis affectu efferret. Nihil difficilius esse, quam in illa ætate tantam capere fortunā: multas se adhuc reliquias habere, nec semper in angustijs posse deprehendi. Transcundū esse Alexandro Euphratem, Tygrimq; & Araxem, & Hydaspem, magna munimenta regni sui. Veniendum in campos, ubi paucitate suorū crubescendum sit. In Mediā, Hyrcaniā, Bactra, & Indos Oceani accolas, quādo aditurum: uel Sogdianos & Arachosios nomine tantum notos, cæterasq; gentes ad Caucasum & Tanaim pertinentes. Senescendum fore tantū terrarum uel sine prælio obeunti. Se uerò ad ipsum uocare desineret: nanque illius exitio se esse uenturum. Alexander his illis, qui literas attulerant, respondit. Darium sibi aliens promittere: quod totum amiserat, uelle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Acolidem, Hellesponti oram, uictoriæ suæ præmia: leges autem à uictoribus dici, accipi à uictis. In utro statu ambo essent, si solus ignoraret, quamprimum Marte decerneret: se quoq; cum transisset mare, non Ciliciam, aut Lydiam ignorare: quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem:

dem: sed Persepolim caput regni eius, Bactra deinde, Ecbatana, ultimæ que orientis oram imperio suo destinasse: quocunque ille fugere potuissent, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse. Reges quidem inuicem hæc scripserant. Sed Rhodij urbem suam portusque debebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat. Philota regioni circa Tyrum iusso præsidere, Syriam, que Cœle appellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, ab illo quod supererat iter facturus. Rex Ephestione Phœnicis oram classe præteruehi iusso, ad urbem Gazam cum omnibus copijs uenit. Iisdem ferè diebus solenne erat ludicrum isthmiorum, quod conuentu totius Græciæ celebratur. In eo concilio, ut sunt Græcorum temporalia ingenia, decernunt, ut duodecim legarentur ad regem, qui ob res pro salute Græciæ ac libertate gestas, coronam auream donum uictoriæ ferrent. Iidem paulò antè incertæ famæ captauerant duram, ut quocunque pendentes animus tulisset, fortunam sequerentur. Cæterum non ipse modo rex obibat urbes, imperij iuum adhuc recusantes: sed prætores quoque ipsius egregij duces pleraque inuaserant. Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam, Balacrus, Idarne prætorè Darij superato, Miletum cepit. Amphoterus & Egilochus centum sexaginta nauium classe insulas inter Achaiam atque Asiam in ditionem Alexandri redegerunt, Tenedon quoque hostium receptaculū, incolis ultrò uocantibus. Statuerat & Chion occupare. Sed Farnabazus Darij prætor, compræhensis qui res ad Macedonas trahebant, rursus Apollonidi & Athenagore suarum partium uiris urbem cum modico præsidio militum tradit. Præfecti Alexandri in obsidione urbis perseuerabant, non tam suis uiribus, quam ipsorum, qui obsidebantur, uoluntate: nec sefellit opinio, namque

inter Apollonidem & duces militum orta seditio, irrum-  
 pendi in urbem occasionem dedit. Cumq; porta effracta  
 cohors Macedonum intrasset, oppidani olim consilio pro-  
 ditionis agitato, aggregant se Amphotero & Egilocho,  
 Persarumq; praesidio caeso, Farnabazus cum Apollonide  
 & Athenagora uincti traduntur, duodecim triremes cum  
 suo milite ac remige, praeter eas triginta naues, & pirati-  
 ci lembi, Graecorumq; tria nullia à Persis mercede condu-  
 cta his in supplementum copiarum suarum distributis, pi-  
 ratisq; supplicio affectis, captiuos remiges adiecere classi  
 suae. Forte Aristonicus Methymnae tyrannus cum pirati-  
 cis nauibus, ignarus omnium quae ad Chium acta erant,  
 prima uigilia ad portus claustra successit: interrogatusq;  
 à custodibus, quis esset: Aristonicum ad Farnabazum ue-  
 nire respondit. Illi Farnabazum quidem iam quiescere, &  
 non posse tam adiri: caeterum patere socio atque hospitii  
 portum, & postero die Farnabazi copiam fore affirmant.  
 Nec dubitauit Aristonicus primus intrare. Secuti sunt du-  
 cem piratici lembi, ac dum applicat nauigia, crepidini por-  
 tus obijcitur à uigilibus claustrum, & qui proximi excu-  
 babant, ab eisdem excitantur, nulloq; ex his auso repugna-  
 re, omnibus cathenae iniectae sunt: Amphotero deinde Egi-  
 lochoq; traduntur. Hinc Macedones transire Mitylenem,  
 quam Chares Atheniensis nuper occupatam duorum mil-  
 lium Persarum praesidio tenebat: sed cum obsidionem to-  
 lerare non posset, urbe tradita, pactus ut incolumi abire li-  
 ceret, Imbrum petit: deditis Macedones pepercerunt. Da-  
 rius desperata pace, quam per literas legatosq; impetrari  
 posse crediderat, ad reparandas uires, bellumq; impigre  
 renouandam intendit animum. Duces ergo copiarum Ba-  
 byloniam conuenire, Bessum quoque Baetrianorum du-

cem perquam maximo posset exercitu coactio, descendere  
 ad se iubet. Sunt autem Bactriani inter illas gentes prom-  
 ptissimi, horridis ingenijs, multumque à Persarum luxu  
 abhorrentibus; siti haud procul à Scytharum bellicosissima  
 gente, & rapto uiuere assueta, semperq; in armis errant.  
 Sed Bessus, suspecta perfidia, haud sanè equo animo in  
 secundo se continens gradu, regem terrebat. Nam quum  
 regnum affectaret, proditio qua sola id assequi poterat,  
 timebatur. Cæterum Alexander, quam regionem Darius  
 petiisset, omni cura uestigans, tamen explorare non pole-  
 rat: more quodam Persarum arcana regum mira celan-  
 tium fide, non metus, non spes elicit uocem, qua prodari-  
 tur occulta, uetus disciplina regum, silentium uitæ peri-  
 culo sanxerat. Lingua grauius castigatur, quàm ullū pro-  
 brum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui  
 tacere graue sit, quod homini facilimum uoluerit esse na-  
 tura. Ob hanc causam Alexander omnium, quæ apud ho-  
 stem gererentur, ignarus urbem Gazam obsidebat. Præ-  
 erat ei Betis eximie in regem suum fidei: modicoq; præ-  
 sidio muros ingentis operis tuebatur. Alexander, aestima-  
 to locorum situ, agi cuniculos iussit, facili ac leui humo  
 acceptante occultum opus: quippe multam harenam uici-  
 num mare euomit, nec saxa cotesq;, quæ interpellent spe-  
 cus, obstabant. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspi-  
 cere non possent, opus orsus, ut à sensu eius auerteret, tur-  
 res muris admoueri iubet. Sed eadem humus admouendis  
 inutilis turribus, desidente sabulo, agilitatem rotarum mo-  
 rabatur, & tabulata turriam perfringebat: multiq; uulne-  
 rabantur impune, cum idem recipiendis, qui admouendis  
 turribus, labor eos fatigaret. Ergo receptui signo dato,  
 postero die muros corona circumdari iussit: orto que sole,  
 priusq;

priusquam admoueret exercitum, opem deum exposcens,  
 sacrum patrio more faciebat. Fortè præteruolans cor-  
 nuus, glebam quam unguibus ferebat, subito amisit: quæ  
 cum regis capiti incidisset, resoluta defluxit. Ipsa autem  
 auis in proxima turre consedit. Illita erat turris bitumi-  
 ne ac sulphure, in qua alis hærentibus, frustra se allenare  
 conatus, à circumstantibus capitur. Digna res uisa, de qua  
 uates consulerentur: & erat non intactus ea superstitione  
 mentis. Ergo Aristander, cui maxima fides habebatur,  
 urbis quidem excidium augurio illo portendi, cæterum  
 periculum esse, inquit, ne rex uulnus acciperet. Itaque  
 monuit, ne quid eo die inciperet. Ille quanquam unam  
 urbem sibi, quo minus securus Aegyptum intraret, obsta-  
 re ægrè ferebat: tamen paruit uati, signumq; receptui de-  
 dit. Hinc animus creuit obsessis, egressiq; porta, receden-  
 tibus inserrunt signa, cunctationem hostium fore suam oc-  
 casionem rati. Sed acrius quàm constantius prælium inie-  
 runt: quippe ut Macedonum signa circumagi uidere, re-  
 pente sistunt gradum. Iamque ad regem præliantium cla-  
 mor peruenerat, cum denunciati periculi haud sanè mie-  
 mor, loriceam tamen, quam raro induebat, anicis oranti-  
 bus sumpsit, & ad prima signa peruenit. Quo conspe-  
 cto, Arabs quidam Darij miles maius fortuna sua faci-  
 nus ausus, clypeo gladium tegens, quasi transfuga geni-  
 bus regis aduoluitur. Ille assurgere supplicem, recipi que  
 inter suos iussit. At gladio barbarus strenuè in dextram  
 translato, ceruicem appetit regis: qui exigua corporis de-  
 clinatione euicato ictu, inuanum manum barbari lapsam  
 amputat gladio, denuntiato in illum diem periculo ( ut ar-  
 bitrabatur ipse ) defunctus. Sed ( ut opinor ) incuitabile  
 est fatum: quippe dum inter primores promptius dimi-  
 cat,

cat, sagitta ictus est, quam per lorica[m] adactam stantem in humero: medicus eius Philippus euellit: plurimus deinde sanguis manare cœpit. Omnibus territis, quia nunquam tam altè penetrasse telum, lorica obstante, cognouerant: ipse ne oris quidem colore mutato, supprimi sanguinem, & uulnus obligari iussit. Diu ante ipsa signa uel dissimulato, uel uictò dolore persisterat, cum suppressus paulò antiè sanguis medicamento, quo retentus erat, manare latius cœpit, & uulnus, quod recens adhuc dolorem non mouerat, frigente sanguine intumuit. Linq[ui] deinde animo, & submitti genu cœpit: quem proximi exceptum in castra receperunt. Et Betis interfectum ratus, urbem ouans uictoria repetit. At Alexander nondum percurato uulnere, aggerem, quo moenium altitudinem æquaret, extruxit, & pluribus cuniculis muros subruui iussit. Oppidani ad pristinum fastigium moenium nouum extruxere munimentum: sed ne id quidem turres aggeri impositas æquare poterat. Itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. Vltima pestis urbis fuit cuniculo subrutus murus, per cuius ruinas hostis intrauit. Ducebat ipse rex antesignanos: & dum incautius subit, saxo crus eius affligitur. Innixus tamen telo, nondum prioris uulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat, ira quoque accensus, quòd duo in obsidione urbis eius acceperat uulnera. Betim, egregia edita pugna, multisq[ue] uulneribus confectum deseruerant sui: nec tamen segnius prælium capeſſebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. Sed cum undique telis est circumductus, insolenti gaudio iuuenis elatus, aliàs uirtutem etiam in hoste miratus, tunc inquit, Non, ut uoluisti, morieris Beti: sed quicquid tormentorum in captiuum inueniri potest, passurum esse te cogita. Ille non in-

terrilo modo, sed contumaci quoque uultu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit uocem. Tum Alexander, Videtis ne obstinatum ad tacendum? inquit, num genu posuit? num supplicem uocem misit? Vincam tamen silentium, & si nihil aliud, certè gemitu interpellabo. Ira deinde uertit in rabiem, iam tum peregrinos ritus noua subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora traiecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi, gloriante rege, Achillem, à quo genus ipse duceret, imitatum se esse poena in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumque circa decem millia: nec Macedonibus incruenta uictoria fuit. Obsidio certè non tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis, qui Aegyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem nouorum militum misit. Nanque praelijs etiam secundis atterebantur copiae, deuictarumque gentium militi, minor, quam domestico fides habebatur. Aegyptij olim Persarum opibus infensi, quippe austrè & superbè imperitatum sibi esse credebant, ad spem aduentus eius erexerant animos, utpote qui Amyntam quoque transfugam & cum precario imperio uenientem Leti recepissent. Igitur ingens multitudo Pelusium, quà intraturus rex uidebatur, conuenerat. Atque ille septimo die, posteaquam à Gaza copias mouerat, in regionem Aegypti, quam nunc castra Alexandri uocant, peruenit. Deinde pedestribus copijs Pelusium petere iussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne uestus est. nec sustinere aduentum eius Perse, defectione quoque perterriti. Iamque haud procul Memphicrat, in cuius praesidio Astaces praetor Darij relictus, amne superato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam suppellectilem tradidit. A Memphi eodem flumine

uectus, ad interiora Aegypti penetrat, compositisq; rebus,  
 ita ut nihil ex patrio Aegyptiorū more mutaret, adire Iouis  
 Hammonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque &  
 paucis uix tolerabile ingrediendum erat: terra caeloque  
 aquarum penuria est: steriles harenæ iacent: quas ubi uap-  
 or solis accendit, feruido solo exurente uestigia, intole-  
 rabilis æstus existit: luētandumq; est non tantum cum ar-  
 dore & siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabu-  
 lo, quod præ altum & uestigio sedens agrè moliantur pe-  
 des. Hæc Aegyptij uero maiora iactabant. Sed ingens cu-  
 pido animum stimulabat ad eundi Iouem, quem generis  
 sui autorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat  
 esse, aut credi uolebat. Ergo cum ijs, quos ducere secū sta-  
 tuerat, secundo amne descendit ad Mareotim paludem. Eo  
 legati Cyrenensium dona attulere, pacem, & ut adiret  
 urbes suas, petentes. Ille donis acceptis, amicitiaq; coniun-  
 cta, destinata exsequi pergit. Ac primo quidem & sequen-  
 ti die tolerabilis labor uisus, nondum tam uastis nudis que  
 solitudinibus aditis, iam tamen sterili & emoriente terra.  
 Sed ut aperuere se campi, alto obruti sabulo, haud secus  
 quam profundum æquor ingressi, terram oculis require-  
 bant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat uestigium.  
 Aqua etiam defecerat, quam utribus cameli deuexerant,  
 & in arido solo ac feruido sabulo nulla erat. Ad hæc sol  
 omnia incenderat, siccaq; & adusta erant omnia: cum re-  
 pente, siue illud deorum munus, siue casus fuit, obductæ  
 caelo nubes condidere solem, ingens æstu fatigatis, etiam-  
 si qua deficeret, auxilium. Enimuerò ut largum quoque  
 imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere  
 cum, quidam ob sitim impotentes sui ore quoque hianti  
 captare cœperunt. Quatriduum per uastat solitudines  
 absump



*absumptum est. Iamque haud procul oraculi sede aberant, cum complures corui agmini occurrunt, modico uolatu prima signa antecedentes: & modo humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant, antecedentium iterque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam Deo uentum est. Incredibile dictu, inter uastas solitudines, ita undique ambientibus ramis iuxta in densam umbram cadente sole, contacta est: multiq; fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt syluas. Cœli quoque mira temperies, uerno tempore maximè similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. Accolæ sedis sunt ab Oriente proximi Aethiopum in meridiem uersi, Arabes spectant, Troglodytis cognomen est: horum regio usque ad rubrum mare excurrit. at quæ uergit ad Occidentem, alij Aethiopes colunt, quos Symnos uocant. à septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica nauigiorum spolijs quæstiuosa: quippe obsident litora, & æstu destituta nauigia notis sibi uadis occupant. Incole nemoris, quos Hammonios uocant, dispersis tugurijs habitant: medium nemus pro arce habent triplici muro circumdatum. Prima munitio tyrannorum ueterem regiam clausit. in proxima coniuges eorum cum liberis & pellicibus habitant: hic quoque dei oraculum est. ultima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. Est etiam aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, aquam solis uocant: sub lucis ortum tepida manat: medio die, cum uehementissimus est calor, frigida eadem fluit: inclinato in uesperam, calefcit: media nocte seruida exæstuat, quoq; propius nox uergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrefcit, donec sub ipsum dici ortum assueto tempore languescat. Id, quod pro deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam*

*uulgò dijs artifices accommodauerunt. Umbilico maxime  
 similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus.  
 Hunc, cum responsum petitur, nauigio aurato gestat sacer-  
 dotes, cum multis argenteis pateris ab utroque nauigij la-  
 tere pendentibus. Sequuntur matronæ uirginesq; , patrio  
 more inconditum quoddam carmen canentes, quo propicia-  
 ri Iouem credunt, ut certum edat oraculum. At tum qui-  
 dem regem propius adeuntem, maximus natu è sacerdoti-  
 bus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iouem redde-  
 re affirmans. Ille se uerò ait & accipere & agnoscere, hu-  
 manæ sortis oblitus. consuluit deinde, an totius orbis impe-  
 rium fati sibi destinaret. uates æquè in adulationem com-  
 positus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. Post hæc  
 institit querere, an omnes parentis sui interfectores pœ-  
 nas dedissent. Sacerdos parentem eius negat ullius scelere  
 posse uiolari: Philippi autem omnes interfectores luisse sup-  
 plicia: adiecit, inuictum fore, donec excederet ad deos. Sa-  
 crificio deinde factò, dona & sacerdotibus & deo data  
 sunt, permissumq; amicis, ut ipsi quoq; consulerent Iouem.  
 Nihil amplius quæsiuerunt, quàm, an autor esset sibi diui-  
 nis honoribus colendi suum regem. Hoc quoque acceptum  
 fore Ioui, uates respondit, ut ipsi uictorem regem diuino  
 honore colerent. Verè & salubriter æstimanti fidem ora-  
 culi, uana profectò responsa uideri potuissent. Sed fortuna  
 quos uni sibi credere coëgit magna ex parte auidos glo-  
 riæ magis quàm capaces facit. Iouis igitur filium se non so-  
 lum appellari passus est, sed etiam iussit: rerumq; gestarum  
 famam dum augere uult, tali appellatione corruptit. Et  
 Macedones assueti quidem regio imperio, sed maiore li-  
 bertatis umbra, quàm cæteræ gentes, immortalitatem affe-  
 ctantem contumacius, quàm aut ipsis expediebat, aut regi,*

auersati sunt. Sed hæc suo quæque tempore reseruentur,  
 nunc cætera exsequi pergam. Alexander ab Hammone  
 rediens, ut ad Mareotim paludem haud procul insula Pha-  
 ro sitam uenit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa  
 insula statuerat urbem nouam condere. Inde, ut apparuit,  
 magnæ sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum,  
 ubi nunc est Alexandria, appellationem trahens ex nomi-  
 ne auctoris: complexus quicquid loci est inter paludem &  
 mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat: &  
 qui edificandæ urbi præessent relictis, Memphim petit.  
 Cupido haud iniusta quidem, cæterum intempestiua inces-  
 serat, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiam  
 inuasere. Memnonis Titoni que celebrata regia cognoscen-  
 de uetustatis auidum trahebat penè extra terminos solis.  
 Sed imminens bellum, cuius multò maior supererat moles,  
 otiose peregrinationi tempora exemerat. Itaque Aegypto  
 præfecit Aeschylum Rhodium, & Peucestem Macedo-  
 nem, quatuor millibus militum in præsidium regionis eius  
 datis: claustra Nili fluminis Polemonem tueri iubet, x x x.  
 ad hoc triremes datæ. Africæ deinde, quæ Aegypto iuncta  
 est, præpositus Apollonius, uestigalibus eiusdem Africæ  
 Aegypti que Cleomenes. Ex finitimis urbibus commigrare  
 Alexandriam iussis, nouam urbem magna multitudine im-  
 pleuit. Fama est, cum rex urbis futuris muris polentam, ut  
 Macedonum mos est, destinasset, auium greges aduolasse,  
 & polentam esse pastas. Cumq; id omen pro tristi à pleris-  
 que esset acceptum: respondisse uates, magnam illam ur-  
 bem aduenarum frequentiam culturam, multisq; eam ter-  
 ris alimenta præbituram. Regem, cum secundo anne de-  
 fluxeret, assequi cupiens Hector Parmenionis filius eximio  
 ætatis flore in paucis Alexandro charus, paruum nau-  
 gium

gium conscendit, pluribus quàm capere posset impositis. Itaq; merisa nauis omnes destituit. Hector diu flumini ob-  
 luctatus, cum madens uestis & astricti crepidis pedes na-  
 tare prohiberent, in ripam tamen semianimis euasit, & ut  
 primum fatigatus spiritum laxauit, quem metus & peri-  
 culum intenderant, nullo adiuuante, quippe in diuersum  
 euaserant alij, exanimatus est. Rex amissi eius desiderio  
 uehementer affluctus est, repertumque corpus magnifico  
 extulit funere. Onerauit hunc dolorem nuntius mortis An-  
 dromachi, quem præfecerat Syriæ: uiuum Samaritæ cre-  
 mauerat: ad cuius interitum uindicandum, quanta maxi-  
 mè celeritate potuit, contendit: aduenienti que sunt traditi  
 tanti sceleris autores. Andromacho deinde Memnona  
 substituit, affectis supplicio, qui prætorem interemerant.  
 Tyrannos inter eos Methymnæorum Aristonicum, &  
 Chrysolæum popularibus suis tradidit, quos illi è muris ob  
 iniurias tortos necauerunt. Atheniensium deinde Rhodio-  
 rumque & Chiorum legatos audit. Athenienses uictori-  
 am gratulabantur, & ut captiui Græcorum suis restitue-  
 rentur, orabant. Rhodij & Chij de præsidio quereban-  
 tur: omnes ea, quæ desiderare uisi, impetrauerunt. Mity-  
 lenæis quoque, ob egregiam in partes suas fidem, & pecu-  
 niam, quam in bellum impenderant, obsides reddidit, &  
 magnam regionem finibus eorum adiecit. Cypriorum quoque  
 regibus, qui & à Dario defecerant, ad ipsum, & oppu-  
 gnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habi-  
 tus est. Amphoterus deinde classem præfectus ad liberan-  
 dam Cretam missus (namque & Persarum & piratarum ar-  
 mis pleraque eius insule obsidebantur) ante omnia mare à  
 piraticis classibus uendicare iussus: quippe obnoxium præ-  
 donibus, erat in bellum utroque rege conuerso. His compo-

sitis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pate-  
 ris dicit, imminensq; Dario, iter ad Euphratem pronun-  
 ciari iussit. At Darius cum Aegypto diuertisse in Africam  
 hostem comperisset: dubitauerat, utrum ne circa Mesopo-  
 tamiã subsisteret, an interiora regni sui peteret, haud  
 dubie potentior autor praesens futurus ultimis gentibus  
 impigre bellum capessendi, quas egre per praefectos su-  
 os moliebatur. Sed ut idoneis autoribus fama uulgauit,  
 Alexandrum cum omnibus copijs, quamcumq; ipse adisset  
 regionem, petiturum, haud ignarus quam cum strenuo res  
 esset: omnia longinquarum gentium auxilia Babyloniam  
 contrahi iussit. Caesariani, Scythaeq; & Indi conuenerant.  
 Nam & ceterarum gentium copiae partibus simul affue-  
 runt. Ceterum cum dimidio ferme maior esset exercitus,  
 quam in Cilicia fuerat: multis armis deerant, quae summa  
 cura comparabantur. Equitibus equisq; tegumenta erant  
 ex ferreis laminis serie inter se connexis. Quae antea praeter  
 iacula nihil dederat, scuta gladijque adiciebantur. Equo-  
 rum domandi greges peditibus distributi sunt, ut maior  
 pristino esset equitatus: ingensq; (ut crediderat) terror ho-  
 stium ducentae falcatae quadrigae unicum illarum gentium  
 auxilium secutae sunt. Ex summo temone haste praefixae fer-  
 ro eminebant. Vtrinque a iugo ternos direxerant gladios,  
 & in radijs rotarum plura spicula eminebant in aduersum.  
 Aliae deinde falces submissae rotarum orbibus haerebant,  
 & aliae in terram demissae, quicquid obuium concitatis e-  
 quis fuisset amputatae. Hoc modo instructo exercitu, ac  
 perarmato Babylone copias mouit. A parte dextera erat  
 Tigris nobilis fluius, leuam tegebat Euphrates, agmen Me-  
 sopotamiae campos impleuerat. Tigri deinde superato, cum  
 audisset haud procul abesse hostem: Satropacem equitum  
 praefi

*præfectum cum mille delectis præmisit. Mazæo prætori  
 sex millia data, quibus transitu amnis arceret. Eidem man-  
 datum, ut regionem, quam Alexander esset aditurus, popu-  
 laretur, atq; ureret: quippe credebat, inopia debellari pos-  
 se nihil habentem, nisi quod rapiendo occupasset. Ipsi au-  
 tem commeatus alij terra, alij Tigri amne subuehebantur.  
 Iam peruenerat ad Arbellam uicium nobilem sua clade fa-  
 cturus: hic commeatum sarcinarumq; maiore parte depo-  
 sita, Lycum amnem ponte iunxit, & per dies quinq;, sicut  
 ante Euphratem, traiecit exercitum. Inde octoginta serē  
 stadia progressus ad alterum amnem, Boumello nomen est,  
 castra posuit. Opportuna explicandis copijs regio erat,  
 equitabilis & uasta planities: ne stirpes quidem & breuia  
 uirgulta operiūt solum, liberq; prospectus oculorum, etiam  
 quæ procul recessere, permittitur. Itaq;, si quæ campi emi-  
 nebant, insit æquari, totumq; fastigium extendi. Alexan-  
 dro, qui numerum copiarum eius, quantum coniectari po-  
 terant, æstimabant, uix fecerunt fidem tot nullibus cæsis,  
 maiores copias esse reparatas. Cæterum omnis periculi, &  
 maximæ multitudinis cōtemptor, undecimis castris peruē-  
 nit ad Euphratem: quo pontibus iuncto, equites primos ire,  
 phalangem sequi iubet, Mazæo, qui ad inhibendum tran-  
 situm eius cum sex nullibus equitum occurrerat, non auso  
 periculum sui facere. Paucis deinde non ad quietem, sed ad  
 reparandos animos diebus datis militi, strenuè hostem in-  
 sequi cœpit, metuens, ne interiora regni sui peteret, sequen-  
 dusq; esset per loca omni solitudine atque inopia uasta. Igi-  
 tur quarto die præter Arbellam penetrat ad Tigrim. To-  
 ta regio ultra amnem recenti fumabat incendio: quippe  
 Mazæus quæcūq; adierat, haud secus quàm hostis urebat.  
 Et primo caligine, quam fumus effuderat, obscurante lu-*

cem, insidiarum metu substitit. Deinde ut speculatores præ-  
 missi tuta omnia nuntiauerunt, paucos equitum ad tenta-  
 dam uadum fluminis præmisit: cuius altitudo primo sum-  
 ma equorum pectora, mox ut in medium alueum uentum  
 est, ceruices quoq; æquabat: nec sanè alius ad Orientis pla-  
 gam tam uiolentus inuehitur, multorum torrennium non  
 aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaq; à celerita-  
 te, qua defluit, Tigri nomen est inditum: quia Persica lin-  
 gua Tigrim sagittam appellant. Igitur pedes uelut diuisus  
 in cornua, circumdato equatatu, leuitatis super capita ar-  
 mis, haud ægrè ad ipsum alueum penetrat. Primus inter  
 pedites rex egressus in ripam, uadū militibus manu (quan-  
 do uox exaudiri non poterat) ostendit: sed gradum firma-  
 re uix poterant, cum modo saxa lubrica uestigium fallerēt,  
 modò rapidior unda subduceret. Præcipuus erat labor eo-  
 rum, qui humeris onera portabant: quippe cum semetip-  
 sos regere non possent, in rapidos gurgites in commodo  
 onere auferrebantur. Et dum sua quisq; spolia consequi stu-  
 det, maior inter ipsos, quàm cum amne orta luctatio est, cu-  
 muliq; sarcinarum passim fluitantes plerosq; perculerant.  
 Rex monere, ut satis haberent arma retinere, cætera se  
 redditurum: sed neq; consilium, neq; imperium accipi po-  
 terat. Obstrepebat hinc metus, præter hunc inuicem na-  
 tantium mutuus clamor. Tandem quàm leuiore tractu amnis  
 aperit uadum, emertere, nec quicquam præter paucas sar-  
 cinas desideratum est. Deleri potuit exercitus, si quis ausus  
 esset uincere. Sed perpetua fortuna regis auertit inde ho-  
 stem. Sic Granicum, tot millibus equitum peditumq; in ul-  
 teriore stantibus ripa superauit: sic angustiis in Cilicie  
 callibus tantam multitudinem hostium. Audacie quoq; qua  
 maximè uiguit, ratio minui potest: quia nunquam in discri-

men uenit. An temerè fecit & Mazæus, qui si transeuntibus flumen superuenisset, haud dubiè oppressurus incompósitos, in ripa demum & iam per armatos ad equitare cœpit. Mille admodum equites præmiserat, quorū paucitate Alexander explorata, deinde contempta, præfectum Pæonum equitum Aristonā laxatis habenis inuehi iussit. Insignis eodīe pugna equitum, & præcipue Aristonis fuit. Præfectum equitatus Persarum Satropacem directā in gutture hastā transfixit, fugientemq; per medios hostes consecutus, ex quo præcipitauit, & obluētanti caput gladio dempsit, quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit. Biduo ibi rex statina habuit, in proximum deinde iter pronuntiari iussit. Sed prima serè uigilia, luna deficiēs primum nitorem syderis sui condidit. Deinde sanguinis colore suffuso, lumen omne foedauit, sollicitis que sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, & ex ea formido quædam incussa est. Dijs inuitis in ultimas terras trahi se querebantur. Iam nec flumina posse adiri, nec sydera pristinum præstare fulgorem. Vastas terras, deserta omnia occurrere: in unius iactationem tot nullium sanguinem impendi. Fastidio esse patriam, abdicari Philippum patrem, cælum uanis cogitationibus petere. Iam prope seditionem res erat, cum ad omnia interritus, duces principes que militum frequentes adesse prætorio, Aegyptios que uates, quos cœli ac syderum peritissimos credebat, quid sentirent, expromere iubet. At illi, qui satis scirent temporum orbis implere destinatas uices, lunam que deficere, cum aut terram subiret, aut sole premeretur, rationem quidem ipsis perceptam non edocent uulgus: cæterum affirmant, Solem Græcorum, Lunam esse Persarum: quoties que illa deficiat, ruinastragemq; illis gentibus portendi: ueteraq; exempla percen-



sent *Perfidis regum*, quos *aduersis dijs pugnasse*, *Lunæ ostendisset defectio*. *Nulla res efficacius multitudinem regit*, quàm *superstitio*: *alioquin impotens, sæua, mutabilis*, ubi *uana religione capta est*, *melius uatibus quàm ducibus suis paret*. *Igitur edita in uulgus Aegyptiorum responsa*, *rursus ad spem & fiduciam erexere torpentes*. *Rex impetu animorum utendum ratus*, *secunda uigilia castra mouit*. *Dextra Tigrim habebat: à leua montes*, quos *Gordeos uocant*. *Hoc ingresso iter speculatores*, qui *præmissi erant sub lucis ortum Darium aduentare nuntiauerunt*. *Instructo igitur milite*, & *composito agmine*, *antecedat*. *Sed Persarum exploratores erant mille ferme*, qui *speciem agminis magni fecerant*: quippe ubi *explorari uera non possunt*, *falsa per metum augurantur*. *His cognitis*, *rex cum paucis suorum affecutus agmen refugientium ad suos*, *alios cecidit*, *alios cepit*, *equitesq; præmisit simul speculatum*, *simul ut ignem*, quo *Barbari cremauerant uicos*, *extinguerent*: quippe *fugientes raptim tectis aceruisq; frumenti iniecerant flammam*, *que cum in summo hæssissent*, *ad inferiora nondum penetrauerant*. *Extincto igitur igne*, *plurimum frumenti repertum est*. *Copia aliarum quoque rerum abundare coeperunt*. *Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit*: quippe *urente & populante eo terram*, *festinandum erat*, *ne incendio cuncta præriperet*. *In rationem ergo necessitas uersa*: quippe *Mazeus*, qui *antea per otium uicos incenderat*, *iam fugere contentus*, *pleraque inuiolata hosti reliquit*. *Alexander haud longius centum quinquaginta stadijs Darium abesse compererat*. *Itaque ad satietatem quoque copia comeatuum instructus*, *quatruiduo in eodem loco substitit*. *Interceptæ deinde Darij literæ sunt*, quibus *Græci milites*

solicitabantur, ut Regem interficerent, aut proderent: dubitavitq; an eas pro concione recitaret, satis confisus Græcorum quoq; erga se benevolentia ac fidei. Sed Parmenio deterruit, esse talibus promissis imbuendas aures militū: affirmans patere uel unius insidijs Regem: nihil nefas esse aurtitiae. Secutus consilij autorem, castra mouit. Iter facienti, spado unus ex captiuis, qui Darij uxorem comitabatur, deficere eam nuntiat, & uix spiritum ducere. Itineris continui labore animiq; ægritudine fatigata, inter socrus & uirginum filiarum manus collapsa erat, deinde & extincta. Idipsum nuntians alius superuenit. Et Rex haud secus, quam si parentis suæ mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus: lacrymis que obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darij defuncto assistens corpori, uenit. Hic uerò renouatus est moeror, ut prostratam humi uidit: recenti malo priorum quoq; admonita, receperat in gremiū adultas uirgines, magna quidē mutui doloris solatia: sed quibus ipsa deberet esse solatio. In conspectu erat nepos paruulus, ob id ipsum miserabilis, quòd nondum sentiebat calamitatem maxima ex parte ad ipsum redundantem. Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, & solatia non adhibere, sed querere: cibo certe abstinuit, omnemq; honorem funeri patrio Persarum more serauit, dignus hercule, qui nunc quoque tantum mansuetudinis & continentia frater fructum. Semel omnino eam uiderat, quo die capta est, nec ut ipsam, sed ut Darij matrem uideret, eximiam que pulchritudinem formæ eius non libidinis habuerat incitamentum, sed gloriæ. E' spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, que quia ab hoste auersa erat, lenius custodiebatur, ad Darij castra per-

uenit: exceptusque à uigilibus, in tabernaculam Regis perducitur gemens, & ueste lacerata: quem ut conspexit Darius, multiplici doloris expectatione commotus, & quid potissimum timeret, incertus: Vultus tuus, inquit, nescio quod ingens malum præfert: sed caue miseri hominis auribus parcas: didici enim esse infelix, & sæpe calamitatis solatiu[m] est, nosse sortem suam. Nunquid, quod maximè suspicor, & loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es, mihi, & (ut credo) ipsis quoq; omni grauiora supplicio? Ad hæc Tyriotes, Istud quidem procul abest, inquit. Quantuscunque enim reginis honor ab ijs, qui parent, haberi potest, tuis à uictore seruatus est: sed uxor tua paulò antè excessit è uita. Tum uerò non gemitus modò, sed etiam ciuilius totis castris exaudiebantur, nec dubitauit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati: exclamat que amens dolore: Quod ego tantum nefas commisi Alexander? quem tuorum propinquorum necaui, ut hanc uicem sæuitiæ meæ reddas? Odisti me, non quidem prouocatus. Sed finge iustum intulisse te bellum: cum sceminis ergo agere debueras? Tyriotes affirmare per Deos patrios, nihil in eam grauius esse consultum. Ingemuisse etiam Alexandrum morti, & non parcius fleuisse, quàm ipse lacrymaretur. Ob hæc ipse amanti animus in solitudinem suspicionemq; reuolutus est, desiderium captiue profectò à consuetudine stupri ortum esse cõiectans. Submotis igitur arbitris, uno duntaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans, Vides ne in te Tyriote locum mendacio non esse? Tormenta iam hic erunt: sed ne expectaueris per Deos, si quid tibi tui Regis reuerentiæ est, num, quod & scire expecto, & querere pudet, ausus est & dominus & iuuenis, Ille quæstioni corpus offerre, deos

*testes inuocare, castè sanctèq; habitam esse reginam. Tandem, ut fides facta est, uera esse quæ affirmaret spado, capite uelato diu fleuit: manantibus quæ adhuc lacrymis, ueste ab ore reiecta, ad coelum manus tendens, Dij patrij, inquit, primùm mihi stabilite regnum: deinde, si de me iam transfactum est, precor ne quis Asiæ Rex sit, quàm iste tam iustus hostis, tam misericors uictor. Itaq; quâquam pace frustra bis petita, omnia in bellum consilia conuerterat: uictus tamen continentia hostis, ad nouas pacis condiciones ferendas decem legatos cognatorum principes misit: quos Alexander, consilio aduocato, introduci iussit. è quibus maximus natu: Darium, inquit, ut pacem à te iam hoc tertio peteret, nulla uis subegit, sed iustitia & continentia tua expressit. Matrem, contugem, liberosq; eius, nisi quòd sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitie earum, quæ supersunt, curam haud secus quàm parens agens, reginas appellas, speciem pristinae fortunæ retinere pateris. Vultum tuum uideo, qualis Darij fuit, cum dimitteremur ab eo: & ille tamen uxorem, tu hostem luges. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturæ eius moraretur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? Quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo finem destinabat Alym amnem, qui Lydiam terminat. Nunc quicquid inter Hellepontum & Euphratem est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit. Occhum filium, quem habes, pacis & fidei obsidem retine. Matrem, & duas uirgines filias, redde. pro tribus corporibus triginta millia talentum auri, precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice quantum post te reliqueris, intueri quantum petas. Periculosum est prægra-*

ue imperium : difficile est continere , quod capere non possis. Vides ne ut nauigia , quæ modum excedunt , regi nequeant : nescio an Darius ideo tam multa amiserit , quia nimis opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est quædam uincere , quàm tueri : quàm herculè expeditius manus nostræ rapiunt , quàm continent. Ipsa mors uxoris Darij te admonere potest , minus iam misericordiæ tuæ licere , quàm licuit. Alexander , legatis excedere tabernaculo iussis , quid placeret , ad consilium refert. Diu nemo , quid sentiret , ausus est dicere , incerta Regis uoluntate. Tandem Parmenio : Antè suasissem , ait , ut captiuos apud Damascum redimentibus redderes , ingentem pecuniam potuisse redigi ex ijs , qui multi uincti uirorum fortium occupauerant manus. Et nunc magnopere censerem , ut unam anum , & duas puellas itineram agminumq; impedimenta , triginta millibus talentis auri per mutes. Opimum regnum occupari posse conditione , non bello : nec quenuquam alium inter Istrum & Euphratem possedisse terras ingenti spatio interualloq; discretas. Macedoniam quoq; respiceret potius , quàm Bactra & Indos intueretur. Ingrata oratio Regi fuit. Itaq; , ut finem dicendi fecit : Et ego , inquit , pecuniam quàm gloriam malle , si Parmenio essem. Nunc Alexander de paupertate securus sum , & me non mercatorem meministi esse , sed Regem. Nihil quidem habeo uenale : sed fortunam meam utiq; non uendo. Captiuos , si placet reddi , honestius dono dabimus , quàm pretio remitemus. Introductis deinde legatis , adhuc modum respondit : Nuntiate Dario , gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse , & me , quæ fecerim elementer & liberaliter , non amicitie eius tribuisse , sed nature meæ : nec aduersus calamitates , sed aduersus hostium uires contendere. bellum cum captiuis & foeminis gerere

non soleo : armatus sit oportet , quem oderim . quòd si saltem pacem bona fide peteret , deliberarem forsitan an darem . Verum enimvero cum modò milites meos literis ad proditionem , modò amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet , ad internitionem mihi persequendus est , non ut iustus hostis , sed ut percussor ueneficus . Conditiones uerò pacis quas fertis , si accepero , uictorem eum faciunt . Quæ post Euphratem sunt , liberaliter donat . Vbi igitur me affamini ? nempe obliti estis . nam ultra Euphratem sum . Summum ergo dotis , quam promittit , terminum castra mea transeunt . Hinc me depellite , ut sciam uestrum esse quod ceditis . Eadem liberalitate dat mihi filiam suam , nempe quam scit alicui seruorum suorum nupturam . Multum uerò mihi præstat , sine me Mazæo generum præponit . Ite , nuntiate Regi uestro , & quæ amisit , & quæ adhuc habet , præmia esse belli . Hoc regente utriusq; terminos regni , id quengue habiturum , quod proximæ lucis assignatura fortuna est : & me in Asiam non uenisse , ut ab alijs acciperem , sed ut alijs darem . Si secundus , & non par mihi uellet haberi , facerem forsitan quæ petit . Ceterum nec mundus duobus solibus potest regi , nec duo summa regna saluo statu terrarum potest habere . Proinde aut deditionem hodie , aut in crastinum bellum paret : nec aliam sibi , quàm expertus est , pollicatur fortunam . Legati respondent , Cum bellum in animo sit , facere eum simpliciter , quòd spe pacis non frustraretur : ipsos petere , quamprimum dimittantur ad Regem , eum quoq; bellum parare debere . Dimissi nuntiant adesse certamen . Ille quidem confestim Mazæum cum tribus milibus equitum , ad itinera , quæ hostis petiturus erat , occupanda præmisit . Alexander , corpori uxoris eius iustis persolutis , omniq; grauiore comitatu intra eadem munimenta cum modico

dico præsidio relicto, ad hostem contendit. Duo cornua diuisa erant peditum, in utrunq; latus equite circumdato: impedimenta sequebantur agmen præmissum. Deinde concitis equitibus Menidam iubet explorare, ubi Darius esset. At ille, cum Mazæus haud procul consedisset, non ausus ultrà procedere, nihil aliud quàm fremitum hominum hinnitumq; equorum exaudisse nuntiat. Mazæus quoq; conspectis procul exploratoribus, in castra se recipit, aduentus hostium nuntius. Igitur Darius, qui in patentibus campis decernere optabat, armari militem iubet, aciemq; disponit. In Leuo cornu Bactriani ibant equites mille admodum. Dabæ uerò totidem, & Arachosij Susij que quatuor nullia explebant. Hos centum falcati currus sequebantur. Proximus quadrigis erat Bessus cum octo millibus equitum Bactrianis. Massagete duobus millibus agmen eius claudebant. pedites his plurimum gêrium non mixtas, sed suæ quisq; nationis, iunxerant copias. Persas deinde cum Mardis, Sogdianiq;, Ariobarzanes & Oriobates ducebant: illi partibus copiarum, summæ Orsines præerat, à septem Persis oriundus, ad Cyrum quoq; nobilissimum Regem originem sui referens. Hos aliæ gentes, ne socijs quidem satis notæ, sequebantur. Post quas quinquaginta quadrigas Cradates magno Caspianorum agmine antecedebat. Indi cæteri que rubri maris accolæ, nomina uerius quàm auxilia, post currus erant. Claudebatur hoc agmen alijs falcatis curribus quinquaginta, quæcis peregrinum militem adiunxerat. Hunc Armenij, quos minores uocât, Armenios Babylonij, utrosque Bellitæ, & qui montes Cossæorum incolunt, sequebantur. Post hos Gortuæ, gêtes quidem Euboicæ Medos quondam secuti, sed iam degeneres & patrij moris ignari. Applicuerat his Phrygas & Cætonas. Parthorum deinde

gens,

gens, incolentium terras quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen. Hæc sinistri cornu acies fuit, dexterum tenebat natio maioris Armeniæ, Cadusijq; & Cappadoces, & Syri & Medi. his quoque falcati currus erant quinquaginta. summa totius exercitus, equites xlv. millia, pedestris acies cc. millia expleuerat. Hoc modo instructi, decem stadia procedunt, iussuque subsistere armati, hostem expectabant. Alexandri exercitum pauor, cuius causa non suberat, inuasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Cæli fulgor tempore æstiuo ardenti similis internitens, ignis præbuit speciẽ, flammamq; ex Darij castris splendere uelut illatas temerè præsidijs credebant. Quod si percussis Mazæus, qui præsidebat itineri, superuenisset: ingens clades accipi potuit. Ille segnis in eo, quem occupauerat, tumulto sedit, contentus non laceßi. Alexander, cognito pauore exercitus, signum ut consisterent dari, ipsos arma deponere, ac leuare corpora iubet: admonens, nullam subiti causam esse timoris, hostem procul stare. Tandẽ compotes sui pariter arma & animos recepere, nec quicquam ex præsentibus tutius uisum est, quàm eodem loco castra munire. Postero die Mazæus, qui cum delectis equitum in edito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consererat, siue metu, siue quia speculari modò iussus erat, ad Darium redijt, Macedones eum ipsum collem, quem deseruerat, occupauerunt. nam & tutior planicie erat, & inde acies hostium, que in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, uniuersam quidem rei faciem non abstulit, ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundauerat campos, fremitusque tot  
mill



millium etiam proculstantium aures impleuerat. Fluctuabatur animo Rex, & modo suum, modò Parmenionis consilium sera estimatione perpendere: quippe eò uentum erat, unde recipi exercitus, nisi uictor, sine clade non posset. Mouebat etiam eum multitudo hostium, respectu paucitatis sue gentis. Sed interdum reputabat, quantas res cum hoc gente gessisset, quantosq; populos fudisset. Itaq; cum spes metum uinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret: dissimulato eo, mercenarium equitem & Pænas præcedere iubet. Ipse phalangem (sicut antea dictum est) in duo cornua extenderat. Vtrunque cornu equites tegebant. Iam' que nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat: & Macedones siue alacritate, siue tædio expectationis, ingentem pugnantium more edidere clamorem: redditus & à Persis, nemora ualles' que circumiectas terribili sono impleuerat. Nec iam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem tumulo castro munire, uallum iaci iussit: strenue' que opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciabatur, successit. Tum uerò uniuersa futuri discriminis facies in oculis erat, armis insignibus equi uiriq; splendebant, & omnia intentiore cura præparari. Apud hostem sollicitudo Prætorum agmina sua interequitantium ostendebatur, ac pleraq; inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentiũ fulgor, sollicitam expectatione mentem turbauerant. Igitur, siue dubius animi, siue ut suos experiretur, consilium adhibet, quid optimum factu esset exquirens. Parmenio peritissimus inter Duces artium belli, furto, non prælio opus esse censebat: in-  
 tempesta nocte opprimi posse hostes: discordes mori-  
 bus,

bus, linguis, ad hæc somno & improviso periculo ter-  
 ritos, quando in nocturna trepidatione coituros? at interdum  
 primam terribiles occurrentes facies Scytharum, Bactriano-  
 rumq;: hirta illis ora, & intonsas comas esse, præterea exi-  
 miam uastorum magnitudinem corporum, uanis & mani-  
 bus militem magis quàm iustis formidinis causis moueri.  
 deinde tantam multitudinem circumfundi paucioribus pos-  
 se. Non in Ciliciæ angustijs & inuis callibus, sed in aper-  
 ta & lata planicie dimicandum fore. Omnes ferme Parme-  
 nioni assentiebant. Polypercon haud dubie in eo consilio  
 positam uictoriam arbitratur, quem intuens rex (nanque  
 Parmenionem nuper acrius quàm uellet increpitum, rur-  
 sus castigare non sustinebat) Latrunculorum, inquit, &  
 furum ista solertia est, quam præcipitis mihi: quippe illo-  
 rum uotum unicum est, fallere. Meæ uerò gloriæ semper  
 aut absentiam Darij, aut angustias locorum, aut furtum  
 noctis obstare non patiar: palam luce aggredi certum est.  
 Malo me fortunæ pœniteat, quàm uictoriæ pudeat. Ad  
 hæc illud quoq; accedit, uigilias agere Barbaros, & in ar-  
 mis stare, ut ne decipi quidem possint, compertum habeo.  
 Itaq; ad prælium uos parate. Sic incitatos, ad corpora cu-  
 randa dimisit. Darius illud, quod Parmenio susserat, ho-  
 stem facturum esse coniectans, frænatos equos stare, ma-  
 gnamq; exercitus partem in armis esse, ac uigilias intètiore  
 cura seruari iusserat. Ergo ignibus tota eius castra fulge-  
 bant. Ipse cum ducibus propinquisq; agmina in armis stan-  
 tium circuibat, Solem & Martem sacrumq; & æternum  
 inuocans ignem, ut illis dignam uetere gloria maiorumq;  
 monumentis fortitudinem inspirarent. & profectò, si qua  
 diuinæ opis auguria humana mente concipi possent, deos  
 stare secum: illos nuper Macedonum animis subitam incus-

sisse formidinem, adhuc lymphatos ferri agiq; arma iacien-  
 tes. Expetere præsides Persarum imperij deos debitas è  
 uecordibus poenas, nec ipsum ducem saniozem esse: quippe  
 ritu serarum prædam modo, quam expeteret, intuentem,  
 in perniciem, quæ ante prædam posita esset, incurrere. Si-  
 milis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctem que,  
 uelut in eam certamine edicto, metu egerunt. Alexander  
 non alias magis territus, ad uota & preces Aristandrum  
 uocari iubet. Ille in candida ueste uerbenas manu præse-  
 rens, capite uelato præibat preces regis, Iouem, Miner-  
 uam Victoriã que propitiantis. Tunc quidem sacrificio  
 ritè perpetrato, reliquum noctis acquieturus, in taberna-  
 culum redijt. Sed nec somnium capere, nec quietem pati po-  
 terat: modo è iugo montis aciem in dexterum Persarum  
 cornu demittere agitabat, modo recta fronte concurrere  
 hosti, interdum hæsitare, an potius in leuum torqueret  
 agmen. tandem grauatum animi anxietate corpus alior  
 somnus oppressit. Iamq; luce orta, duces ad accipienda im-  
 peria conuenerant, insolito circa prætorium silentio at-  
 toniti: quippe aliàs accersire ipsos, & interdum morantes  
 castigare assueuerat: tunc ne ultimo quidem rerum discri-  
 mine excitatum esse mirabantur, & non somno quiescere,  
 sed pauore marcere credebant. non tamen quisquam è cu-  
 stodibus corporis intrare tabernaculum audebat, & iam  
 tempus instabat: nec miles iniussu ducis aut arma capere  
 poterat, aut in ordines ire. Diu Parmenio cunctatus, cibum  
 ut caperent, ipse pronunciat. Iamq; exire necesse erat. tunc  
 demum intrat tabernaculum, sæpius que nomine compella-  
 tum, cum uoce non posset, tactu excitauit. Multa lux, inquit,  
 est. Instructam aciem hostis admouit: tuus miles adhuc in-  
 firmis expectat imperiũ. Vbi est uigor ille animi tui; nem-

se excitare uigiles soles. Ad hæc Alexander: Credis ne me prius somnum capere potuisse, quàm exonerarem animum solitudine, quæ quietem morabatur? signum: quæ pugne tuba dari iussit. & cum in eadem admiratione Parmenio perseueraret, quòd securus somnum cepisset, Minimè, inquit, mirum est. Ego enim, cum Darius terras ureret, uicos excideret, alimenta corrumpere, potens mei non eram. Nunc uerò quid metuam, quum acie decernere paret? Hercule uotum meum impleuit: sed huius quoque consilij ratio postea reddetur. Vos ite ad copias, quibus quisque præest: ego iam adero, & quid fieri uelim, exponam. Raro admodum admonitu amicorum, cum metus discriminis aderat, uti solebat: tunc quoq; munimento corporis sumpto, processit ad milites. Haud aliàs tam alacrem uiderant regem, & uultu eius interrito certam spem uictoriæ augurabantur: atque ille, prorupto uallo exire copias iubet, aciemq; disponit. In dextero cornu locati sunt equites, quos agema appellant. Præerat his Clytus, cui iunxit Philote turmas, cæterosque præfectos equitum lateri eius applicuit. Ultima Meleagri ala stabat, quam phalanx sequebatur. Post phalangem Argyraspides erant. His Nicanor Parmenionis filius præerat, in subsidijs cum manu sua Cœnos. Post eum Horestes Lyncestaq;. Post illos Polypercon, dux peregrini militis. huius agminis Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in societatem nuper ascitos: hæc dexteri cornu facies erat. In leuo Craterus Peloponnesium equites habebat, Acheorumq;, & Locrensiùm, & Maleanensiùm turmis sibi adiunctis: hos Thessali equites claudebant, Philippo duce. peditum acies equitatu tegebatur: frons leui cornu hæc erat. Sed ne circuiiri posset à multitudine, ultimum agmen ualida manu cinxerat,

Cornua quoq; subsidijs firmavit, non recta fronte, sed à latera positus: ut si hostis circumuenire aciem tentasset, parata pugnae forent. Hic Agriani erant, quibus Attalus præerat, adiunctis sagittarijs Cretensibus. ultimos ordines auertit à fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrici hic erant, adiuncto milite mercede conducto. Thracas quoque simul obiecerat leuiter armatos, adeoq; aciem uersatilem posuit, ut qui ultimi stabant, ne circumirentur, uerti tamen in frontem circumagi possent. Itaque non prima, quàm latera, non latera munitiora fuere, quàm terga. His ita ordinatis, præcipit, ut si falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum occurrentium silentio exciperent: haud dubius, sine noxa transfuros, si nemo se opponeret. Sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pauidosq; equos telis utrinq; suffoderent. Qui cornibus præerant, extendere ea iussi, ita ut nec circumuenirentur, si arctius starent, nec tamen mediam aciem exinanirent. Impedimenta cum captiuis, inter quos mater liberiq; Darij custodiebantur, haud procul ab acie in edito colle constituit, modico præsidio relicto. Leuum cornu, sicut aliàs, Parmenioni tyendum datum: ipse in dextro stabat. Nondum ad teli iactum peruenerant, cum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem peruenit, nuncians, murices ferreos in terram defodisse Darium, quàm hostem equites emissurum esse credebat: notatumq; certo signo locum, ut fraus euitari à suis posset. Asseruari transfuga iusso, duces conuocat, expositoq; quod nunciatum erat, monet ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edoceant. Cæterum hoc tantus exercitus exaudire non poterat, usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum:

minum : sed in conspectu omnium , duces , & proximum  
 quenque interequitans alloquebatur. Emensis tot terras in  
 spem uictoriæ, de qua dimicandum foret , hoc unum super-  
 esse discrimen. Granicum hic amnem, Ciliciæq; montes, &  
 Syriam Aegyptumq; præeuntibus raptas , ingentia spei  
 gloriæq; incitamenta restrebat : reprehēsos ex fuga Persas,  
 pugnaturos quia fugere non possent, tertium diem iam me-  
 tu exsanguēs armis suis oneratos in eodem uestigio hære-  
 re. nullum desperationis illorum maius indicium esse, quàm  
 quòd urbes, quòd agros suos urerent : quicquid non corru-  
 pissent , hostium esse confessi. Nomina uero uana gentium  
 ignotarum ne extimescerent : neque enim ad belli discrimen  
 pertinere , qui ab his Scythæ , qui uē Cadusij appellentur :  
 ob id ipsum , quòd ignoti essent , ignobiles esse. nunquam  
 ignorari uiros fortes : at imbelles ex latebris suis erutos,  
 nihil præter nomina afferre . Macedones uirtute assecu-  
 tos, ne quis toto orbe locus esset , qui tales uiros ignora-  
 ret. intuerentur Barbarorum inconditum agmen : alium  
 nihil præter iaculum habere , alium funda saxa librare,  
 paucis iusta arma esse. itaque illinc plures stare, hinc plures  
 dimicaturos. nec postulare se ut fortiter capesserent præ-  
 lium , nisi ipse cæteris fortitudinis fuisset exemplum. se an-  
 te prima signa dimicaturum spondere. pro se , quot cic-  
 trices , totidem corporis decora. scire ipsos unum penè se  
 prædæ communis exortem in illis colendis ornandisq; u-  
 surpare uictoriæ præmia . Hæc se fortibus uiris dicere. si  
 qui dissimiles eorum essent , illa fuisse dicturum : perue-  
 nisse eò , unde fugere non possent , tot terrarum spacia e-  
 mensis , tot amnibus montibusq; post tergum obiectis, iter  
 in patriam & penates manu esse faciendum. Sic duces,  
 si proximi militum instructi sunt . Darius in læuo cornu

erat, magno agmine suorum delectis equitum peditumq;  
 stipatus: contempseratq; paucitatem hostis, uanam aciem  
 esse extensis cornibus ratus. Cæterum sicut curru emine-  
 bat, dextera leuaq; ad circumstantium agmina oculos ma-  
 nusq; circumferens, Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc  
 alluit, illinc claudit Hellespontus, paulò antè domini, iam  
 non de gloria, sed de salute, & quod saluti præponitis,  
 de libertate pugnandum est. hic dies imperium, quo nullum  
 amplius uidit ætas, aut constituet, aut finiet. Apud Grani-  
 cum minima uirium parte cum hoste certauimus. In Cili-  
 cia uictos Syria poterat excipere. Magna munimenta re-  
 gni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eò, unde  
 pulsus ne fugæ quidem locus est. Omnia tam diutino bel-  
 lo exhausta post tergum sunt. Non incolas suos urbes, non  
 cultores habent terræ. Coniuges quoque & liberi sequun-  
 tur hanc aciem, parata hostibus præda, nisi pro charissi-  
 mis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit  
 partium, exercitum, quem penè immensa planicies uix ca-  
 peret, comparauit: equos, arma distribui: commeatus ne tan-  
 tæ multitudini deessent, prouidi: locum, in quo acies ex-  
 plicari posset, elegi. Cætera in uestra potestate sunt: au-  
 dete modo uincere, famamq;, infirmisimum aduersus for-  
 tes uiros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc  
 pro uirtute timuistis: quæ ubi primum impetum effudit,  
 uelut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Hi uerò  
 campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciæ montes  
 absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, me-  
 diam aciem uanam & exhaustam. Nam ultimi, quos lo-  
 cauit auersos, terga iam præbent. obteri me herculè equo-  
 rum unguis possunt, etiam si nil præter falcatos currus  
 emisero. & bello uicerimus, si uincimus prælio. Nam ne

illis quidem ad fugam locus est. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt. Nostrum mobile & expeditum agmen est, illud præda graue. Implicatos ergo spolijs nostris trucidabimus: eademque res & causa uictoriæ erit, & fructus. Quòd si quem è uobis nomen gentis mouet, cogitet Macedonum illinc arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis inuicem hausimus, & semper grauior in paucitate iactura est. Nam Alexander quantuscunque ignauis & timidus uideri potest, unum animat est: & si quid mihi creditis, temerarium & uecors, adhuc nostro pauore, quàm sua uirtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas aspirare uideatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Præterea breues & mutabiles uices rerum sunt, & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata ordinauerunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per CCCXX. annos ad summum fastigium euexerant, magno motu concutere magis quàm affligerent, admonerentq; nos fragilitatis humanæ, cuius nimia in prosperis rebus obliuio est. Modo Græcis ultro bellum inferebamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur inuicem uarietate fortunæ. Videlicet imperium, quod mutuo affectamus, una gens non capit. Cæterum etiam si spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet: ad extrema peruentum est. Matrem meam, duas filias, Occhum in spem huius imperij genitum, illos principes, illam sobolem regiæ stirpis, duces uestros regum instar, uinctos habet: nisi, quod in uobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum. Eripite uiscera mea ex uinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso. Pa-



rentem, liberos (nam coniugem in illo carcere amisi) credite nunc omnes tendere ad uos manus, implorare patrios deos, opem uestram, misericordiam, fidem exposcere, ut seruitute, ut compedibus, ut precario uictu ipsos liberetis. An creditis æquo animo ijs seruire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoueri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus his, quæ dixi, possum esse contentus. Precor uos per deos patrios, æternumque ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit, uindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres, & spe pleni, ut quam gloriam accepistis à maioribus uestris, posteris relinquatis. In dextris uestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quenque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam ut conspici possim, curru uehor: nec recuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauie furo. Interim Alexander (ut est demonstratum à transfuga) cum insidiarum locum circuiret, & Dario, qui Leuum cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum incedere iubet. Darius quoque eodem suum obuertit, Besso admonito, ut Massagetæ equites in Leuum Alexandri cornu inuehi iuberet. Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato uniuersos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis prouiso impetu obtererent. Alios ergo hastæ multum supra temones eminentes, alios ab utroque latere demissæ falces lacerauerunt. Nec sensim Macedones cedebant, sed effusa turbauerant fuga ordines. Mazæus quoque percussis metum incussit,

mille equitibus ad diripienda hostis impedimenta circumuehi iussis, ratus captiuos quoq; qui simul asseruabantur, rupturos uincula, cum suos appropinquantes uidissent. Non sefellera Parmenionem, qui in læuo cornu erat. Propere igitur Polydamanta mittit ad regem, qui & periculum ostenderet, & quid fieri iuberet, consuleret. Ille, audito Polydamante, Abi, nuncia, inquit, Parmenioni, si acie uicerimus, non nostra solum nos recuperaturos, sed omnia que hostium sunt occupaturos. Proinde non est quod quicquam uirium subducat ex acie: sed, ut me & Philippo patre dignum est, contempto sarcinarum damno, fortiter dimicet. Interim barbari impedimenta turbauerant, caesis que plerisque custodum, captiuu, uinculis ruptis, quicquid obuium erat quo armari possent, rapiunt, & aggregati suorum equitibus, Macedonas ancipiti circumuentos malo inuadunt: leti que circa Sysigambim, uicisse Darium, ingenti caede prostratos hostes, ad ultimum etiam impedimentis exutos esse nunciant: quippe eandem fortunam ubique esse credebant, & uictores Persas ad prædam discursisse. Sysigambis, hortantibus captiuis, ut animum à mœrore alleuaret, in eodem, quo antea fuit, perseverauit: non uox ulla excidit ei, non oris color uultus ue mutatus est: sedit immobilis, credo præcoce gaudio uerita fortunam irritare, adeo, ut quid mallet, intuentibus eam fuerit incertum. Inter hæc Amyntas præfectus equitum Alexandri cum paucis turmis opem impedimentis laturus aduenerat, incertum, suo ne consilio, an regis imperio: sed non sustinuit Cadusiorum Scytharum que impetum: quippe uix tentato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis quam uindex. Iam consilium Alexandri uicerat dolor, & ne cura recuperandi sua militem à prælio auerteret, non im-

merito uerebatur. Itaque Areten ducem hastatorum, quos Sarissophoros uocabant, aduersus Scythas mittit. Inter hæc currus, qui circa prima signa turbauerant aciem, in phalangem inuecti erant. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies erat, iunxerant hastas, & ab utroq; latere temerè incurrētium illa suffodiebant. circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt. Ingens ruina equorum aurigarūq; aciem compleuerat. his territos regere non poterant: equi crebra iactatione ceruicium non iugum modo excusserant, sed etiam currus euerterant: uulnerati interfectos trahabant: nec consistere territi, nec progredi debiles poterant. Paucæ tamen euasere quadrigæ in ultimam aciem, ijs, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis: quippe amputata uirorum membra humi iacebant: & quia calidis adhuc uulneribus aberat dolor, trunci quoque & debiles arma non omittebant, donec multo sanguine effuso exanimati procumberent. Interim Arctes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, grauius territis instabat. Superuenere deinde missi à Dario Bactriani, pugnaq; uertère fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obruti sunt, plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Persæ clamore sublato, qualem uictores solent edere, ferociter in hostem quasi ubique profligatum incurrunt. Alexander territos castigare, adhortari, prælium (quod iam elanguerat) solus accendere, confirmatisq; tandem animis ire in hostem iubet. Rarior acies erat in dextero cornu Persarum: nanque inde Bactriani decesserant ad opprimenda impedimenta. Itaque Alexander laxatos ordines inuadit, & multa cæde hostium inuehitur. At qui in leuo cornu erant Persæ, spe, posse eum includi, agmen suum à tergo dimicantis

opponunt : ingensq; periculum in medio hærens adesset, ni equites Agriani calcaribus subditis offusos regi barbaros adorti essent, auersosq; cædendo in se conuerti coëgissent. Turbata erat utraque acies. Alexander à fronte & à tergo hostem habebat : qui auerso ei instabant, ab Agrianis militibus premebantur : & Bactriani, impedimentis hostium direptis reuersi, ordines suos recuperare non poterant. plura simul abrupta à cæteris agmina, ubicunq; aliū alij fors miscuerat, dimicabant. duo reges iunctis propè agminibus prælium accendebant. plures Persæ cadebant, par ferè utrinque numerus uulnerabatur. Curru Darius, Alexander equo uehebatur. utrumque regem delecti tuebantur, sui inmemores : quippe amisso rege nec uolebant salui esse, nec poterant. ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebat egregium. Maximum tamen periculum adibat, qui maximè tuebatur : quippe sibi quisque cæsi regis expetebat decus. Cæterum siue ludibrium oculorum, siue uera species fuit, qui circa regem Alexandrum erant, uidisse se crediderunt paululum super caput regis placide uolantem aquilam, nec sonitu armorum, nec gemitu morientium territam: diuq; circa equum Alexandri pendenti magis, quàm uolanti similis apparuit. Certè uates Aristander alba ueste indutus, & dextera præferens lauream, militibus in pugnam intentis auem monstrauit, haud dubium uictoriæ auspiciū. Ingens ergo alacritas ac fiducia paulò antè territos accendit ad pugnam, utique postea quàm auriga Darij, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec aut Persæ, aut Macedones dubitare, quin ipse rex esset occisus. Lugubri ergo ululatu & incondito clamore gemituq; totam ferè aciem adhuc equo Marte pugnantium turbauere. Cognati Darij & armigeri

geri, Leuum' que tuentes cornu, in fugam effusum destitue-  
 rant curram, quem à dextera parte stipati in medium ag-  
 men receperunt. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse,  
 an fugæ dedecus honesta morte uitaret. Sed eminenti curru,  
 nondum omnem suorum aciem prælio excedentem desti-  
 tuere erubescbat: dumq; inter spem & desperationem hæ-  
 sitat, sensim Persæ cædebant, & laxauerant ordines. Ale-  
 xander mutato equo, quippe plures fatigauerat, resisten-  
 tium aduersa ora fodiebat, fugientium terga. Iam' que non  
 pugna, sed cædes erat, cum Darius quoque currum suum  
 in fugam uertit. hærebat in tergis fugientium uictor, &  
 prospectum oculorum nubes pulueris, que ad cælum fe-  
 rebatur, abstulerat. Ergo haud secus quam in tenebris er-  
 rabant, ad sonitum notæ uocis, ut signum, subinde coeun-  
 tes. Exaudiebantur tantum strepitus habenarum, quibus  
 equi currum trahentes identidem uerberabantur: hæc sola  
 fugientis uestigia excepta sunt. At in Leuo Macedonum  
 cornu, quod Parmenio (sicut antè dictum est) tuebatur,  
 longe alia fortuna utriusque partis res gerebatur. Ma-  
 zæus cum omni suorum equitatu uehementer inuictus, ur-  
 gebat Macedonum alas. Iam' que abundans multitudine,  
 aciem circumuehi cœperat: cum Parmenio equites nun-  
 ciare iubet. Alexandro in quo discrimine, ipsi essent: nisi  
 mature subueniretur, non posse sisti fugam. Iam multum  
 uie processerat rex, imminens fugientium tergis, cum à  
 Parmenione tristis nuncius uenit. refrenare equos iussi qui  
 uehebantur, agmenq; constitit: frendente Alexandro, eri-  
 pi sibi uictoriam è manibus, & Darium felicius fugere,  
 quam sequi se. Interim ad Mazæum superati regis fama  
 peruenerat. Itaque quanquam ualidior erat, fortuna tamen  
 partium territus, percussis languidius instabat. Parmenio

ignorabat quidem causam sua sponte pugnae remissae: sed occasione uincendi strenue est usus. Thessalos equites ad se uocari iubet: Ecquid, inquit, uidetis istos, qui ferociter modo instabant, pedem referre, subito pauore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri fortuna uincit: omnia Persarum caede strata sunt. quid cessatis? an ne fugientibus quidem pares estis? Vera dicere uidebatur, & spes languentes quoque erexerat: subditis calcaribus prouere in hostem: & illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant, nec quicquam fugae, nisi quod terga nondum uerterant, deerat. Parmenio tamen ignarus, quae nam in dextero cornu fortuna regis esset, repreffit suos. Mazæum, dato fugae spacio, non recto itinere, sed maiore & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babyloniam cum reliquijs deuicti exercitus intrat. Darius, paucis fugae comitibus, ad Lycum amnem contenderat: quo traiecto dubitauit an solueret pontem: quippe hostem iam affore nunciabatur. Sed tot millia suorum, quae nondum ad amnem peruenerant, ponte reciso praedam hostis fore uidebat. Abeuntem, cum intactum sineret pontem, dixisse constat: Malle se insequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. Ipse ingens spacium fuga emensus, media serè nocte Arbëllam peruenit. Quis tot ludibria fortunae, ducum agminumq; caedem multiplicem, deuictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc uniuersorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum seculi res in unum illum diem fortuna cumulauit. Alij quâ breuissimum patebat iter, alij diuersos saltus, & ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesq; confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. Deinde misericordia in metum uersa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur.

Sitis præcipue fatigatos & saucios exurebat, passim' que omnibus uis prostrauerat corpora, præterfluentem aquam hianti ore captantes: quam cum diu auidi turbidam haurissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo: resolutis' que & torpentibus membris, cum superuenisset hostis, nouis uulneribus excitabantur. Quidam, occupatis proximis riuis, diuerterant longius, ut quicquid occulti humoris usquam manaret, exciperent. Nec ulla adeo auia & sicca lacuna erat, quæ uestigatium sitim falleret. E' proximis uerò itineri uicis senum ululatus sceminarum' que exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium. Alexander (ut supra dictum est) inhibito suorum cursu, ad Lycum amnem peruenerat, ubi ingens multitudo fugientium onerauerat pontem, & plerique, cum hostis urgeret, in flumen se præcipitauerant, grauesq; armis, & prælio ac fuga defatigati, gurgitibus hauriebantur. Iamq; non modo fugientes, sed ne annis quidem capiebat, agmina sua improuide fugæ subinde cumulantes: quippe ubi intrauit animos pauor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt. Alexander instantibus suis ne impunè abeuntem hostem inde permitteret: hebetia tela esse, & manus fatigatas, tantoq; cursu corpora exhausta, & præceps in noctem diei tempus causatus est: re uera de Leuo cornu, quod adhuc in acie stare credebatur, sollicitus, reuertit ad ferendam opem suis statuit. Iamq; signa conuerterat, cum equites à Parmenione missi, illius quoque partis uictoriam nunciant. Sed nullum eo die maius periculum fuit, quam dum copias reducit in castra. Pauci cum & incompositi sequebantur ouantes uictoria: quippe omnes hostes aut in fugam effusos, aut in acie credebant cecidisse: cum repente ex aduerso apparuit agmen equitum, qui pri-

mo inhibere cursum, deinde Macedonum paucitate conspecta turmas in obuios concitauerunt. Ante signa rex ibat, dissimulato magis periculo quam spreto. Nec desuit ei perpetua in dubijs rebus felicitas. nanque praefectum equitatus audum certaminis, & ob id ipsum incautius in se ruentem, hasta transiit. Quo ex equo lapso, proximum ac deinde plures eodem telo confodit. Inuasere turbatos amici quoque: nec Persae inulti cadebant. quippe non uniuersae acies, quam hae tumultuarie manus, uehementius iniere certamen. Tandem barbari, cum obscura luce fuga tutior uideretur esse quam pugna, diuersis agminibus abiere. Rex extraordinario periculo defunctus, incolumes suos reduxit ad castra. Cecidere Persarum, quorum numerum uictores finire potuerunt, millia quadraginta. Macedonum minus quam CCC. desiderati sunt. Ceterum hanc uictoriam rex maiore ex parte uirtuti, quam fortunae suae debuit: animo, non (ut antea) loco uicit. Nam & aciem peritissime instruxit, & promptissime ipse pugnavit, & magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumque contempsit, cum in ipsa acie summum rei uideret esse discrimen: dubioque adhuc pugnae euentu, pro uictore se gessit: percussos deinde hostes fudit: fugientes, quod in illo ardore animi uix credi potest, prudentius quam auidius persecutus est. Nam si parte exercitus adhuc in acie stante, instare cedentibus perseverasset, aut sua culpa uictus esset, aut aliena uirtute uicisset. Iam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset uictor, aut foede fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. Nec duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt: quippe uulnera, quae quisque excipit, indicia uirtutis sunt. Ephestionis brachium hasta ictum est. Perdicas ac Coenos & Menidas, sagittis prope occisi



occisi. Et si uero estimare Macedonas, qui tunc erant, uolumus: fatebimur, & regem talibus ministris, & illos tanto rege fuisse dignissimos.

## Q. C V R T I I D E

REBUS GESTIS ALEXAN-

DRI MAGNI LI-

BER V.



VAE interim ductu imperio' que Alexandri uel in Græcia, uel in Illyricis ac Thracia gesta sunt, si quæq; suis temporibus reddere uoluero, interrumpendæ sunt res Asiæ: quas utique ad fugam mortemq; Darij uniuersas in conspectu dari, & si cui inter se coherent tempore, ita opere ipso coniungi, haud paulò aptius uideri potest. Igitur antè, que prælio apud Arbellam coniuncta sunt, ordiar dicere. Darius media ferè nocte Arbellam peruenit, eodemq; magnæ partis amucorum eius ac militum fugam fortuna compulerat: quibus conuocatis, exponit, haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas urbes agros' que omni copia rerum abundantes petiturus esset. prædam opimam paratam' que ipsum & milites eius spectare. id suis rebus tali in statu saluti fore: quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Vltima regni adhuc intacta esse: inde bello uires haud ægre reparaturum. Occuparet sanè gazam auidissima gens, & ex longa fame satiaret se auro, mox futuræ prædæ. sibi didicisse usu, pretiosam supellectilem, pellices' que, & spadonium agmina, nihil aliud fuisse, quàm onera & impedimenta. eadem trahentem Alexandrum, quibus antea uicisset, inferiorem fore

fore. Plena omnibus desperationis uidebatur oratio, quippe Babyloniam urbem opulentissimam dedi cernentibus: iam Susam, iam cætera ornamenta regni, causamq; belli uictorem occupaturum. At ille docere pergit, non speciosa dictu, sed usu necessaria in rebus aduersis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro: uiris, non urbium testis: omnia sequi armatos. Sic maiores suos perculos in principio rerum. celeriter pristinam recuperasse fortunam. Igitur siue confirmatis eorum animis, siue imperium magis quam consilium sequentibus, Mediæ fines ingressus est. Paulò post Alexandro traditur Arbella, regia supellectili Darij que gaza repleta: quatuor millia talentum fuere. præterea pretiosæ uestes, totius (ut supra dictum est) exercitus opibus in illam sedem congestis. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum totis iacentium campis uulgauerat, maturius castra mouit. Euntibus à parte læua, Arabia odorum fertilitate nobilis regio campestre iter est. Inter Tigrim & Euphratem iacentia, tam uberi & pingui solo sunt, ut à pastu repelli pecora dicantur; ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque anne manat, toto fere solo per uenas aquarum resudante. Ipsi annes ex Armeniæ montibus profluunt, & magno deinde aquarum diuortio iter, quod cœpere, percurrunt. duo millia & quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniæ montes notaerunt. Iidem cum Mediæ & Gordienorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt: & quo longius manant, hoc angustius inter se spaciū terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam uocant: mediam namq; ab utroq; latere concludunt. Eadem per Babyloniorum fines in rubrum mare prorumpūt. Ale-

*xander quartis castris ad Memnium urbem peruēnit. Cæ-  
 uerna ibi est, ex qua fons ingentem uim bituminis effun-  
 dit, adeò ut satis constet, Babylonios muros ingentis ope-  
 ris huius fontis bitumine interlitos esse. Cæterum Babylo-  
 niam procedenti Alexandro Mazæus, qui ex acie in ur-  
 bem eam confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit,  
 urbem se que dedens. Gratus aduentus eius fuit regi: quippe  
 magni operis futura erat obsidio tam munitæ urbis. Ad  
 hæc uir illustris, & manu promptus, famaq; etiam proxi-  
 mo prælio celebris, & cæteros ad deditionem sui incita-  
 turus exemplo uidebatur. Igitur hunc quidem benignè  
 cum eius liberis excepit. Cæterum quadrato agmine, quod  
 ipse ducebat, uelut in acie irent, ingredi suos iubet. Ma-  
 gna pars Babyloniorum constiterat in muris, auida co-  
 gnoscendi nouum regem. Plures obuiam egressi sunt, inter  
 quos Bagistanes arcis & regie pecunie custos, ne studio  
 à Mazæo uinceretur, totum iter floribus coronisq; cōstra-  
 uerat, argenteis altaribus ab utroque latere dispositis, que  
 non thure modo, sed omnibus odoribus cumulauerat. Eum  
 dona sequebantur, greges pecorum equorūq;, leones quoq;  
 & pardales caueis præferebantur. Magi deinde suo more  
 patrium carmen canentes: post Chaldei, Babyloniorumq;  
 non uates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui gene-  
 ris ibant. laudes ij regum canere soliti. Chaldei syde-  
 rum motus & statas temporum uices ostendere. Equites  
 deinde Babylonij, suo atq; equorum cultu ad luxuriam ma-  
 gis quàm ad magnificentiam exacto, ultinū ibant. Rex  
 armatis stipatus, oppidanorum turbam post ultimos pedi-  
 tes ire iussit. Ipse cum curru urbem, ac deinde regiam in-  
 trauit. Postero die supellectilem Darij, & omnem pecu-  
 niam recognouit. Cæterum ipsius urbis pulchritudo ac ue-  
 nustas,*

nustas, non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet  
 haud immerito conuertit. Semiramis eam condiderat, uel  
 (ut plerique credidere) Belus: cuius regia ostenditur. mu-  
 rus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spaciū  
 triginta & duorum pedum latitudinem amplectitur. qua-  
 drige inter se occurrentes sine periculo commeari dicun-  
 tur. altitudo muri centum cubitorum eminent spacio. turres  
 denis pedibus, quàm murus, altiores sunt. Totius operis  
 ambitus CCC LXVIII. stadia complectitur. singulorum  
 stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse, me-  
 moriæ proditum est. Aedificia non sunt admocta muris, sed  
 ferè spaciū unius iugeri absunt. Ac ne totam quidē urbem  
 tectis occupauerunt. per x c. stadia habitatur: nec omnia  
 contigua sunt, credo quia tutius uisum est, pluribus locis  
 spargi. Cætera serunt colunt'que: ut si externa uis ingruat,  
 obseis alimenta ex ipsius urbis solo subministrant. Eu-  
 phrates interfluit, magnæq; molis crepidinibus coërcetur.  
 Sed omnium operum magnitudinem circumueniunt cauer-  
 næ ingentes, in altitudinem pressæ ad accipiendum impe-  
 tum fluminis: quod ubi appositæ crepidinis fastigium ex-  
 cessit, urbis tecta corripere, nisi essent specus lacusq; qui  
 exciperent. Coctili laterculo structi sunt, totum opus bitu-  
 mine astringitur. Pons lapideus flumini impositus, iungit  
 urbem. hic quoque inter mirabilia Orientis opera numera-  
 tus est: quippe Euphrates altum linum uehit, quo penitus  
 ad fundamenta iacienda egesto, uix sufficiens operi firmū  
 reperiunt solum. Harenæ autem subinde cumulatæ, & sa-  
 xis, quibus pons sustinetur, annexæ, morantur annem: qui  
 retentus, acrius, quàm si libero cursu mearet, illiditur. Ar-  
 cem quoq; ambitu xx. stadia complexam habent: xxx. pe-  
 des in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad LXXX.

*summum munimenti fastigium peruēnit. Super arce uulgatum Græcorum fabulis miraculum, pēsiles horti sunt summam murorum altitudinem æquantes, multarumq; arborum umbra & proccritate amœni. Saxo pile, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris, quo rigant terras: adeo' que ualidas arbores sustinent moles, ut stipites earum octo cubitorum spacium crassitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ sint, ut si terra sua alerentur. Et, quum uetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim excedendo perimat: hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tanti' que nemoris pondere onerata est, inuiolata durat: quippe x x. lati parietes sustinent, undecim pedum interuallo distantes, ut procul uisentibus syluæ montibus suis imminere uideantur. Syriæ regem Babyloniæ regnantem hoc opus esse molitum, memoriæ proditum est, amore coniugis uictum: quæ desiderio nemorum syluarumq;, in campestribus locis uirum compulit amœnitatem naturæ genere huius operis imitari. Diutius in hac urbe quàm usquam constitit rex, nec ullus locus disciplinæ militari magis nocuit. Nihil urbis eius corruptius moribus nec ad irritandas illiciendasq; immodicas uoluptates instructius. Liberos coniugesq; cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitij detur. Parentes mariti' que patiuntur. Conuiuiales ludî tota Perside regibus purpuratisq; cordi sunt. Babylonij maximè in uinum, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fœminarum conuiuia incuntiu in principio modestus est habitus: deinde summa quæque amicula exuunt, paulatimq; pudorem prophanant. ad ultimum (bonos auribus habitus sit) ima corporum uelamenta projiciunt.*

unt. nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum uirorumq; , apud quos comitas habetur uulgati corporis uilitas. Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Asiæ per **xx xiiii.** dies saginatus, ad ea quæ sequebantur discrimina haud dubie debilior futurus fuit, si hostem habuisset. Cæterum quò minus damnum sentirent identidem incremento nouabantur. Namq; Amyntas Andromenis ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit, quingentos præterea eiusdem generis equites. Cum his sexcentos Thracas, adiunctis peditibus suæ gentis **iiii. millibus** & quingentis. & ex Peloponneso mercenarius miles, **iiii. millia** aduenerant cum **ccclxxx.** equitibus. Idem Amyntas adduxerat quinquaginta principum Macedoniae liberos adultos, ad custodiam corporis: quippe inter epulas hi sunt ministri: ijdem que equos ineunti prælium admovent, uenantemq; comitantur, & uigiliarum uices ante cubiculi fores seruant: magnorumq; præsectorum & ducum hæc incrementa sunt, & rudimenta. Igitur arci Babylonie rex Agathone præsidere iusso, cum septingentis Macedonum, trecentisq; mercede conductis, prætores, qui regioni Babylonie & ciuitati præessent, Menetam & Apollodorum reliquit: his duo millia peditum dat cum mille talentis. Vtriq; præceptum, ut in supplementum milites legerent. Mazæum transfugam Satrapia Babylonie donat. Bagistanem qui arcem tradiderat, se sequi iussit. Armenia Mithræni Sardium proditori data est. Ex pecunia deinde Babylonie Macedonibus equitibus sexcenti denarij tributij, peregrinus eques quingenos accepit, ducentis pedestrium stipendium mensum est. His ita compositis, in regionem, quæ Attrapene uocatur, peruénit. fertilis terra, copia rerum & omni commeatu abundans: itaque diutius ibi substitit: ac ne

desides otio demitterent animos, iudices dedit, præmia que proposuit de uirtute militari certantibus. Octo, qui fortissimi iudicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant: Chiliarchas uocabant, tum primum in hunc numerum copijs distributis. namque antea quinquagenariæ cohortes erant, nec fortitudinis præmia gesserant. Ingens militum turba conuenerat, egregio intersutura certamini, testis eadem cuiusque factorum, & de iudicib. latura sententiam: quippe uero ne an falso honos cuiq; haberetur, ignorari non poterat. Primus omnium uirtutis causa donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Alicarnasson à iuniorib. prælium unus maxime accenderat proximus ei Antigonus uisus est: tertium locum Philotas Angeus obtinuit: quartus Amyntæ datus est. Post hos Antigonus, & ab eo Lyncestes Amyntas fuit: septimum locum Theodotus, ultimum obtinuit Hellenicus. In disciplina quoq; militaris rei pleraque, à maioribus sumpta, utiliter mutauit. Nam cum ante equites in suam quisque gentem describerentur seorsum à cæteris, exempto nationum discrimine, præfectos non utiq; suarum gentium, sed electos attribuit. Tuba, cum castra mouere uellet signum dabat, cuius sonus plerunq; tumultuantium fremitu ex oriente haud satis exaudiebatur. Ergo perlicam, que undique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum: obseruabatur ignis noctu, fumus inter diu. Iam que Susam adituro, Abulites regionis eius præfectus, siue Darij iussu, ut Alexandrum præda retineret, siue sponte, filium obuiam misit, traditurum se urbem promittens. Benignè iuuenem excepit rex, & eo duce ad Hydassin amnem peruénit, delicatam ( ut fama est ) uehementem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentie occurrit: dromades cameli

inter dona erant, uelocitatis eximia: duodecim elephantum,  
 à Dario ex India acciti, non iam terror (ut sperauerant)  
 Macedonum, sed auxilium, opes uicti ad uictorem trans-  
 ferente fortuna. Ut uerò urbem intrauit, incredibilem ex  
 thesauris summam pecuniæ egressit, quinquaginta millia  
 talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere.  
 Multi reges tantas opes longa etate cumulauerant libe-  
 ris posterisq; ut arbitrabantur: quas una hora in externi  
 regis manus intulit. Consedit deinde in regia sella, multo  
 excelsiore quàm pro habitu corporis. Itaque pedes cum  
 inum gradum non contingerent, unus ex regijs pueris  
 mensam subdidit pedibus: & cum spadonem, qui Da-  
 rij fuerat, ingemiscentem conspexisset Rex, causam mœ-  
 stitiæ requisiiuit. Ille indicat, Darium uesci in ea solitum:  
 se' que sacram eius mensam ad ludibrium recidentem, sine  
 lachrymis conspiciere non posse. Subijt ergo regem ue-  
 recundia uiolandi hospites deos: iam' que subduci iubebat,  
 cum Philotas: Minime uerò hæc feceris rex, sed omen quo-  
 que accipe; mensam, ex qua libauit hostis epulas, tuis pe-  
 dibus esse subiectam. Rex Persidis fines aditurus, Su-  
 sam urbem Archelao, & præsidium IIII. nullium tradi-  
 dit. Xenophilo arcis cura mandata est: Macedonum etate  
 graues præsidere arcis custodiæ iussit. Theaurorum  
 Callicrati tutela permissa: Satrapia regionis Susiæ resti-  
 tuta Abuliti. Matrem quoque Darij & liberos in eadem  
 urbe deponit. Ac fortè Macedonicas uestes, multa mq; pur-  
 puram dono ex Macedonia sibi missam, cum ijs, qui eam  
 confecerant, tradi Sysigambi iussit. Omni nanque hono-  
 re eam, & filij quoque pietate prosequeretur. Admoneri  
 iussit, ut si cordi quoq; uestis esset, conficere eam neptes suas  
 assuefaceret, donoq; doceret dare. Ad hanc uocem lachry-



*mæ obortæ, prodidere animum aspernatis id munus: quippe non aliud magis in contumeliam Persarum sæminæ accipiunt, quàm ad mouere læne manus. Nuntiant qui dona tulerant, tristem esse Sysigambim: dignaq; res excusatione & consolatione uisæ. Ipse ergo peruénit ad eam, & Mater, inquit, hanc uestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus uides: nostri decipere memores. Caue, obsecro, in contumeliam accipias ignorationem meam. Quæ tui moris esse cognoui (ut spero) abunde seruata sunt. Scio apud uos filium in conspectu matris nefas esse considerare, nisi cùm illa permisit. Quotiescunque ad te ueni, donec ut considerem annueres, restiti. Procumbens uenerari me sæpe uoluisti, inbibui. Dulcissimæ matri Olympiadi nomen debitum, tibi reddo. Mitigato animo eius, rex quartis castris peruénit ad fluiuium. Pasitigrim incolæ uocant: oritur in montibus Vxiorum, & per quinquaginta stadia syluestribus ripis præceps inter saxa deuoluitur. Accipiunt deinde cum campi, quos clementiore aluco præterit, iam nauium patiens. sexcenta stadia sunt mollioris soli, per quod leui tractu aquarum Persico mari se insinuat. Alexander, amne superato, cum nouem millibus peditum & Agrianis atq; Græcorum mercenarijs, tribus millibus additis Thracum, in regionem Vxiorem peruenit. Finitima Susis est, & in primam Persidem excurrit, arctum inter se & Susianos aditum relinquens. Madates erat huius regionis præfectus, haud sanè temporum multorum homo: quippe ultima pro fide experi de creuerat. Sed periti locorum Alexandrum doceri, occultum iter esse per calles, & auersum ab urbe. Si paucos misisset leuiter armatos, super capita hostium euasuros. Cùm consilium placuisset, ijdem itinerum fuerunt duces: mille*

quingenti mercede conducti, & Agriani serè mille Tauroni Præfecto dati, ac post solis occasum iter ingredi iussi. Ipse tertia uigilia castris motis, circa lucis ortum superauerat angustias: cæsaq; materia cratibus & pluteis faciendis, ut qui turres admouerent, extra teli iactum essent, urbem obsidere cœpit. Prærupta erant omnia, saxis & cotibus impedita. Multis ergo uulneribus depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen: quia Rex inter primos constiterat, interrogans tot urbium uictores, an erubescerent hære in obsidione castelli exigui & ignobilis. simul admouens iam inter hæc eminens petebatur, quum testudine obiecta milites, quem ut inde discederet percellere nequuerant, tuebantur. Tandem Tauron super arcem urbis se cum suo agmine ostendit: ad cuius conspectum & animi hostium labare, & Macedones acrius prælium inire cœperunt. Anceps oppidanis malum urgebat, nec sisti uis hostium poterat. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit. Magna pars in arcem concessit. Inde xxx. Oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum à Rege redditur, non esse ueniæ locum. Itaque suppliciorum metu perculsi, ad Sysigambin Darij matrem occulto itinere ignotoq; hostibus mittunt qui peterent, ut ipsa Regem mitigaret, hæud ignari, parentis eam loco diligi eolig. Et Madates sororis filiam secum matrimonio iuxerat, Darium propinqua cognatione contingens. Dicit Sysigambus supplicum precibus repugnavit, abnuens, deprecationem pro illis non conuenire fortunæ, in qua esset: adiecitq; metuere se, ne uictoris indulgentiam fatigaret: sæpius cogitare captiuam esse se, quam Reginam fuisse. Ad ultimum uicta, literis Alexandrum ita deprecata est, ut ipsam

excusaret quòd deprecaretur. petere se, ut illis quoque: si minus, sibi ignosceret, pro necessario ac propinquo suo, iam non hoste, sed supplice, tantum uitam precari. Moderationem clementiam que Regis, que tunc fuit, uel una hæc res possit ostendere: non Madati modò ignouit, sed omnes & deditos & captiuos libertate atq; immunitate donauit: urbem reliquit intactam: agros sine tributo colere permisit. A uictore Dario plura mater non impetrasset. Vxorium deinde gentem subactam, Susianorum satrapie contribuit: diuisisq; cum Parmenione copijs, illum campestri itinere procedere iubet, ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Omni hac regione uastata, tertio die Persidem, quinto angustias (quas illi Susidas pylas uocant) intrat. Ariobarzanes has cum quindecim millibus peditum occupauerat, rupes abscissas, & undiq; præruptas: in quarum cacuminibus extra teli iactum Barbari stabant, de industria quieti, & pauentibus similes, donec in arctissimas fauces penetraret agmen. Quod ubi contemptu sui pergere uident, tum uerò ingentis magnitudinis saxa per montium prona deuoluunt, que incussa sæpius subiacentibus petris maiore ui incidebant: nec singulos modò, sed agmina proterebant. fundis quoque excussi lapides, & sagittæ ingerebantur undique. Nec id miserrimum fortibus uiris erat, sed quòd inulti quidem ferarum ritu uelut in fouea deprehensi cederentur. Ira igitur in rabiem uersa, eminentia saxa complexi, ut ad hostem perueniant, alius alium leuantes conabantur ascendere. ea ipsa multorum simul manibus correpta & conuulsa in eos, qui commouerant, recidebant. Nec stare ergo, nec niti, nec testudine quidem protegi poterant, cum tantæ molis onera propellerent Barbari. Regem non dolor mo-

dō, sed etiam pudor temerè in illas angustias coniecti ex-  
 ercitus angebat. Inuictus ante eam diem fuerat, nihil fru-  
 stra ausus: impunè Ciliciæ fauces intrauerat, mari quoque  
 nouum iter in Pamphyliam aperuerat: tunc hæsitabat  
 deprehensa felicitas, nec aliud remedium erat, quàm re-  
 uerti quā uenerat. Itaq; signo receptui dato, densatis agmi-  
 nibus, scutis'que super capita confertis, retrò euadere ex  
 angustijs iubet. x x x. fuere stadia quæ remensi sunt. Tum  
 castris undique aperto loco positis, non consultare modò  
 quid agendum esset, sed uates quoque adhibere cœpit à su-  
 perstitutione animi. Sed quid tunc prædicere Aristander,  
 cui tum plurimum credebatur ex uatibus, poterat? Itaque  
 damnatis intempestiuis sacrificijs, peritos locorum con-  
 uocari iubet. medium iter ostendebant tutum apertum'que.  
 sed Rex dimittere milites insepultos erubescerat, ita tra-  
 dito more, ut uix ullum militiæ tam solenne esset munus,  
 quàm humandi suos. Captiuos ergo, quos nuper excepe-  
 rat, uocari iubet: inter quos erat quidam Græcæ Persi-  
 cæ'que linguæ peritus, qui frustra eum in Persidem mon-  
 tium dorso exercitum ducere affirmat, syluestres esse cal-  
 les uix singulis peruios, omnia contegi frondibus, imple-  
 xosq; arborum ramos syluas committere. Namque Persis  
 ab altero latere perpetuis montium iugis clauditur, quod  
 in longitudinem mille sexcenta stadia, in latitudinem CLX.  
 percurrit. Hoc dorsum à Caucaaso monte ad rubrum mare  
 pertinet, quâ'que deficit mons, aliud munimentum fretum  
 obiectum est. Planicies deinde sub radicibus montium spa-  
 ciosa procumbit, fertilis terra, multisq; uicis atq; urbibus  
 frequens. Araxes amnis per hos campos multorum aquas  
 torrentium euoluit in Medum. Inde Medus ad mare &  
 ad meridiem uersus, minor amnis eò, quem recipit, eue-  
 bitur:

hitur : gignendæ que herbæ non alius est aptior, quicquid  
 alluit floribus uestiens . Platani quoque & populi conte-  
 gunt ripas ; ita ut procul uisentibus continua uideantur  
 montibus nemora riparum : quippe obumbratus amnis,  
 presso in solum dilabitur alueo : imminent que colles , ipsi  
 quoque frondibus leti , radices eorum humore subeunte.  
 Regio non alia tota Asia salubrior habetur : temperatum  
 cœlum : hinc perpetuum iugum opacum & umbrosum,  
 quod æstus leuat : illinc mare adiunctum, quod modico te-  
 pore terras fouet . His expositis , captiuus interrogatus à  
 Rege , auditus ne an oculis comperta haberet quæ diceret:  
 pastorem se fuisse, & omnes eos calles percussisse respon-  
 dit : bis captum , semel à Persis in Lycia , iterum ab ipso.  
 Subit animum memoria Regis oraculo editæ sortis : quip-  
 pe consulenti responsum erat , ducem in Persidem ferentis  
 uiæ Lycium ciuem fore . Igitur promissis quanta & præ-  
 sens necessitas exigebat , & ipsius fortuna capiebat , one-  
 ratum , armari iubet Macedonum more , & quod bene  
 uerteret , monstraret iter , quamuis arduum & præceps,  
 euasurum se esse cum paucis : nisi forte crederet , quò ipse  
 pecoris causa isset , Alexandrum pro gloria & perpetua  
 laude ire non posse . etiam atque etiam docere captiuus,  
 quàm difficile iter esset, maximè armatis . Tum Rex præ-  
 dem me, inquit, accipe, neminem eorum qui sequuntur, re-  
 cusaturum ire quàm duces . Cratero igitur ad custodiam ca-  
 strorum relicto cum peditibus queis assueuerat, & ijs co-  
 pijs quas Meleager ducebat , & sagittarijs equitibus nul-  
 le, præcipit ut castrorum specie manente , plures de indu-  
 stria ignes fieri imperet , quò magis Barbari crederent  
 ipsum Regem in castris esse . Cæterum si fortè Ariobarza-  
 nes cognouisset , per callium anfractus eum intrare, & ad  
 occup

occupandum iter suum partem copiarum tentasset opponere: Craterus in eum illato terrore retineret ad propius periculum conuersum agmen. Sin autem ipse hostem sefellisset, & saltum occupasset, cum trepidantium Barbarorum tumultum exaudisset persequentium Regem, id ipsum iter, quo pridie pulsus fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe uacuum fore hostibus in semet auersis. Ipse tertia uigilia silenti agmine, ac ne tubæ quidem dato signo, pergit ad demonstratum iter callium. Tridui alimenta portare militem iusserat leuiter armatum. Sed præter inuias rupes, ac prærupta saxa uestigium subinde fallentia, uix cummulata uento ingredientiæ fatigabat: quippe uelut in foueas delati hauriebantur, & cum à commilitonibus leuarentur, traherant magis adiuuantes quàm sequebantur. Nox quoque, & ignota regio, ac Dux incertum an satis fidus, multiplicabant metum. Si custodes non sefellissent, quasi feras bestias ipsos posse deprehendi. Ex unius captiui uel fide, uel animo, pendere & Regis salutem & suam. Tandem uenere in iugum: à dextera iter ad ipsum Ariobarzanem erat. hic Philotam & Coenon cum Amynta & Polyperconte expeditam habentes manum præmisit, monitos, ut quia eques pediti erat mixtus, & quàm pinguisimum esset solum, & pabuli fertile, sensim procederent. Duces erant itineris de captiuis dati. Ipse cum armigeris & ala, quam Agema appellant, ardua semita, sed longius à stationibus hostium remota, multa cum uexatione processit. Medius erat dies, & fatigatis necessaria quies: quippe tantundem itineris supererat, quantum emensi erant, sed minus præcipitis atque ardui. Ita refectis cibo somnoq; militibus, secunda uigilia surgit, & cætera quidem haud egrè præerijt. Cæterum quàm se iugum montium paulatim ad planiora

niora demittit, ingens uorago concursu cauata torrentium, iter ruperat. Ad hæc arborum rami alius alio implicati & coeuntes, ut perpetuam obiecerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo ut uix lacrymis abstinerent, incesserat: præcipue obscuritas terrori erat. Nam etiam si qua sydera internitebant, continenti fronde tectæ arbores conspiciere prohibebant. Ne aurium quidem usus supererat, sylvas quatiente uento, qui, concutientibus ramis, maiorem quam pro flatu sonum reddebat. Tandem expectata lux omnia, quæ terribiliora nox fecerat, minuit: circumiri breui spatio poterat eluuiæ. & sibi quisq; Dux itineris coeperat fieri. Euadunt ergo in editum uerticem, ex quo hostiũ statione cõspecta, strenue armati à tergo se ostendunt, nihil tale metuentibus: quorum pauci, qui congregari ausi erant, cæsi sunt. Ita que hinc morientium gemitus, hinc ad suos recurrentium miserabilis facies, integros quoq; ante aquam discrimen experirentur, in fugam auertit. Fremitu deinde in castra, quæ Craterus præerat, illato, ad occupandas angustias, in quibus pridie hæsitabat, miles educitur. Simul Philotas cum Polyperconte Amyntaq; & Cæno diuersum iter ingredi iussus, alium terrorem intulit Barbaris. Ergo undique Macedonum armis fulgentibus, ancipiti malo oppressi, memorabile tamen prælium edunt: ut opinor, ignauiam quoque necessitas acuit, & sepe desperatio spei causa est. Nudi complectebantur armatos, & ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum telis plerosq; fodiebant. Ariobarzanes tamen quadraginta ferme equitibus, & quinque millibus peditum stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo suorum atque hostium sanguine erupit, Persopolim urbem caput regionis occupare festinans. Sed à custodibus urbis exclusus,

consecutis strenuè hostibus, cum omnibus fugæ comitibus renouato prælio cecidit. Craterus quoque raptim agmine acto superuenit. Rex eodem loco, quo hostium copias fuderat, castra communiuit. Quanquam enim undique fugati hostes uictoriam concesserant, tamen præaltæ præcipientesq; fossæ pluribus locis obiectæ abruperant iter, sensimq; & cautè progrediendum erat, iam non hostium, sed locorum fraude suspecta. Procedenti ei literæ redduntur à Tyridate custode regiæ pecuniæ, indicantes, eos, qui in urbe essent, audito eius aduentu, diripere uelle thesauros: properaret occupare thesauros dimissos: expeditum iter esse, quanquam Araxes amnis interfluat. Nullam uirtutem Regis istius magis, quàm celeritatem laudauerim. relictis enim pedestribus copijs, tota nocte cum equitibus itineris tanto spacio fatigatis, ad Araxem prima luce peruenit. Vici erant in propinquo: quibus direptis ac dirutis, pontem ex materia eorum subditis saxis strenuè induxit. Iam que haud procul urbe erant, cum miserabile agmen, inter pauca fortunæ exempla memorandum, Regi occurrit. Captiui erant Græci ad quatuor millia fere, quos Perse uario suppliciorum modo affecerant. Alios pedibus, quosdam manibus auribusq; amputatis, iniustisq; Barbararum literarum notis, in longum sui ludibrium reseruauerant, & cum se quoque alienæ ditionis esse cernerent, uolentes Regi occurrere non prohibuerant. Inusitata simulacra, non homines uidebantur, nec quicquam in illis præter uocem poterat agnosci. Plures igitur lacrymas commouere, quàm profuderant ipsi: quippe in tam multiplici uariâ que fortuna singulorum intuentibus similes quidem, sed tamen dispares pœnas, quis maxime miserabilis esset, liquere non poterat. Ut uerò Iouem illi tandem Græciæ ultorem aperuisse oculos

concl



conclamauere, omnes pari supplicio affecti sibi uidebantur. Rex abstersis quas profuderat lacrymis, bonum habere animum iubet, usuros urbes suas coniugesq; & castra inde duo ab urbe stadia communit. Græci excesserant uallo, deliberaturi quia potissimum à Rege peterent: cumq; alijs sedes in Asia rogare, alijs reuerti domos placeret, Euclemon Cymæus ita locutus ad eos fertur: Hi, qui modò ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubimus, ut nunc simplicitas nostra est, supplicia, quorum nos pudeat magis an poeniteat incertum est, ostentare Græciæ uelut letum spectaculum cupimus. At ij optimè miserias ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo, et status prioris obliuio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant quàm celeriter lacrymæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quem fastidit. nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat: & nisi mutuò essemus miseri, olim alius alij potuissimus esse fastidio. Quid mirum est, fortunatos semper parem querere? Obsecro uos, olim uita defuncti queramus locum in quo hæc semesa membra obruamus, ubi horribiles cicatrices cælet exilium. Ingrati prorsus coniugibus, quas iuuenes duximus, reuertemur. Liberi in flore & ætatis & rerum agnoscent, & fratres, ergastuli detrimenta? & quota pars nostri tot obire terras potest? procul Europa in ultimis orientis relegati senes, debiles, maiore membrorum parte mutilati, tolerabimus scilicet quæ armatos et uictiores fatigauerunt? Coniuges demum, quas captis sors & necessitas unicum solatium applicuit, paruosq; liberos, trahimus nobiscum an relinquimus? Cum his uenientes nemo agnoscere uolet. Relinquemus ergo ex templo præsentium

tium pignora, quum incertum sit an uisuri sumus ea que petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros nosse cœperunt. Hæc Euclemon. Contrà Theatus Atheniensis orsus est dicere: Neminem pium habitu corporis suos æstimaturum, utique seuitia hostis, non naturæ, calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunæ. Tristem enim de mortalitate ferre sententiam, & desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit. Deos (quod ipsi nunquam ausi optare forent) offerre patriam, coniuges, liberos, & quicquid homines uel uita æstimant, uel morte redimunt. quin illi ex hoc carcere erumperent. alium domi esse cœli haustum, alium lucis aspectum. mores, sacra, lingue commercium etiam à barbaris expeti. que ingentia ipsi omisuri sint sua sponte, non ob aliud tam calamitosi, quàm quòd illis carere coacti essent. se certè rediturum ad penates, & in patriam: tantoq; beneficio regis usurum, si, quos contubernij, liberorumq;, quos seruitus coëgisset agnoscere, amor detineret, relinquerent quibus nil patria charius est. pauci huius sententiæ fuere: cæteros consuetudo natura potentior uicit. Consenserunt, petendum esse à rege, ut aliquam ipsis attribueret sedem. Centum ad hoc electi sunt: quos Alexander ratus, quod ipse præstare cogitabat, petituros, iumenta, inquit, assignari, que uos ueberent, & singulis uestrum mille denarium dari iussi. Cum redieritis in Græciã, præstabo, ne quis statum suum, si hæc calamitas absit, uestro credat esse meliorem. illi obortis lacrymis terram intuebantur, nec aut erigere uultus, aut loqui audebant. Tandem rege tristitiæ causam exigente, Euclemon similia ijs que in consilio dixerat, respondit. Atque ille non fortunæ solum eorum, sed etiam pœnitentiæ misertus, terna millia denarium singulis dari

iusit. Denæ uestes adiectæ sunt, & armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli seriq; attributus ijs ager posset. Postero die conuocatos duces copiarum docet, nullam infestiores urbem Græcis esse, quàm regiam ueterum Persidis regum. Hinc illa immensa agmina infusa: hinc Darium prius, deinde Xerxem Europæ impium intulisse bellum. Excidio illius parentandum esse maioribus. Iamq; barbari, deserto oppido, quæ quæque metus agebat, diffugerant, cum Rex phalangem nil cunctatus inducit. Multas urbes refertas opulentia regia partim expugnarat, partim in fidem acceperat: sed urbis huius diuitiæ uicere præterita: in hanc totius Persidis opes congesserant barbari. aurum argentumq; cumulatum erat, uestis ingens modus: supellex non ad usum modo, sed ad ostentationem luxus comparata. itaque inter ipsos uictores ferro dimicabatur: pro hoste erat, qui pretiosiores occupauerat prædam. Et cum omnia, quæ reperiiebantur, capere non possent (nam res non occupabantur, sed æstimabantur) lacerabant regias uestes, ad se quisq; partem trahentes, dolabræ pretiosæ artis uisa cædebant: nihil neque intactum erat, nec integrum seruebatur. Abrupta simulacrorum membra ut quisq; auellerat, trahabat: neq; auaritia solum, sed etiam crudelitas in capta urbe grassata est. Auro argentoq; onusti, uilia captiuorum corpora trucidabant, passimq; obuij cædebantur, quos antea pretium sui miserabiles fecerat. Multi ergo hostium manus uoluntaria morte occupauerunt, pretiosissima uestium indui, e muris semetipsos cum coniugibus ac liberis in præceps iactantes. Quidam ignes, quod paulò post facturus hostis uidebatur, subiecerant ædibus, ut cum suis uiui cremarentur. Tandem suis rex corporibus & cultu sceminarum abstinere iussit. In-

gens pecuniæ captivæ modus traditur, propè ut fidem excedat. Cæterum aut de alijs quoq; dubitamus, aut credimus in huius urbis gazæ fuisse centum & viginti millia talenta, ad quæ uehenda (nanq; ad usus belli secum portare decreuerat) iumenta & camelos à Suis & Babylone contrahi iussit. Accessere ad hanc pecuniæ summam captis Persagadis sex millia talentorum. Cyrus Persagadam urbem condiderat, quam Alexandro præfectus eius Gobares tradidit. Rex arcem Persepolis 111. millibus Macedonum præsidio relictis, Nicartidem tueri iubet. Tyridati quoq;, qui gazam tradiderat, seruatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnaq; exercitus parte & impedimentis ibi relictis, Parmenionem Craterumq; præfecit. Ipse cum mille equitibus, peditumq; expedita manu, interiorcm Persidis regionem sub ipsum Vergiliarum sydus petijt: multisq; imbribus & propè intolerabili tempestate uexatus, procedere tamen, quò intenderat, perseuerauit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris uis gelu astrinxerat: locorum squalor & solitudines inuie fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos se uidere credentem. Omnia uasta, atq; sine ullo humani cultus uestigio attoniti intuebantur: & antequam lux quoq; & cælum ipsos deficeret, reuerti iubebant. Rex castigare territos supersedit. Cæterum ipse equo desiliijt, pedesq; per niuem & concretam glaciem ingredi coepit. Erubuerunt non sequi primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimū milites: primusq; rex dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit. Exemplū regis cæteri imitati sunt. Tandem propemodum inuias syluas emensī, humani cultus rara uestigia & passim errantes pecorum greges reperere: & incolæ, qui sparsis tugurijs habitabant, cum se

callibus inuis septos esse credidissent, ut conspexere hostium agmen, interfectis qui fugientes sequi non poterant, deuios montes & obsitos niuis petiuerunt. Inde per colloquia captiuorum paulatim feritate mitigata, tradidere se regi, nec in deditos grauius consultum. Vastatis deinde agris Persiâs, uicisq; compluribus redactis in potestatem, uentum est in Mardorum gentem bellicosissimam, & multum à cæteris Persis cultu uitæ abhorrentem. Specus in montibus fodiunt, in quos se ac coniuges & liberos condunt: pecorum aut ferarum carne uescuntur. Ne fœminis quidem pro naturæ habitu molliora ingeni sunt. Comæ prominent hirtæ, uestis super genua est, funda uinciunt frontem, hoc & ornamentum capitis et telum est: sed hanc quoq; gentem idem fortune impetus domuit. Itaq; trigesimo die posteaquam à Persepoli profectus erat, eodem redijt. Donna deinde amicis cæterisq; pro cuiusq; merito dedit: propemodum omnia, que in ea urbe ceperat, distributa. Cæterum ingentia animi bona, illam in adolem, qua omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus molendis efficiendisq; uelocitatem, in deditis fidem, in captiuis clementiam, in uoluptatibus permissis quoq; & usitatis temperantiam, haud tolerabili uini cupiditate fœdauit. Hoste & æmulo regni reparante tum maximè bellum, nuper subactis quos uicerat, nouumq; imperiū aspernantibus, de die inibat conuiuia: quibus fœminæ interessant, non quidem quas uiolare nefas esset, quippe pellices licentius quàm decebat cum armato uiuere assuetæ. Ex his una Thais & ipsa temulenta, maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi: expectare hoc eos, quorum urbes barbari deleissent. Ebrio scorto de tanta referente sententiam, unus

& alter & ipsi mero onerati assentiunt. Rex quoq; fuit  
 auator, quam patientior. Quin igitur ulciscimur Græ-  
 ciam, & urbi faces subdimus? Omnes incaluerant mero.  
 Itaq; surgunt tenuienti ad incendendam urbem, cui arma-  
 ti pepercerant. Primus rex ignem regie iniecit: tum con-  
 uiue, & ministri, pellicesq;. Multa cedro edificata erat  
 regia, quæ celeriter igne concepto late fudit incensium.  
 Quod ubi exercitus, qui haud procul ab urbe tendebat,  
 conspexit: fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit.  
 Sed ut ad uestibulum regie uentum est, uident regē ipsum  
 adhuc aggerentem faces. Omissa igitur, quam portauerant,  
 aqua, igni aridam materiam in incendium lucere coeperunt.  
 Hunc exitum habuit regia totius orientis, unde tot gentes  
 ante iura petebant: patria tot regum, unicus quondam  
 Græciæ terror, molita decem nullum nauium classem, &  
 exercitus quibus Europa inundata est, cōtabulato mari mo-  
 libus, perfoßisq; montibus, in quorum specus fretum im-  
 missum est. Ac ne longa quidem ætate, quæ excidium eius  
 secuta est, resurrexit. Alias urbes habuere Macedonum  
 reges, quas nunc habent Parthi. Huius uestigium non in-  
 ueniretur, nisi Araxes annis ostenderet. haud procul mœ-  
 nibus fluxerat: inde urbem fuisse x x. stadijs distantem  
 credunt magis quam sciunt accole. Pudebat Macedones,  
 tam claram urbem à comessabundo rege delctam esse. Itaq;  
 res in serium uersa est: & imperauerunt sibi ut crederent,  
 illo potissimum modo fuisse delendam. ipsum ut primum  
 grauatam ebrietate mentem quies reddidit. poenituisse con-  
 stat, & dixisse, Maiores poenas Persas Græcis daturus  
 fuisse, si ipsum in solio regiaq; Xerxis respicere coacti es-  
 sent. Postero die Lycio itineris, quo Persidem intrauerat,  
 duci x x x. talenta dono dedit. Hinc in regionem Mediæ

transiit, ubi supplementum nouorum militum è Cilicia occurrit. Peditum erant quinq; millia, equites mille: utrisque Plato Atheniensis præerat. His copijs auctus, Darium persequi statuit. Ille iam Ecbatana peruenerat, caput Medie. Urbem hanc nunc tenent Parthi: eaq; æstiuæ agentibus sedes est. Adire deinde Bactra decreuerat: sed ueritus ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium iterq; mutauit. Aberat ab eo Alexander stadia M D. sed iam nullum interuallum aduersus celeritatem eius satis longum uidebatur. Itaq; prælio magis quàm fugæ se præparabant. Triginta millia peditum sequebantur, in quibus Græcorum erant quatuor millia, fide erga regem ad ultimum inuicta: funditorum quoq; & sagittariorum manus quatuor millia expleuerat: præter hos tria millia & CCC. equites erant maxime Bactrianorum: his Bessus præerat, Bactriane urbis regionisq; præfectus. Cum hoc agmine Darius paulum declinauit uia militari, iussis præcedere lixis impedimentorum custodibus. Consilio deinde aduocato: Si mecum ignauis, inquit, & pluris qualemcunq; uitam morte honesta, ælimantibus, fortuna iunxisset, tacerem potius quàm frustra uerba consumerem: sed maiore quàm uellem documento & uirtutem uestram & fidem expertus, magis etiam conniti debeo ut dignus talibus amicis sim, quàm dubitare an uestri similes adhuc sitis. Tot ex millibus, quæ sub imperio fuerunt meo, bis me uictum, bis fugientem persecuti estis. Fides uestra & constantia ut regem me esse credam facit. Proditores & transfugæ in urbibus meis regnant, non herculè qui tanto honore digni habeantur, sed ut præmijs eorum uestri sollicitentur animi. Meam tamen fortunam, quam uictoris, maluistis sequi: dignissimi quibus, si ego non possim, dij pro me gratiam referant: & meherculè

herculè refrent. nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum uos debitis laudibus ferat. Itaq; etiamsi consilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitassent: uestra tamen uirtute fretus, obuiam issem hosti. Quousq; enim in regno exulabo, & per fines imperij mei fugiam externum & aduenam regem, quum liceat experio belli fortunam, aut reparare quæ amisi, aut honesta morte desungi? nisi forte satius est expectare uictoris arbitrium, & Mazæi & Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis unius, ut iam melit ille gloriæ suæ, quàm iræ obsequi. Nec dii sinerint, ut si hoc decus mei capitis aut demere mihi quisquam, aut condonare possit: nec hoc imperium uiuus amittam, idemq; erit regni mei, qui & spiritus finis. Si hic animus, si hæc lex, nulli non parata libertas est: nemo è uobis fastidium Macedonum, ne uno uultum superbum ferre cogetur, sua cuiq; dextera aut ultionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem quàm uersabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immerito mitiores uices eius expecto. Sed si iusta ac pia bella dii auersantur, fortibus tamen uiris licebit honeste mori. Per ego uos decora maiorū, qui totius orientis regna cū memorabili laude tenuerunt, per illos uiros, quibus stipendiū Macedonia quondam tulit, per tot nauū classes in Græciā missas, per tot trophæa regum oro & obtestor, ut nobilitate uestra gentisq; dignos spiritus capiatis, ut eadem constantia animorum, qua præterita tolerastis, experiamini quicquid deinde fors tulerit. me certè in perpetuum aut uictoria egregia nobilitabit, aut pugna. Hæc dicente Dario, præsentis periculi species omnium simul corda animosq; horrore perstrinxerat: nec aut consilium suppetebat, aut uox: cū Artabazus uetustissimus amicorum, quem hospitè fuisse Philip-



pi sæpe diximus: Nos uero, inquit, pretiosissimam uestem in  
 duti, armisq; quanto maximo cultu possumus adornati, re-  
 gem in aciem sequemur, ea quidem mente, ut uictoriam spe-  
 remus, mortē non recusemus. Assensu exceperē cæteri hanc  
 uocem. Sed Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cū Bes-  
 so, inauditi antea facinoris societate inita, regem suum per  
 milites, quibus ambo præerant, comprehendere & uincire  
 decreuerant: ea mente, ut si Alexander ipsos insecutus fo-  
 ret, tradito rege uiuo inirent gratiam uictoris, magni pro-  
 fecto cepisse Dariū æstimaturi: sin autem eum effugere po-  
 tuissent, interfecto Dario, regnū sibi occuparent, bellumq;  
 renouarent. Hoc paricidium cū diu uolutassent, Nabar-  
 zanes aditum nefariæ spei præparans: Scio me, inquit,  
 sententiam esse dicturum, prima specie haud quaquam au-  
 ribus tuis gratam: sed medici quoque grauiores morbos  
 asperis remedijs curant, & gubernator, ubi naufragium  
 timet, iactura, quicquid seruari potest, redimit. Ego tamen  
 non ut dānnum quidem facias suadeo: sed ut te ac regnum  
 tuum salubri ratione conserues. Dijs aduersis bellum ini-  
 mus, & pertinax fortuna Persas urgere non desinit. No-  
 uis initijs & hominibus opus est. Auspicium & impe-  
 rium alij trade interim, qui tandiu rex appelletur, do-  
 nec Asia decedat hostis, uictor deinde regnum tibi red-  
 dat. hoc autem breui futurum ratio promittit. Bactra in-  
 tacta sunt: Indi & Sacæ in tua potestate: tot populi, tot  
 exercitus, tot equitum peditumq; millia ad renouandum  
 bellum uires paratas habent, ut maior belli molles super-  
 sit, quàm exhausta sit. Quid ruimus beluarum ritu in per-  
 niciem non necessariam? Fortium uirorum est, magis mor-  
 tem contemnere, quàm odisse uitam. Sæpe tædio labo-  
 ris ad uilitatem sui compelluntur ignaui, at uirtus nihil  
inexp

*inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, praefectum regionis eius Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus, iusto regi tibi fiduciarum restituet imperium. Haud mirum est, Darium non nunc temperasse animo: quanquam tam impiae uoci quantum nefas subesset, latebat. Itaque, Pessimum, inquit, mancipium, reperisti optatum tibi tempus, quo paricidium aperires? strictoque acinace interfectorius uidebatur, ni prope Bessus Bactranique tristium specie, caeterum si perseueraret uincturi, circumstetissent. Nabarzanes interim elapsus, mox & Bessus secutus, copias quibus praerant, a caetero exercitu secedere iubent, secretum inituri consilium. Artabazus conuenientem praesenti fortunae sententiam orsus, mitigare Darium, temporum identidem admonens coepit. Ferret aequo animo qualiumcunque suorum tamen, uel stultitiam, uel errorem, instare Alexandrum, grauem etiam si omnes praesto essent. quid futurum, si persecuti fugam ipsius alienentur a rege? Ea re paruit Artabazo, & quanquam mouere castra statuerat, turbatis tamen omnium animis, eodem in loco substitit. Sed attonitus moestitia simul & desperatione, tabernaculo se inclusit. Ergo in castris, quae nullius regebantur imperio, uarij animorum motus erant, nec in commune, ut antea consulebatur. Dux Graecorum militum Patron arma capere suos iubet, paratosque esse ad exsequendum imperium. Persae secesserant. Bessus cum Bactrianis erat, tentabatque Persas abducere, Bactra, & intactae regionis opulentiam, simulque quae manentibus instarent pericula, ostentans. Persarum omnium eadem fere fuit uox, nefas esse deserere regem. Inter haec Artabazus omnibus imperatorijs*

fingebatur officijs. Ille Persarum tabernacula circuire,  
 hortari, monere nunc singulos, nunc uniuersos non ante  
 destitit, quàm satis constaret imperata facturos. Idem ægre  
 à Dario impetrauit, ut cibum caperet, animumq; rebus  
 aduerteret. At Bessus & Nabarzanes, olim agitatum sce-  
 lus exsequi statuunt, regni cupiditate accensi. Dario au-  
 tem incolumi tantas opes sperare non poterant: quippe in  
 illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoq;  
 barbari conueniunt, & pristinae ueneratio fortune se-  
 quitur aduersam. Inflabat impios animos regio cui præ-  
 erant, armis, uirisq; & spatio locorum nulli earum gen-  
 tium secunda: tertiam partem Asiæ tenet, multitudo in-  
 niorum, exercitus, quos amiserat Darius, equabat. Itaque  
 non illum modo, sed etiam Alexandrum spernebant: inde  
 uires imperij repetituri, si regionis potiri contigisset.  
 Diu omnibus cogitatis, placuit, per milites Bactrianos ad  
 omne obsequium destinatos regem comprehendere, mit-  
 tiq; nuntium ad Alexandrum, qui indicaret uiuum asser-  
 uari eum. Si, id quod timebant, prodicionem aspernatus  
 esset, occisuri Darium, & Bactra cum suarum gentium  
 manu petituri. Cæterum propalàm comprehendi Darius  
 non poterat, tot Persarum millibus laturis opem regi. Græ-  
 corum quoque fides timebatur. Itaque, quod non poterant  
 ui, fraude assequi tentant. Pœnitentiam secessionis simula-  
 re decreuerant, & excusare apud regem consternationem  
 suam. Interim qui Persas sollicitarent mittuntur: hinc spe,  
 hinc metu militares animos uersant. ruinae rerum illos  
 subdere capita, in perniciem trahi, quum Bactra pateant,  
 exceptura eos donis & opulentia, quantum animis concipi-  
 pere non possint. Hæc agitantibus Artabazus superuenit,  
 siue regis iussu, siue sua sponte, affirmans, mitigatum esse

Darium

Darium, & eundē illis amicitiae gradum patere apud regem. Illi lacrymantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, ut causam ipsorum tueretur, precesq; perferret. Sic peracta nocte, sub lucis ortum Nabarzanes cū Bactrianis militibus in uestibulo prætorij aderat, titulum solennis officij occulto sceleri præferens. Darius signo ad eundem dato, currum pristino more conscendit. Nabarzanes cæteriq; paricidæ procumbentes humi, quem paulò post in uinculis habituri erant, sustinere uenerari, lacrymas etiā pœnitentiæ indices profuderunt: adeò humanis ingenijs parata simulatio est. Preces deinde suppliciter admotæ, Darium natura simplicem & mitem, non credere modo quæ affirmabant, sed etiam flere coegerūt. Ac ne tum quidem cogitati sceleris pœnituit, cum intuerentur qualem & regem & uirum fallerent. Ille quidem securus periculi quod instabat, Alexandri manus, quas solas timebat, es fugere properabat. Patron autem Græcorum dux, præcepit suis, ut arma, quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent, ad omne imperium suum parati & intenti. Ipse currum regis sequebatur, occasione imminens alloquendi eum: quippe Bessi facinus præferat. Sed Bessus id ipsum metuens, custos uerius quam comes, à curru non recedebat. Diu ergo Patron cunctatus, ac sæpius sermone reuocatus, inter fidem timoremq; hæsitans, regem intuebatur: qui ut tandem aduertit oculos, Bubacem spadonem inter proximos currum sequentē percunctari iubet, nunquid ipse uelit dicere? Patron se uerò, sed remotis arbitris, loqui uelle cum eo, respondit: iussusq; propius accedere sine interprete: (nam haud rudis Græcæ linguæ Darius erat) Rex, inquit, ex quinquaginta millibus Græcorum supersumus patisci: omnis fortunæ tuæ comites, & in hoc tuo statu iidem,  
qui

qui florente te fuimus, quasunque sedes elegeris, pro patria & domesticis rebus perituri. Secundæ aduersæq; res tuæ copulauere nos tecum per hanc fidē inuictam oro & obtestor, in nostris castris tibi tabernaculum statue, nos corporis tui custodes esse patiaris. Anisimus Græciam, nulla Bactra sunt nobis: spes omnis in te, utinam & in cæteris esset. Plura dici non attinet. Custodiam corporis tui externus & alienigena non deposcerem, si crederem aliū posse præstare. Bessus, quanquam erat Græci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia iudicium profectō Patronem detulisse credebat: & interpretis Græci relato sermone, exempta dubitatio est. Darius autem, quantum ex uultu concipi poterat, haud sanè territus, percunctari Patrona causam consilij, quod afferret, cœpit. Ille non ultra differendum ratus: Bessus, inquit, & Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo discrimine & fortunæ tuæ & uitæ. Hic dies aut paricidis, aut tibi futurus ultimus. Et Patron quidem egregiam conseruati regis gloriam tulerat. Eludant licet quibus forte ac temere humana negotia uolui egig; persuasum est, æquidem æterna constitutione crediderim, nexuq; causarum latentium, & multò antè destinatarum, suum queng; ordinem immutabili lege percurrere. Darius certè respondit, quanquam sibi Græcorum militum fides nota sit, nunquam tamen à popularibus suis recessurum. Difficilius sibi esse damnare, quàm decipi. quicquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quàm transfugam fieri. Sero se perire, si saluum esse sui milites nollent. Patron, desperata salute regis, ad eos quibus præerat redijt, omnia pro fide experiri paratus. At Bessus occidendi protinus regis impetum conceperat. Sed ueritus, ne gratiam Alexandri, ni uiuum eum tradidisset, inire non posset, dilato

in proximam noctem sceleris consilio, agere gratias incipit, quòd perfidi hominis insidias iam Alexandri opes spectantis prudenter cauteq; uitasset. donum cum hosti laturum fuisse regis caput. nec mirari, hominem mercede conductum omnia habere uenalia, sine pignore, sine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hostem, ad nutum licētium circumferri. Purganti deinde se, deosq; patrios testes fidei suæ inuocanti, Darius uultu assentiebat, haud dubius quin uera deferrentur à Græcis: sed eo rerum uentum erat, ut tam periculosum esset non credere suis, quàm decipi. x x x. milia erant, quorum inclinata in scelus leuitas timebatur: quatuor millia Patron habebat, quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium fide, paricidio excusationem uidebat offerri. Itaque præoptabat immerito quàm iure uiolari. Besso tamen insidiarum consilium purganti respondit: Alexandri sibi non minus iustitiam quàm uirtutem esse perspectam. Falli eos, qui prodicionis ab eo præmium expectant. Violatæ fidei neminem acriorem fore uindicem ultoremq;. Iamq; nox appetebat. cum Persæ more solito armis positis, ad necessaria ex proximo uico ferenda discurrunt. At Bactriani (ut impetratum erat à Besso) armati stabant. Inter hæc Darius Artabazum acciri iubet, expositisq; quæ Patron detulerat, haud dubitare Artabazus, quin transcundum esset in castra Græcorum: Persas quoque periculo uulgato secuturos. Destinatus sorti suæ, & iam nullius salubris consilij patiens, unicam in illa fortuna opem Artabazum ultimum illum uisurus amplectitur, persususq; mutuis lacrymis inherentem sibi auelli iubet: capite deinde uelato, ne inter gemitus digredientem uelut à rogo intueretur, in humum pronum corpus abiecit. Tum uerò custodiæ eius assueti,

quos

quos regis salutem uel periculo uitæ tucri oportebat, dilapsi sunt, armatis, quos iam aduentare credebant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis spadonibus (quia quò discederent non habebant) circumstantibus regem. At ille, remotis arbitris, diu aliud atq; aliud consilium animo uolutabat. Iamq; solitudinem, quã paulò antè pro solatio petiuerat, perosus, Bubacem uocari iubet: quem intuens, Ite, inquit, consulite uobis, ad ultimum regi uestro (ut decebat) fide exhibita. Ego hic legem fati mei expecto. Forsitan mireris quò uitam nõ finiam: alieno scelere quàm meo mori malo. Post hanc uocem spado gemitu non modo tabernaculum, sed etiam castra compleuit. Irrupere deinde alij, laceratisq; uestibus lugubri & barbaro ululatu regem deplorare coeperunt. Persæ ad illos clamore perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos inciderent: nec quiescere audebant, ne impie deserere regem uiderentur. Varius ac dissonus clamor sine duce ac sine imperio totis castris restrebatur. Besso & Nabarzani nunciauerant sui, regem à semetipso interemptum esse. planctus eos deceperat. Itaque citatis equis aduolant, sequentibus quos ad ministerium sceleris delegerant: & cum tabernaculum intrassent, quia regem uiuere spadones indicabant, comprehendi uinciriq; iusserunt. Rex curru paulò antè uectus, & decorum à suis honoribus cultus, nulla externa ope admota, captiuus seruatorum suorum, in sordidum uehiculum pellibus undiq; contactum imponitur. Pecunia regis & suppellex quasi iure belli diripitur, onustiq; præda per scelus ultimū parta, fugam intendunt. Artabazus, cum ijs qui imperio parebant, Græcisq; militibus, Parthienem petebat, omnia tutiora paricidarum contuitu ratus. Persæ promissis Bessi onerati,

maximè

maximè quia nemo alius erat quem sequerentur, coniungere se Bactrianis, agmen eorum tertio affecuti die. Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium uinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna. Et ne fortè cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus uehiculum intexerant: ignoti iumenta agebant, ne percunctantibus in agmine monstrari posset, custodes procul sequebantur. Alexander, audito Darium mouisse Ecbatanis, emisso itinere quod petebat, in Mediam fugientem insequi pergit strenue. Tabas oppidum est in Paretacene ultima: quò ubi peruenit, ibi transfuga nunciant, præcipitem fuga Bactra petere Darium. Certiora deinde cognoscit ex Bagistane, Babylonio: non equidem uinctum regem, sed in periculo esse aut mortis, aut uinculorum, affirmabat. Rex, ducibus conuocatis, Maximum, inquit, opus, sed labor breuissimus superest. Darius haud procul destitutus à suis, aut uinctus, aut oppressus est. In illo corpore posita est uictoria nostra, & tanta res celeritatis est præmium. Omnes pariter conclamant, paratos ipsos sequi, nec labori nec periculo parceret. Igitur raptim agmen cursus magis quàm itineris modo ducit, ne nocturna quidè quiete diurnum laborem relaxante. Itaque quingenta stadia processit, peruentumq; erat in uicum, in quo Darium Bessus cõprehenderat. Ibi Melon Darij interpretis excipitur: corpore eger, non potuerat agmen sequi: & deprehensus celeritate regis, transfugam se esse simulabat. Ex hoc acta cognoscit: sed fatigatis necessaria quies erat. Itaq; delectis equitum sex millibus, trecentos, quos dimichas appellant, adiungit, dorso hi grauiora arma portabant, ceterũ equis uehebantur: cum res & locus posceret, pedestris acies erat. Hæc agentem Alexandrum adeunt Orsillos & Mithrac



*thracenes, qui Bessi paricidium exosi transfugerant : nunciabantq; stadia quingenta abesse Persas, ipsos breuius iter monstraturos. Gratus regi aduentus transfugarum fuit. Itaq; prima uespera, ducibus ijsdem, cum expedita equitum manu monstratam uiam ingreditur, phalange, quantum festinare posset, sequi iussa. Ipse quadrato agmine incedens, ita cursum regebat, ut primi coniugi ultimis possent. ccc. stadia processerant, cum occurrit Broculus Mazæi filius Syriæ quondam prætor. Is quoque transfuga, nunciabat Bessum haud amplius quam c c. stadia abesse: exercitum, utpote qui nihil præcauerat, incompositum, inordinatumq; procedere. Hyrcaniam uideri petituros, si festinaret sequi palantes superuenturum. Darium adhuc uiuere. Strenuo alioquin, cupiditatem consequendi transfuga iniecerat. Itaque calcaribus subditis, effuso cursu eunt. Iamq; fremitus hostium iter ingredientium exaudiebatur : sed prospectum ademerat pulueris nubes. Paulisper ergo inhibuit cursum, donec consideret puluis. Iamq; conspecti à barbaris erant, & abeuntium agmen conspexerant, nequaquam futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad præliū, quantum ad paricidium fuerat. nanq; & numero barbari præstabant, & robore. Ad hoc, resecti cum fatigatis certamen initari erant. Sed nomen Alexandri & fama, maximum in bello utique momentum, pauidos in fugam conuertit. Bessus & cæteri facinoris eius participes uehiculum Darij assecuti, cœperunt hortari eum, ut conscenderet equum, & se hosti fuga eriperet. Ille deos ultores adesse testatur, & Alexandri fidem implorans, negat se paricidas uelle comitari. Tum uerò ira quoque accensi, tela iniiciunt in regem, multisq; confossum uulneribus relinquunt. Iumenta quoq; ne longius prosequi possent, conuulnerantur, duobus*

bus seruis, qui regem comitabantur, occisis. Hoc edito facinore, ut uestigia fugæ spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra paucis equitum comitantibus petebant. Barbari ducibus destituti, quæ quæque aut spes ducebat, aut pavor, dissipabantur. quingenti tantum equites congregauerant se, incerti adhuc, resistere ne melius esset, an fugere. Alexander, hostium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam præmittit. Ipse cum cæteris sequitur. tria ferme millia resistentium occisa sunt: reliquum agmen more pecudum intactum agebatur, iubente rege ut cædibus abstineretur. Nemo captiuorum erat, qui monstrare Darij uehiculum posset: singuli, ut quæque prehenderant, scrutabantur: nec tamen ullum uestigium fugæ regis extabat. Festinantem Alexandrum uix tria millia equitum persecuta sunt. At in eos, qui lentius sequebantur, incidebant uniuersa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plures captiui, quàm qui caperent, erant: adeò omnem sensum territis fortuna penitus excusserat, ut nec hostium paucitatem; nec multitudinem suam satis cernerent. Interim iumenta, quæ Darium uehebant, nullo regente decesserant militari uia, & errore delata per quatuor stadia, in quadam ualle constiterant, æstu simulq; uulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monstratum à peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit. Ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixæ conspexit: miratusq; confossa potius quàm abacta esse, semiuiui hominis corpus cum propius accessisset, in sordido uehiculo pellibus coniecto, situm repperit: atque Darium, multis quidem uulneribus confossum, adhuc tamen spirantem, esse cognouit. Qui applicito captiuo, cum ciuem ex uoce cognouisset, id

saltem presentis fortunæ solatium se habere dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas uoces emissurus. Hæcque Alexandro perferri iubet: Se nullis in eum meritorum officijs, maximorum autem illi debitorem mori. Agere tamen ei maximas gratias pro beneficijs, in matrem, coniugem, liberosque suos impensis. ijs enim uitam, & pristini status reuerentiam dignitatemque concessam: sibi autem à cognatis atque amicis, quibus & regna & uitam dederit, illa omnia erepta esse. Precari se, ut illi uictori, terrarum omnium imperium contingat. Vltionem sceleris erga se perpetrati, non solum sua, sed exempli, omniumque regum causa, non negligere, illi cum decorum tum utile futurum. Iamque deficiens aquam poposcit, quam allatam postquam bibit, Polystrato, qui eam tulerat: Quisquis es mortalium omnium, inquit, hoc mihi extremum uniuersæ calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam. at referat Alexander: Alexandro uero dii, pro eius summa in meos humanitate ac clementia. Cui hoc, fidei regie, unicum dextræ pignus, pro me dabis. Hæc dicentem, accepta Polystrati manu, uita destituit. Quibus Alexandro nuntiatis, ad corpus demortui perueniens, tam indignam illo fastigio mortem, lachrymis prosecutus est. Demptaque sibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem Sysigambim, patrio regioque more sepeliendum, atque regijs maiorum suorum tumultis infrendum, misit.

Hic prima pars v. i. libri intercidit, qua causæ belli inter Lacedæmonios & Macedonas, & apparatus utriusque gentis referebantur.

Q. CVRTII DE RE-  
BUS GESTIS ALE-  
XANDRI MAGNI  
LIB. VI.



**P**VGNAE discrimen immisit, obtruncatisq; qui promptius resistebant, magnam partem hostium propulit. Cceperant fugere uictores, donec audius sequentes in planum deduxere. Multi cadebant: sed ut primū locus, in quo stare possent, fuit, æquis uiribus dimicatum est. Inter omnes tamē Lacedæmonios rex eminebat, nō armorum modo & corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo uno uinci non potuit. Vndiq; nunc cominus nunc eminus petebatur, diuq; arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, corpore alia uitabat, donec hasta femora perfossa, plurimo sanguine effuso, desituere pugnantem. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, iactationem uulnerum haud facile tolerantem. Nec tamen omisere Lacedæmonij pugnam, & ut primum sibi quā hosti æquiores locum capere potuerunt, densatis ordinibus effusi, fluentem in se aciem exceperunt. non aliud discrimen uehementius fuisse, memoriæ proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnant. Lacedæmonijs uetera, Macedones præsentia decora intuebantur. Illi pro libertate, hi pro dominatione pugnant. Lacedæmonij dux, Macedonibus locus de-erat. Diei quoque unius tam multiplex casus modo spem, modo metum utriusque partis augebat, uelut de industria inter fortissimos uiros certamen æquante fortuna. Ceterum angustia loci, in quo hæserat pugna, non patiebantur

tur totis congregari uiribus. Spectabant ergo plures, quam inierant praelium: & qui extra teli iactum erant, clamore inuicem suos accendebant. Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma sudore uix sustinens, pedem deinde referre coepit, ut urgente hoste apertius fugeret. Insequabatur dissipatos uictor, & emensus cursu omne spaciâ, quod acies Laconum obtinuerat, ipsum Agim persequabatur ille, ut fugam suorum, & proximos hostium aspexit, deponi se iussit: expertusq; membra, an impetum animi sequi possent, posteaquam deficere se sensit, poplitibus semet excepit: galeaq; strenue sumpta, clypeo protegens corpus, hastam dextra uibrabat, ultro uocans hostem, si quis iacenti spolia demere auderet. nec quisquam fuit, qui sustineret cominus congregari. procul missilibus appetebatur, ea ipsa in hostem retorquens, donec lancea nudo pectori infixâ est: qua ex uulnere euulsa, inclinatum ac deficiens caput clypeo paulisper excepit. Deinde linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit. Cecidere Lacedaemoniorum quinque millia, & CCCLX. ex Macedonibus haud amplius CCC. Ceterum uix quisquam, nisi saucius reuertit in castra. Hæc uictoria non Spartam modo, sociosque eius, sed etiam omnes, qui fortunam belli spectauerant, fregit. Nec fallebat Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium, uultus: sed bellum finire cupienti, opus erat decipi: & quanquam fortuna rerum placebat, inuidiam tamen, quia maiores res erant, quam quas præfecti modus caperet, metuebat. quippe Alexander hostes uinci uoluerat, Antipatrum uicisse ne tacitus quidem indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quicquid cessisset alienæ. Itaque Antipater, qui probe nosset spiritum eius, non est ausus ipse agere arbitrum, uictoriæ: sed consilium

filium Græcorum, quod fieri placeret, consuluit: à quo Lacedæmonij nihil aliud, quàm ut oratores mittere ad regem liceret, precati, ueniam defectionis, præter autores, impetrauerunt. Megalopolitani, quorum urbs erat obsessa, ad defectionis eius multam Achæis & Actolis uiginti talenta dare inssi sunt. Hic fuit exitus belli, quod repente ortum prius tamen finitum est, quàm Darium Alexander apud Arbëllam superaret. Sed ut primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quàm quietis otij que patientior, exceperere eum uoluptates: & quem arma Persarum non fregerant, uitia uicerunt. Intempestiua conuiuia, & perpotandi peruigilandiq; insana dulcedo, ludij que, & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem: quem emulatus quasi potiozem suo, ita popularium animos oculosq; pariter offendit, ut plerisque amicorum pro hoste haberetur. tenaces quippe disciplinæ suæ, solitos que parco ac parabili uictu ad implenda naturæ desideria desungi, in peregrina & euictarum gentium mala impulerat. hinc sæpius comparatæ in caput eius insidiæ, secessio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor: ipsius deinde nunc ira, nunc suspiciones, quas excitabat inconsultus pavor, cetera que his similia, que deinde dicentur. Igitur cum intempestiuis conuiujs dies pariter noctesq; consumeret, satietatem epularum ludis interpolabat, non contentus musica artificum, quos è Græcia excitauerat, turba. quippe captiue sæminarum iubebantur suo ritu canere inconditum & abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam rex ipse conspexit moestiozem quàm ceteras, & producentibus eas uerecundè reluctansem. Excellens erat forma, & formam pudor honestabat. deiectis in terram oculis, & quantum licebat,

ore uelato, suspicionem præbuit regi, nobiliorem esse, quam ut inter conuiuales ludos deberet ostendi. Ergo interrogata quænam esset, neptem se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam esse respondit: uxorem Histaspis fuisse. Propinquus hic Darij fuerat, magni & ipse exercitus prætor. Adhuc in animo regis tenues reliquæ pristini moris hærebant. Itaque fortunam regia stirpe genitæ, & tam celebre nomen neptem Ochi reueritus, non dimitti modo captiuam, sed etiam restitui ei suas opes iussit: uirum quoque requiri, ut reperto coniugem redderet. Postero autem die præcepit Ephestioni, ut omnes captiuos in regiam iuberet adduci. Vbi singulorum nobilitate spectata, secreuit à uulgo, quorum eminebat genus: decem hi fuerunt, inter quos repertus est Oxatres Darij frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. Viginti sex millia talentorum è proxima præda redacta erant, è quæis duodecim millia in congiarum militum absumpta sunt. Par huic pecunie summa custodum fraude subtracta est. Oxidates erat nobilis Perses, qui à Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in uinculis. Huic liberato Satrapeam Mediæ attribuit, fratremq; Darij recipit in cohortem amicorum, omni uetustæ claritatis honore seruato. Hinc Parthienem peruentum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium qui post Euphratem & Tigrim amnes siti rubro mari terminantur. Scythæ regionem campestem ac fertilem occupauerunt, graues adhuc incolæ. Sedes habent & in Europa, & in Asia. Qui super Bosphorum mare colunt, adscribuntur Asiæ. At qui in Europa sunt, à Leuo Thraciæ latere ad Boristhenem, atque inde ad Tanaim alium amnem recta plaga attinent. Tanais Europam &

Asiam medius interfluit: nec dubitatur, quin Scythæ, qui Parthos condidere, non à Bosphoro, sed ex regione Europæ penetrauerint. Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita à Græcis. Ibi statius rex habuit, com-  
 meatibus undique aduectis. Itaque rumor ociosi militis uirum sine autore percrebuit, regem contentum rebus quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse. Discurrunt lymphatis similes in tabernacula, & itineri sarcinas aptant, signo dato credentes, ut uasa colligerent. Totis castris tumultus, hinc contubernales suos requi-  
 rentium, hinc onerantium plaustra. perfertur ad regem. Fecerant fidem rumori temere uulgato Græci milites, redire iussi domos, quorum equitibus singulis denariorum se-  
 na millia dono dederat. Ipsi quoque finem militiæ adesse credebant. Haud secus, quàm par erat, territus Alexander qui Indos atq; ultima Orientis peragrarare statuisset, præ-  
 fectos copiarum in prætorium contrahit: obortisq; lachry-  
 mis, ex medio gloriæ spacio reuocari se uicti magis quàm uictoris fortunam in patriam relaturum, conquestus est. nec sibi ignauiam militum obstare, sed decorum inuidiam, qui fortissimis uiris subitum patriæ desiderium admouissent, paulò post in eadem cum maiore laude famiq; redituris. Tum uerò pro se quisque operam suam offerre, difficillima queq; poscere, polliceri militum quoq; obsequium, si animos eorum leni & apta oratione permulcere uoluisset. Nun-  
 quam infractos & abiectos recessisse, quoties ipsius ala-  
 critatem & tanti animi spiritus haurire potuissent. Ita se facturum esse respondit: illi modo uulgi aures præparent sibi, satis que omnibus, quæ in rem uidebantur esse, com-  
 positis, uocari ad concionem exercitum iussit, apud quem talem orationem habuit. Magnitudinem rerum, quas ges-  
 simus:



simus milites, intuentibus uobis, minimè mirum est, & desiderium quietis, & satietatem gloriæ occurrere. ut omittam Illyricos, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Acheos, Peloponnesum, quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui: ecce orsi bellum ad Hellepontum, Ionas, Acolidem, seruitio Barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisides. Ciliciam, Syriam, Phœnicen, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienem habemus in potestate. Plures prouincias complexus sum, quàm alij urbes ceperunt: & nescio an enumeranti mihi quasdam ipsarum multitudo subduxerit. Itaque, si crederem satis certam esse possessionem terrarum, quæ tanta uelocitate domuimus, ego uerò milites ad penates meos, ad parentem sororesq; & cæteros ciues uel renitentibus uobis erumperem, ut ibi potissimum parta uobiscum laude & gloria fruerer, ubi nos uberrima uictoriæ præmia expectant, liberorum, coniugum parentumq; lætitiæ, pax, quies, rerum per uirtutem partarum secunda possessio. Sed in nouo, & (si uerum fateri uolumus) precario imperio, adhuc iugum eius rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore milites opus est, dum mitioribus ingenijs imbuuntur, & effæratos mollior consuetudo permulcet. Fruuges quoque maturitatem statuto tempore expectant: adeò etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid creditis tot gentes alterius imperio ac nomine assuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum coherentes, eodem prælio domitas esse, quo uictæ sunt? uestris armis continentur, non suis moribus: sed qui præsentibus metuant, in absentia hostes erunt. Cum feris bestijs res est, quas captas & inclusas, quia ipsa-

rum natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis, quæ fuerunt in ditione Darij. Hyrcaniam Nabarzines occupauit, Bactra non possidet solum paricida Bessus, sed etiam minatur. Sogdiani, Dahæ, Massagetæ, Sacæ, Indi sui iuris sunt. Omnes hi simul, si terga nostra uiderint, sequentur. Illi enim eiusdem nationis sunt, nos alienigenæ & externi. Suis autem quique parent placidius, etiam cum ijs præest, qui magis timeri potest. Proinde aut quæ cepimus, omittenda sunt: aut quæ non habemus occupanda. Sicut in corporibus ægris, milites, nihil quod nociturum est medici relinquunt: sic nos, quicquid obstat imperio, recidamus. Parua sæpe scintilla contempta, magnum excitauit incendium. Nil tuto in hoste despicitur: quem spreueris, ualentior em negligentia facies. Ne Darius quidem hæreditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus: ne uos magno labore credatis Bessum uacuum regnum occupaturum. Nos uerò peccauimus milites, si Darium ob hoc uicimus, ut seruo eius traderemus imperium: qui ultimum ausus scelus, Regem suum etiam externæ opis egentem, certè cui nos uictores pepercissimus, quasi captiuum in uinculis habuit, ad ultimum, ne à nobis conseruari posset, occidit. Hunc uos regnare patiemini? quem equidem crucifixum uidere festino, omnibus Regibus gentibusq; fidei, quam uiolauit, meritas pœnas soluentem. At hercule si mox eundem Græcorum urbes aut Hellepontum uastare nuntiatum erit uobis, quo dolore afficiemini, Bessum præmia uestræ occupasse uictoriæ? Tunc ad repetendas res festinabitis, tunc arma capietis. Quantò autem præstat territum adhuc, & uix mentis suæ compositionem opprimere? Quatridui nobis iter superest, qui tot

proculcauimus niues, tot amnes superauimus, tot montium  
 iuga transcurrimus: non mare illud, quod exestuans iter  
 fluctibus occupat, euntes nos moratur: non Cilicie fau-  
 ces, & angustiae includunt: plena omnia & prona sunt,  
 in ipso limine uictoriae stamus. Pauci nobis fugitui & do-  
 mini sui interfectores supersunt. Egregium me hercule  
 opus, & inter praemia gloriae uestrae numerandum poste-  
 ritati famaeq; tradetis: Darij quoque hostis, finito post mor-  
 tem eius odio, paricidas esse uos ultos: neminem impium  
 effugisse manus uestras. Hoc perpetrato, quanto creditis  
 Persas obsequentiores fore, cum intellexerint, uos pia bel-  
 la suscipere: & Bessi sceleri, non nomini suo irasci? Summa  
 militum alacritate, iubentium quocumque uellet duceret,  
 oratio excepta est: nec Rex moratus impetum: tertioque  
 per Parthienem die ad fines Hyrcaniae penetrat. Crate-  
 ro relicto cum ijs copijs, quibus praerat, & ex manu,  
 quam Amyntas ducebat, additis sex millibus equitibus, &  
 totidem sagittarijs, ut ab incurfione Barbarorum Parthie-  
 nem tueretur, Erigyium impedimenta modico praesidio da-  
 to campestri itinere ducere iubet. Ipse cum phalange &  
 equitatu c l. stadia emensus, castra in ualle qua Hyrcan-  
 niam adeunt: communit. Nemus praetis densisq; arbo-  
 ribus umbrosum est, pingue uallis solum rigantibus aquis,  
 quae ex petris eminentibus manant. Ex ipsis radicibus mon-  
 tium Zioberis amnis effunditur, qui tria ferè stadia in lon-  
 gitudinem uniuersus fluit: deinde saxo, quod alueolum in-  
 terpolat, repercussus, duo itinera uelut dispensatis aquis  
 aperit. inde torrens, & saxorum per quae incurrit, asperi-  
 tate uiolentior terram praecipit subit. per c c c. stadia con-  
 ditus labitur, rursusque uelut ex alio fonte conceptus edi-  
 tur, & nouum alueum intendit, priore sui parte spatio-  
 sior.

sior: quippe in latitudinem x l i i . stadiorum diffunditur: rursus que angustioribus coërcitus ripis iter cogit: tandem in alterum amnem cadit, cui Rhidago nomen est. Incole affirmabant, quicumque dimissi essent in cavernam, que propior est fonti, rursus per aliud os amnis in apertum existere. Itaque Alexander duos tauros quæ subeunt aquæ terram, præcipitari iubet: quorum corpora, ubi rursus erumpit, expulsa uidere qui missi erant ut exciperent. Quartum iam diem eodem loco quietem militi dederat, cum literas Nabarzanis, qui Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia hæc erat: Se Darius non fuisse inimicum, inò etiam quæ credidisset utilia esse suafisse: & quia fidele consilium Regi dedisset, prope occisum ab eo. Agitasse Darium, custodiam corporis sui contra ius fas' que peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos & triginta annos inuiolatam Regibus suis præstitissent. Se in præcipiti & lubrico stantem, consilium à præsentī necessitate reperisse. Darium quoque cum occidisset Bagoam, hæc excusatione satisfacisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset. Nihil esse miseris mortalibus spiritu charius. Amore eius ad ultima esse propulsum: sed ea magis esse secutum quæ coëgisset necessitas, quàm quæ optasset. In communi calamitate suam quenque habere fortunam. Si uenire se iuberet, sine metu esse uenturum. Non timere, ne fidem datam tantus Rex uiolaret. Deos à Deo falli non solere. Ceterum si cui fidem daret, uideretur indignus, multa exilia patere fugienti. Patriam esse ubicunque uir fortis sedem elegerit. Nec dubitauit Alexander fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare: inuiolatum, si uenisset, fore. Quadrato tamen agmine & composito ibat, speculatores subind

subinde præmittens, qui explorarent loca. Leuis armatura ducebat agmen: phalanx eam sequebatur: post pedites erant impedimenta. & gens bellicosa, & natura situs difficilis aditu, curam regi intenderat. Namque perpetua uallis iacet usque ad mare Caspium patens. Duo terræ eius uelut brachia excurrunt, media flexu modico sinum faciunt lunæ maxime similem, cum eminent cornus, nondum totum orbem sydere implente. Cercetæ, Mossini & Chalybes à Leua sunt: ab altera parte Leuco, yri, & Amazonum campi: & illos quæ uergunt ad Septentrionem: hos ad occasum conuersa prospectant. Mare Caspium dulcius cæteris ingentis magnitudinis serpentes alit, pisces longè diuersi ab alijs coloris: quidam Caspium, quidam Hyrcanum appellant. alij sunt qui Mæotida paludem in id cadere putent, & argumentum asserunt, aquam, quæ dulcior sit quàm cætera maria, infuso paludis humore mitescere. A Septentrione ingens in littus mare incumbit, longèque agit fluctus, & magna parte exæstiuans stagnat. Idem alio cæli statu recipit in se fretum, eodemque impetu, quo effusum est, relabens, terram naturæ suæ reddit: & quidam credidere non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium (ut supra dictum est) perpetua ualle submittitur. Hinc Rex uiginti stadia processit, semita propemodum inuia, cui sylua imminebat: torrentesque & eluuiæ iter morabantur. nullo tamen hoste obuiò penetravit: tandemque ad ulteriora peruentum est. Præter alios commeatus, quorum tum copia regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & uberrimum gignendis uuis solum est. Frequens arbor faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur: sed nisi solis ortum incolæ occupauerint, uel modico tepore succus extingui-

tur. xxx. hinc stadia processerat, cum Phrataphernes ei occurrit, seq; & eos qui post Darij mortem profugerant, dedens: quibus benignè exceptis, ad oppidum Aruas peruenit. Hic ei Craterus & Erigyus occurrunt, præfectum Tapurorum gentis Phradatem adduxerant. Hic quoq; in fidem receptus, multis exemplo fuit experiendi clementiam Regis. Satrapem deinde Hyrcaniæ dedit Menapim. exul hic regnante Ocho, ad Philippum peruenerat. Tapurorum quoque gentem Phradati reddidit. Iamque Rex ultima Hyrcaniæ intrauerat, cum Artabazus, què Darij fidiſſimum fuisse supra diximus, cum propinquis Darij ac suis liberis, modica que Græcorum militum manu occurrit. dexteram uenienti obtulit Rex: quippe & hospes Philippi fuerat, cum Ocho regnante exularet, & hospitij pignora, in Regem suum ad ultimum fides conseruata uincebat. Comiter igitur exceptus, Tu quidem, inquit, Rex perpetua felicitate floreas. Ego cæteris letus, hoc uno torqueor, quòd præcipiti senectute diu frui tua bonitate non possum. nonagesimum & quintum annum agebat. Nouem iuuenes eadem matre geniti patrem comitabantur. Hos Artabazus dextræ Regis admouit, precatus ut tam diu uiuerent, donec utiles Alexandro essent. Rex pedibus iter faciebat plerunque. Tunc admoueri sibi & Artabazo equos iussit, ne ipso ingrediente pedibus, senex equo uehi erubesceret. Deinde ut castra sunt posita, Græcos, quos Artabazus adduxerat, conuocari iubet. At illi, nisi Lacedæmonijs fides daretur, respondent, se, quid agendum ipsis foret, deliberaturos. Legati erant Lacedæmoniorum missi ad Darium: quo uictò, applicuerant se Græcis mercede apud Persas militantibus. Rex, omiſſis sponsionum fideiq; pignoribus, uenire eos iussit, fortunam, quam ipse dedisset, habitur

bituros. Diu cunctantes, plerisque consilia uariantibus, tandem uenturos se pollicentur. At Democrates Atheniensis, qui maximè Macedonum opibus semper obstiterat, uenia desperata, gladio se transigit. Ceteri (sicut constituerant) ditioni Alexandri seipso permittunt, decem nullia & quingenti milites erant. Præter hos legati ad Darium missi x c. In supplementum distributus miles, ceteri remissi domum, præter Lacedæmonios, quos tradi in custodiam iussit. Mardorū erat gens confinis Hyrcaniæ, cultu uitæ aspera, & latrocinij assueta. Hæc sola nec legatos miserat, nec uidebatur imperata factura. Itaque Rex indignatus, si una gens posset efficere, ne inuictus esset, impedimentis cum presidio relictis, inuicta manu comitante procedit. Noctu iter fecerat, & prima luce hostis in conspectu erat. Tumultus magis quam prælium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupauerant Barbari, profugiunt, proximiq; uici ab incolis deserti capiuntur. Interiora regionis eius haud sine adire sine magna uexatione exercitus poterat. Iuga montium præalte syluæ rupesq; inuicem sepiunt: ea, quæ plana sunt, nouo munimenti genere impedierant Barbari. Arbore dense sunt ex industria consitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terræ. Inde uelut ex alia radice latiores uirent trunci: hos, quæ natura fert, adolescere non sinunt: quippe alium alij quasi nexu conferunt: qui ubi multa fronde uestiti sunt, operiunt terram. Itaque occultus nexus ramorum, uelut laquei, perpetua sepe iter claudit. Vna ratio erat, cædendo aperire saltum. Sed hoc quoq; magni operis: crebri namq; nodi nudauerant stipites, & in se implicati arborum rami suspensis circulis similes lento uimine frustrabantur ictus. Incole autem ritu ferarum uirgulta subire soliti, tum quoq; intrant

nerant saltum, occultisq; telis hostem laceffabant. Ille uenantium modo latibula scrutatus, plerosq; confodit; ad ultimum circuire saltum milites iubet, ut, si quã pateret, irrumperent. Sed ignotis locis pleriq; oberrabant. Excepti sunt quidam, inter quos equus Regis (Bucephalam uocabant) quem Alexander non eodem, quo ceteras pecudes, animo aestimabat: nam ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium: & Regem, cum uellet ascendere, sponte sua genua submittere excipiebat, credebaturq; sentire quem ueberet. Maiore ergo quã decebat ira simul ac dolore stimulatus, equum uestigari iubet, & per interpretem pronuntiari, ni reddidissent neminem esse uicturum. Hac denuntiatione territi, cum ceteris donis equum adducunt. Sed ne sic quidam mitigatus, cædi syluas iubet, aggestaq; humo e montibus planiciem ramis impeditam exaggerari. Iam aliquantulum altitudinis opus creuerat, cum Barbari, desperati regionem quam occupauerant posse retineri, gentem suam dedidere. Rex obsidibus acceptis, Phradati tradere eos iussit. Inde quinto die in statua reuertitur. Artabazũ deinde, geminato honore quam Darius habuerat ei, remittit donum. Iamq; ad urbem Hyrcaniæ, in qua regia Darij fuit, uentum erat. ibi Narbarzanes, accepta fide, occurrit, dona ingentia ferens. Inter quæ Bagoas erat specie singulari spado, atq; in ipso flore pueritiæ, cui & Darius fuerat assuetus, & mox Alexander assueuit: eiusq; maxime precibus motus Nabarzani ignouit. Erat (ut suprã dictum est) Hyrcaniæ finitima gens Amazonũ circa Thermodoonta amnem Themiscyræ incolentium campos. Reginam habebant Thalestrim omnibus inter Caucasum montem & Phasim amnẽ imperitantem. Hæc cupidine uisendi regis accensa, finibus regni sui excessit, & cum haud procul abesset, præmisit

indie



indicantes, uenisse reginam ad cundi eius cognoscendi que  
 auidam. Protinus facta potestate ueniendi, ceteris iussis  
 subsistere, ccc. foeminarum comitatu processit. Atque ut  
 primum Rex in conspectu fuit, equo ipsa desiliuit, duas lan-  
 ceas dextra praefrens. Vestis non toto Amazonum corpo-  
 ri obducitur. nam leua pars ad pectus est nuda, caetera de-  
 inde uelantur: nec tamen sinus uestis, quem nodo colligunt,  
 infra genua descendit. altera papilla intacta seruatur, qua  
 muliebris sexus liberos alant: aduritur dextera, ut arcus  
 facilius intendant, & tela uibrent. Interrito uultu Regem  
 Thalestris intuebatur, habitum eius haud quaquam rerum  
 famae parem oculis perlustrans: quippe hominibus Barba-  
 ris in corporum maiestate ueneratio est, magnorumq; ope-  
 rum non alios capaces putat, quam quos eximia specie do-  
 nare natura dignata est. Caeterum interrogata, num ali-  
 quid petere uellet: haud dubitauit fateri, ad comunicandos  
 cum Rege liberos se uenisse, dignam ex qua ipse regni ge-  
 neraret heredes. Foeminini sexus se retenturam, mare red-  
 dituram patri. Alexander, an cum ipso militare uellet, in-  
 terrogat: & illa causata, sine custode regnum reliquisse,  
 petere perseuerabat, ne se irritam spei pateretur abire.  
 Acrior ad Venerem foeminae cupido, quam regis, ut paucos  
 dies subsisteret, perpulit. xiiii. dies in obsequium deside-  
 rij absumpti sunt. Tum illa regnum suum, Rex Parthie-  
 nem, petiuerunt. Hic uero palam cupiditates suas soluit  
 continentiamq; & moderationem, in altissima qua; for-  
 tuna eminentia bona, in superbiam ac lasciuiam uertit. Pa-  
 trios mores, disciplinamq; Macedonum Regum salubriter  
 temperatam, & ciuilem habitum, uelut leuora magnitudi-  
 ne sua ducens, Persicae regie par Deorum potentie fasti-  
 gium emulabatur. Iacere humi uenerabundos pati coepit,

*paulatimq; seruilibus ministerijs tot uictores gentium imbuere, & captiuis pares facere expetebat. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, uestemq; Persicam sumpsit, ne omen quidem ueritus, quod à uictoris insignibus in deuicti transfiret habitum. & ille se quidem Persarum spolia gestare dicebat, sed cum illis quoq; mores induerat: superbiamq; habitus, animi insolentia sequebatur. Literas quoq;, quas in Europem mitteret, ueteris anuli gemma obsignabat: ijs, quas in Asiam scriberet, Darij anulus imprimebatur, ut appareret, unum animum duorum non capere fortunam. Amicos uero & equites, cumq; his principes militum aspernantes quidem, sed recusare non ausos, Persicis ornauerat uestibus. Pellices ccc & lxx. totidem quot Darij fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges, & ipsi muliebria pati assueti, sequebantur. Hoc luxu & peregrinis infecti moribus ueteres Philippi milites, rudis naturæ, uoluptates palàm auersabantur: totisq; castris unus omnium sensus ac sermo erat, plus amissum uictoria, quàm bello quesitum esse. Tum maximè uinci ipsos, dediq; alienis moribus & externis: tantæ moræ pretium, domos quasi in captiuo habitu reuersuros. pudere iam sui regem, uictis quàm uictoribus similiorem, ex Macedonia Imperatore Darij Satrapen factum. Ille non ignarus & principes amicorum & exercitum grauitè offendi, gratiam liberalitate donisq; recuperare tentabat. Sed (ut opinor) liberis pretium seruitutis ingratum est. Igitur, ne in seditionem res uerteretur, ociùm interpellandum erat bello, cuius materia opportunè alebatur. Nanque Bessus, ueste regia sumpta, Artaxerxem appellari se iusserat, Scytasq; & ceteros Tandis accolæ contrahebat. Hæc Nabarzanes nun-*

ciabat, quem receptum in fidem regioni, quam antea obtinuerat, præfecit. Et cum graue spolijs apparatusq; luxurie agmen uix moueretur, suas primum, deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodum necessarijs, conferri iussit in medium. Planicies spaciota erat, in quam uehicula onusta perduxerat. Expectantibus cunctis quid deinde esset imperaturus, iumenta iussit abduci, suisq; primum sarcinis face subdita, cæteras incendi præcepit. Flagrabant exurentibus dominijs, quæ ut intacta ex urbibus hostium raperent, sepe flammis restrinxerant, nullo sanguinis pretium audente desistere, cum regias opes idem ignis exureret. Breuis deinde oratio mitigauit dolorem, habilesq; militie & ad omnia parati, letabantur sarcinarum potius quam disciplinæ fecisse iacturam. Igitur Bactrianam regionem petebant, sed Nicanor Parmenionis filius subita morte correptus, magno desiderio sui affecerat cunctos. Rex ante omnes mortuus cupiebat quidem subsistere, funeri affuturus: sed penuria comæatum festinare cogebat. Itaque Philotas cum duobus millibus & sexcentis relictus, ut iustus fratri persolueret: ipse contendit ad Bessum. Iter facienti, literæ ei afferuntur à finitimis Satraparum: è quibus cognoscit, Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu: cæterum Satibarzanem, quem Satrapen Ariorum ipse præfecisset, desecisse ab eo. Itaq; quanquam Besso imminerebat: tamen ad Satibarzanem opprimendum præuerti optimum ratus, leuem armaturam, & equestres copias educit: totaq; nocte strenuè facto itinere, improuisus hosti superuenit. Cuius cognito aduentu, Satibarzanes cum duobus millibus equitum (nec enim plures subito contrahi poterant) Bactra per fugit: cæteri proximos montes occupauerunt. Prærupta rupes erat, quæ spectat Occidentem. Eadem

quæ

quã uergit ad Orientem, leuiore submissa fastigio, multis arboribus obsita, perennem habet fontem, ex quo large aquæ manant. Circuitus eius triginta & duo stadia comprehendit. In uertice herbidus campus. In hoc multitudinem imbellem considerare iubent: ipsi quã rupes erat, arborum truncos & saxa obmoliuntur. tredecim millia armati erant. in horum obsidione Cratero relicto, ipse Satibarzanem sequi festinat. Et quia longius eum abesse cognouerat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupauerant, redit. Ac primò repurgari iubet quicquid ingredi possent: deinde ut occurrerant inuicæ cotes, præruptæq; rupes, irritus labor uidebatur obstante natura. Ille ut erat animi semper obluētantis difficultatibus, cum & progredi arduum, & reuerti periculosum esset, uersabat se ad omnes cogitationes, aliud atq; aliud (ita ut fieri solet ubi prima quæq; damnamus) subijciente animo. hæsitanti, quod ratio non potuit, fortuna consiliū subministravit. Vehemens Fauonius erat, & multam materiam cæciderat miles, aditum per saxa molitus. Hæc uapore torrida inaruerat. Ergo aggerari alas arbores iubet, & igni dare alimenta: celeriterq; stipitibus cumulatis, fastigium montis æquatum est. Tunc undiq; ignis inteetus cuncta comprehendit: flammam in ora hostium uentus ferebat: fumus ingens uelut quoddam nube absconderat cælum. Sonabant in cendio syluæ, atque ea quoq; , quæ incenderat miles, concepto igne proxima quæq; adurebant. Barbari suppliciorum ultimum, si quã intermitteret ignis, effugere tentabant: sed quã flamma dederat locum, hostis obstabat. Varia igitur cæde consumpti sunt. Alij in medios ignes, alij in petras præcipitauerunt se, quidam manibus hostium se obtulerunt, pauci semiustulati uenere in potestatem. Hinc ad Craterũ, qui Artacacnam

obsidebat, redit. Ille omnibus præparatis, regis expectabat aduentum, captæ urbis titulo (sicut par erat) cedens. Igitur Alexander turres admoueri iubet: ipsoq; aspectu territi Barbari, è muris supinas manus tendentes, orare coeperunt, ut iram in Satibarzanem defectionis autorem reseruaret, supplicibus semet dedentibus parceret. Rex, data uenia, non obsidionem modò soluit, sed omnia sua incolis reddidit. Ab hac urbe digresso, supplementum nouorum militum occurrit. Zoilus quingentos equites ex Græcia adduxerat, tria millia ex Illyrico Antipater miserat. Thessali equites centum & triginta cum Philippo erant. Ex Lydia duo millia & sexcenti peregrinus miles aduenierant. ccc. equites gentis eiusdem sequebantur. Hac manu adiecta Drangas peruenit. Bellicosa natio est. Satrapes erat Nabarzanes sceleris in regem suum particeps Besso. Is suppliciorum, quæ meruerat, metu profugit in Indiam. Iam nonum diem statua erant, cum externa uis non interritus modo rex, sed inuictus, intestino facinore petebatur. Dymnus modicæ apud regem autoritatis & gratiæ, exoleti, cui Nicomacho erat nomen, amore flagrabat, obsequio uni sibi dediti corporis uictus. Is, quod ex uultu quoque pèspici poterat, similis attonito, remotis arbitris cum iuene secessit in templum, arcana se & silenda afferre præfatus: suspensumq; expectatione, per mutuam charitatem, & pignora utriusq; animi rogat, ut affirmet iureiurando, quæ commisisset, silentio esse tecturum. Et ille ratus, nihil quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum, per præsentés deos iurat. Tum Dymnus aperit, in tertium diem insidias regi comparatas, seq; eius consilij fortibus uiris & illustribus esse participem. Quibus iuuenis auditis, se uerò fidem in paricidio dedisse constanter abnuuit, nec

illa religione, ut scelus tegat, posse constringi. Dymnus & amore & metu amens, dextram exoleti complexus, & lachrymans, orare primum coepit, ut particeps consilij operisq; fieret. Si id sustinere non posset, attamen ne proderet se, cuius erga ipsum beneuolentiae praeter alia hoc quoq; haberet fortissimum pignus, quod caput suum permisisset fidei adhuc inexpertae. Ad ultimum auersari scelus perseuerantem, metu mortis terret. Ab illo capite coniuratos pulcherrimum facinus inchoaturos. Alias deinde effœminatam, & muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appellans, nunc ingentia promittens, interdumq; regnum quoq; uersabat animum tanto facinore procul abhorrentem. strictum deinde gladium modo illius, modo suo admouens iugulo, supplex idem & infestus expressit, ut tandem non solum silentium, sed etiam operam polliceretur. nanq; abunde constantis animi, & dignus qui pudicus esset, nihil ex pristina uoluntate mutauerat: sed se captum Dymni amore simulabat nihil recusare. Sciscitari deinde pergit, cum quibus tantae rei societatem inisset. Plurimum referre, quales uiri tam memorabili operi adnoturi manus essent. Ille & amore & scelere male sanus, simul gratias agit, simul gratulatur, quod fortissimis iuuenum non dubitasset se iungere, Demetrio corporis custodi, Peculao, Nicanori. Adiecit his Aphobetum, Loccum, Diosemum, Archepolim, & Amyntam. Ab hoc sermone dimissus Nicomachus, ad fratrem (Ceballino erat nomen) quae acceperat, defert. Placet ipsum subsistere in tabernaculo, ne si regiam intrasset, non assuetus adire regem, coniurati proditos se esse resciscerent. Ipse Ceballinus ante uestibulum regiae (neq; enim propius aditus ei patebat) consistit, operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, à quo in-

troduceretur ad regem. Fortè, cæteris dimissis, unus Philotas Parmenionis filius, incertum quam ob causam, substiterat in regia. Huic Ceballinus ore confuso magnæ perturbationis notas præ se ferens, aperit quæ ex fratre compererat, & sine cunctatione nunciari regi iubet. Philotas, laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum: multoq; inuicem de alijs rebus consumpto sermone, nil eorum quæ ex Ceballino cognouerat, nunciat. Sub uesperam cum procedentem in uestibulo regie excipit iuuenis, an mandatum exsecutus foret, requirens. Ille, non uacasse sermoni suo regem causatus, discessit. Postero die Ceballinus uenienti in regiam præsto est, intrantemq; admonet pridie communicatæ cum ipso rei. Ille, curæ sibi esse, respondit: ac ne tum quidem regi, quæ audierat, aperit. Cœperat Ceballino esse suspectus. Itaq; non ultra interpellandum ratus, nobili iuueni (Metron erat nomen ei) super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. Ille, Ceballino in armamentario abscondito, protinus regi corpus forte curanti, quid ei index detulisset ostendit. Rex, ad comprehendendû Dymnum missis satellitibus, armamentarium intrat. Ibi Ceballinus gaudio elatus, Habeo te, inquit, incolumem ex impiorum manibus ereptum. Percontatus deinde Alexander, quæ noscenda erant, ordine cuncta cognoscit. Rursusq; institit quærere, quotus dies esset, ex quo Nicomachus ad eum detulisset indicium. Atque illo fatente, iam tertium esse: existimans, haud incorrupta fide tanto post deferre quæ audierat, uinciri eum iussit. Ille clamitare cœpit, eodem temporis momento quo audisset, ad Philotam decurrisse: ab eo percontaretur. Rex item quærens, an Philotam adisset, an institisset ei, ut perueniret ad se, perseuerante eo affirmare quæ dixerat, manus ad

coelum

*cœlum tendens, manantibus lacrymis, hanc sibi à charissimo quondam amicorum relatum gratiam querebatur. Inter hæc Dymnus, haud ignarus quam ob causam accerferetur à rege, gladio, quo fortè erat cinctus, grauitè se uulnerat: occursumq; satellitum inhibitus, perfertur in regiam. Quem intuens rex: Quod, inquit, in te Dymne tantum cogitauit nefas, ut tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipso uideretur? Illum iam defecerat uox. Itaq; edito gemitu, uultuq; à conspectu regis auerso, subinde collapsus extinguitur. Rex, Philota uenire in regiam iussor: Ceballinus, inquit, ultimum supplicium meritus esset, si in caput meum præparatis insidias biduo texisset. Huius criminis reum Philotam substituit, ad quem protinus indicium detulisse se affirmat. quo propiore gradu amicitie me contingis, hoc maius est dissimulationis tuæ facinus: & ego Ceballino magis, quàm Philotæ id conuenire fateor. Fauentem habes iudicem, si, quod admitti non oportuit, saltem negari potest. Ad hæc Philotas haud sanè trepidus, si animus uultu æstimaretur, Ceballinum quidem scorti sermonem ad se detulisse, sed ipsum tam leui auctori nihil credidisse respondit, ueritum, ne iurgium inter amatorem & exoletum non sine risu aliorum detulisset. Quum Dymnus interemerit seipsum, qualiacunque erant, non fuisse reticenda. complexusq; regem orare cœpit, ut præteritam uitam potius, quàm culpam, silentij tamen, non facti ullius, intueretur. Haud facile dixerim, crediderit ne ei rex, an altius iram suppresserit: dextram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit, & contemptum magis quam celatum indicium esse, uideri sibi dixit. Aduocato tamen consilio amicorum, cui tum Philotas adhibitus non est, Nicomachum introduci iubet. Is eadem, quæ detulerat ad regem, ordine exposuit.*



Erat Craterus regi charus in paucis, & eo Philotæ ob emulationem dignitatis aduersus. Neque ignorabat, sepe Alexandri auribus nimia iactatione uirtutis atque operæ grauem fuisse, & ob ea non quidem sceleris, sed contumaciæ tamen suspectum. Non aliam premendi inimici occasionem aptiorē futuram ratus, odio suo pietatis præferens speciem: Utinam, inquit, in principio quoq; huius rei nobiscum deliberasses: suauissimus, si Philotæ uelles ignoscere, patere potius ignorare eum quātum deberet tibi, quā usq; ad mortis metum adductum cogeres potius de periculo suo, quā de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari tibi poterit, tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec est quòd existimes, eum, qui tantum facinus ausus est, uenia posse mutari. Scit, eos, qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. At ego, etiam si ipse uel pœnitentia uel beneficio tuo uictus quiescere uolet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos autoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio nō equo animo salutem filij sui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus. Meruisse mortem, confiteri pudet. Superest, ut malit uideri iniuriam accepisse, quā uitam. Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. Latus à domesticis hostibus muni. Hos si submoueas, nihil metuo ab externo. Hæc Craterus. Nec ceteri dubitabant, quin coniurationis indicium suppressurus non fuisset, nisi autor aut particeps. Quem enim pium & bonæ mentis non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis quæ ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? nec Ceballini quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipsi nunciasset. Parmenionis filium, præse-

tum

etum equitatus, omnium arcanorum regis arbitrum, simul-  
 lasse etiam non uacasse sermoni suo regem, ne index alium  
 internuncium quæreret. Nicomachum religione quoque  
 deum astrictum conscientiam suam exonerare properasse:  
 Philotam, consumpto per ludum iocumq; penè toto die,  
 grauatum esse pauca uerba ad caput regis pertinentia  
 tam longo & forsitan superuacuo inserere sermoni. At  
 enim si non credidisset talia desèrentibus pueris, cur igi-  
 tur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fidem?  
 Dimittendum fuisse Ceballinum, si dilationem eius damna-  
 bat. In suo quenq; periculo magnum animum habere: cum  
 de salute regis timeretur, credulos esse debere, uana quoq;  
 desèrenteis admittere. Omnes igitur quætionem de eo, ut  
 participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse de-  
 cernunt. Rex, admonitos ut consilium silentio premerent,  
 dimittit. Pronunciari deinde iter in posterum diem iubet,  
 ne qua noui imiti consilij daretur nota. Inuitatus est etiam  
 Philotas ad ultimas ipsius epulas: & non cœnare modo,  
 sed etiam familiariter alloqui cum eo, quem damnauerat,  
 sustinuit. Secunda deinde uigilia luminibus extinctis, cum  
 paucis in regiam coeunt, Ephestion, & Craterus, & Cœ-  
 nus, & Erigyus. Hi ex amicis. Ex armigeris autem Per-  
 diccas & Leonatus. Per hos imperatum, ut qui iuxta præ-  
 torium excubabant, armati uigilarent: Iam ad omnes adi-  
 tus dispositi milites, equites itinera quoque obsidere iussi,  
 ne que ad Parmenionem, qui tum Mediæ magniq; copijs  
 præerat, occultus euaderet. Attarras autem cum trecentis  
 armatis intrauerat regiam. huic decem satellites tradun-  
 tur: quorum singulos deni armigeri sequebantur. Ii ad  
 alios coniuratos comprehendendos distributi sunt. Attar-  
 ras cum trecentis ad Philotam missus, clausum aditum do-

mus moliebatur, quinquaginta iuuenum promptissimis stipatus. Nam ceteros cingere undique domum iusserat, ne occulto aditu Philotas posset elabi. Illum, siue securitate animi, siue fatione resolutum, somnus oppresserat: quem Attarras torpentem adhuc occupat. Tandem ei sopore discusso, cum inicerentur cathenæ: Vicit, inquit, bonitatem tuam rex inimicorum acerbitas. nec plura locutum, capite uelato in regiam abducunt. Postero die rex edixit, ut omnes armati coirent. sex millia fere militum uenerant: præterea turba lixarum calonumq; impleuerant regiam. Philotam armigeri agmine suo tegebant, ne ante conspici posset à uulgo, quàm rex allocutus milites esset. De capitalibus rebus reges uetusto Macedonum modo inquirebant. Exercitus in parte erat uulgi. nihil potestas regum ualebat, nisi prius ualuisset autoritas. Igitur primum Dymni cadauer infertur, plerisque, quid patraisset, quo ue casu extinctus esset, ignaris. Rex deinde in concionem procedit, uultu præferens dolorem animi. amicorum quoque mœstitia expectationem haud paruam ei fecerat. Diu rex, demisso in terram uultu, attonito stupentiq; similis stetit. Tandem recepto animo: Penè, inquit, milites, paucorum hominum scelere uobis ereptus sum. Deum prouidentia & misericordia uiuo: conspectusq; uester uenerabilis coëgit, ut uehementius paricidis irascerer: quoniam spiritus, immo uitæ meæ unus fructus est, tot fortissimis uiris de me optimè meritis referre adhuc gratiam posse. Interrupit orationem militum gemitus, aborteq; sunt omnibus lacrymæ. Tum rex inquit: Quantò maiorem in animis uestris motum excitabo, cum tanti sceleris autores ostendero, quorum mentionem adhuc reformido, & tanquam salui esse possint, nominibus abstineo? Sed uincenda est memoria

*moria pristinae charitatis, & coniuratio impiorum ciuium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam? Parmenio illa etate, tot meis, tot parentis mei meritis deuinctus, omnium nobis amicorum uetustissimus, ducem tanto sceleri se praebuit. Minister eius Philotas Peucolaum & Demetrium, & hunc Dymnū. cuius corpus aspicitis, ceterosq; eius amentiae comites in caput meum subornauit. Fremitus undique indignantium querentiumq; tota concione obstrepebat, qualis solet esse multitudinis, & maximè militaris, ubi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, & Metron, & Ceballinus producti, quae quisq; detulerat, exponunt: nullius eorum indicio Philotas in participes sceleris destinabatur. Itaq; indignatione pressa, uox indicum silentio excepta est. Tum rex: Qualis, inquit, ergo animi uobis uidetur, qui huius rei delatum iudiciū id ipsum suppressit? quod non fuisse uanum, Dymni exitus declarat. Incertam rem deferens, tormenta non timuit. Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eò, ubi lauabar, irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi uirum. Iste regis periculo, cum moneretur, uultum non mutaret? indicem tantae rei sollicitus non audiret? Subest nimirum silentio facinus, & auida spes regni praecipitem animum ad ultimum nefas impulit. Pater Mediae praest. Ipse apud multos copiarum duces meis praepotens uiribus, maiora quam capit sperat. Orbitas quoq; mea, quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas. In uobis liberos, parentes, consanguineos habeo. Vobis saluis, orbis esse non possum. Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem & Philotam scripserat, recitat, haud sanè iudicium grauioris consilij ferentem. Namque summa eius haec erat. Primum uestri*

stri curam agite, deinde uestrorum. sic enim, quæ destinauimus, faciemus. Adiecitq; rex, Sic esse scriptam, ut siue ad filios peruenisset, à conscijs posset intelligi: siue intercepta esset, falleret ignaros. At enim Dymnus, cum cæteros participes sceleris indicaret, Philotā non nominauit. Hoc quidem illius non innocentiae, sed potentiae indicium est, quòd sic ab ijs timetur etiam, à quibus prodi potest, ut dum de se fateantur, illum tamen celent. Cæterum Philotam ipsius indicat uita. Hic Amyntæ, qui mihi consobrinus fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparauit insidias, socium se & conscium adiunxit. Hic Attalo, quo grauiorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, cum scripsissem ei pro iure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis sors edita esset Iouis Hammonis oraculo: sustinuit scribere mihi, Se quidem gratulari, quòd in numerum deorum receptus essem: cæterum misereri eorum, quibus uiuendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. Hæc sunt animi etiam pridem alienati à me, & inuidentis gloriæ meæ indicia: quæ equidem milites, quando licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem uiscerum meorum abrumpere, si in quos tam magna contuleram, uiliores mihi facerem. Sed iam non uerba puniendæ sunt, lingue temeritas peruenit ad gladios. Hos (si mihi creditis) Philotas in me aciat. si ipsum dimiserò, quò me conferam milites? cui caput meum credam? Equitatu optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ iuuentutis unum præfeci: salutem, spem, uictoriam meam fidei eius tuteq; commisi: patrem in idem fistigium, in quo me ipsi posuistis, admoui. Mediam, qua nulla opulentior regio est, tot ciuium sociorumq; millia imperio eius ditioni que subieci. Vnde præsidium petieram, periculum existit.

Quam

Quàm feliciter in acie occidisssem potius hostis præda,  
 quam ciuis uictima. Nunc seruatus ex periculis, quæ sola  
 timui, in hæc incidi, quæ timere non debui. Soletis identidem  
 à me milites petere, ut saluti meæ parcam. Ipsi mihi  
 præstare potestis, quod suadetis ut faciam. Ad uestras ma-  
 nus, ad uestra arma confugio. inuitis uobis saluus esse nolo:  
 uolentibus non possam, nisi uindictor. Tum Philotam, reli-  
 gatis post tergum manibus, obsoleto amiculo uelatum iussit  
 induci. Facile apparebat, motos esse tam miserabili habi-  
 tu, non sine inuidia paulò antè conspecti. Ducem equita-  
 tus pridie uiderant, sciebant regis interfuisse conuiuio.  
 Repente non reum quidem modo, sed etiam damnatum,  
 immo uinctum intuebantur. Subibat animos Parmenionis  
 quoque tanti ducis, tam clari ciuis fortuna, qui modo duo-  
 bus filiis Hectore & Nicanore orbatu, cum eo quem re-  
 liquum calamitas fecerat, absens diceret causam. Itaque  
 Amyntas regis prætor, inclinatum ad misericordiam con-  
 cionem, rursus aspera in Philotam oratione commouit. Pro-  
 ditos eos esse barbaris: neminem ad coniugem suam, ne-  
 minem in patriam, & ad parentes fuisse rediturum: uelut  
 truncum corpus, dempto capite, sine spiritu, sine nomine,  
 in aliena terra ludibrium hostis futuros. Haud quaquam  
 pro re ipsius Amyntæ oratio grata regi fuit, quod coniu-  
 gum, quòd patriæ admonitos, pigriores ad cætera munia  
 exsequenda fecisset. Tunc Cœnus, quanquam Philotæ so-  
 rorem matrimonio secum coniunxerat, tamen acrius quàm  
 quisquam in Philotam inuectus est, parricidam esse regis,  
 patriæ, exercitus clamitans: saxumq; quod fortè ante pe-  
 des iacebat, arripuit, emissurus in eum, ut pleriq; credi-  
 dere, tormentis subtrahere cupiens: sed rex manum eius in-  
 hibuit, dicendæ prius causæ debere fieri potestatem, nec  
 aliter

aliter iudicari passurum se affirmans. Tum diceretur sus  
 permissus Philotas, siue conscientia sceleris, seu periculi  
 magnitudine amens & attonitus, non attollere oculos, non  
 hiscere audebat. Lacrymis deinde manantibus, linquente  
 animo, in eum, à quo tenebatur, incubuit: abstersisq; ami-  
 culo eius oculis, paulatim recipiens spiritum ac uocem, di-  
 cturus uidebatur. Iamq; rex intuens eum: Macedones, in-  
 quit, de te iudicaturi sunt: quero, an patrio sermone sis  
 apud eos usurus? Tum Philotas: Præter Macedonas, in-  
 quit, pleriq; adsunt, quos facilius quæ dicam percepturos  
 arbitror, si eadem lingua fuero usus, qua tu egisti, non ob  
 aliud (credo) quàm ut oratio tua intelligi posset à pluri-  
 bus. Tum rex: Ecquid uidetis odio etiam sermonis patrij  
 Philotam teneri? Solus quippe fastidit eum dicere. Sed di-  
 cat sanè utcunq; cordi est, dum memineritis, æquè illum à  
 nostro more atq; sermone abhorrere. Atq; ita concione ex-  
 cessit. Tum Philotas: Verba, inquit, innocenti reperire fa-  
 cile est, modum uerborum misero tenere difficile. Ita q; inter  
 optimã conscientiam, & iniquissimam fortunam, destitutus  
 ignoro quo modo & animo meo & tempore paream. Absit  
 quidem optimus causæ meæ iudex: qui cur me ipse audire  
 noluerit, non me herculè excogito, quum illi utiq; cognita  
 causa, tam damnare me liceat quàm absolvere. Non cog-  
 nita uerò, liberari ab absente non possum, qui à presente  
 damnatus sum. Sed quinquam uinculi hominis non super-  
 uacua solum, sed etiam inuisa defensio est, quæ iudicem non  
 docere uidetur, sed arguere: tamen utcunq; licet me dicere,  
 memetipse non deseram, nec committam ut damnatus etiam  
 mea sententia uidear. Equidem cuius criminis reus sim, non  
 uideo. Inter coniuratos nemo me nominat. De me Nico-  
 machus nihil dixit. Ceballinus plus quàm audierat, scire

non potuit. Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex. Potuit ergo Dymnus eum præterire, quem sequebatur? præsertim quum querenti socios uel falsò facrim nominandus, quo facilius, qui tentabatur, posset impelli. non enim, detecto facinore, nomē meum præterijt, ut posset uideri socio pepercisse Nicomachus, quem taciturnum arcana de semetipso credebat. confessus, alijs nominatis, me unum subtraherat. Quæso commilitones, si Ceballinus non me adisset, nihil me de coniuratis scire uoluisset, num hodie dicerem causam, nullo me nominante? Dymnus sanè & uiuat adhuc, & uelit mihi parcere: quid ceteri, qui de se confitebuntur? me uidelicet subtrahent? Maligna est calamitas: & uerè noxius, quum suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. Tot conscij ne in equuleum quidem impositi uerum fatebuntur? Atqui nemo parcat morituro, nec cuiquam moriturus ut opinor. Ad uerum crimen, & ad unum reuertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti? cur tam securus audisti? Hoc qualecunq; est, confesso mihi, ubi-  
 cunq; es Alexander, remisisti: dexteram tuam amplexus reconciliati pignus animi, conuiuio quoque interfui. Si credidisti mihi absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium tuum serua. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum à mensa tua, feci? quod nouum facinus delatum ad te, mutauit animum tuum? Graui sopore acquiescebam, cum me malis indormientem meis inimici uinciendo excitarunt. Vnde & paricide & proditori tam alti quies somni! Scelerati conscientia obstrepente, quum dormire non possint, agitant eos furie, non cogitato modo, sed & consummato pericidio. At mihi securitatem primùm innocentia mea, deinde dextera tua, obtulerant. Non timui ne plus alienæ crudelitati apud te liceret, quàm clementiæ tuæ. Sed ne te  
 mihi



mihi credidisse pœniteat, res ad me deferretur à puero,  
 qui non testem, non pignus indicij exhibere poterat, im-  
 pleturus omnes metu, si coepisset audiri. Amatoris & scori-  
 ti iurgio interponi aures meas credidi infelix, & fidem  
 eius suspectam habui, quòd non ipse deferret, sed fratrem  
 potius subornaret. Timui ne negaret mandasse se Cebal-  
 lino, & ego uiderer multis amicorum regis fuisse peri-  
 culi causa. Sic quoque cum læscrim neminem, inueni qui  
 mallet perire me, quàm incolumen esse. Quid inimicitia-  
 rum creditis accepturum fuisse, si insontes laceßissem?  
 At enim Dymnus se occidit. Num igitur facturum eum  
 diuinare potui? Minimè. Ita quod solum indicio fidem fe-  
 cit, id me, cum à Ceballino interpellatus sum, mouere non  
 poterat. At hercule si conscius Dymno tanti sceleris fuis-  
 sem, biduo illo proditos esse nos, dissimulare non debui.  
 Ceballinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit. De-  
 inde, post delatum indicium, quid opperiturus eram? Cu-  
 biculum regis solus intraui ferro quidem cinctus. Cur di-  
 stuli facinus? An sine Dymno non sum ausus? Ille igitur  
 princeps coniurationis fuit. Sub illius umbra Philotas la-  
 tebam, qui regnum Macedonum affecto. Ecquis è uobis  
 corruptus est donis? quem ducem, quem præfectum impen-  
 sius colui? Mihi quidem obijcitur, quod societatem patrij  
 sermonis asperner, quòd Macedonum mores fastidiam. Sic  
 ego imperio, quod dedignor, immineo. Iam pridem nati-  
 uus ille sermo commercio aliarum gentium exoleuit: tam  
 uictoribus, quàm uictis peregrina lingua discenda est.  
 Non me herculè ista me magis ledunt, quàm quòd Amyntas  
 Perdicæ filius insidiatus est regi: cum quo quòd ami-  
 citia fuerit mihi, non recusò defendere, si fratrem regis  
 non oportuit diligi à nobis. Sin autem in illo fortunæ gra-  
 du

*du positum etiam uenerari necesse erat, utrum quaeso, quòd non diuinaui, reus sum? An impiorum amicis insontibus quoque moriendum est? Quod si æquum est, cur tam diu uiuo? si iniustum, cur nunc demum occidor? At enim scripsi, Misereri me eorum, quibus uiuendum esset sub eo, qui se Iouis filium crederet. Fides amicitiae ueri consilij periculosa libertas, me decepistis: uos, quæ sentiebam, ne reticerem, impulistis. Scripsisse me hoc fateor regi, non de rege. non enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander uidebatur, qui Iouis stirpem tacitus agnosceret, quàm qui prædicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit deus causæ meæ testis. Retinete me in uinculis, dum consulitur Hammon in arcanum & occultum scelus. Interim qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt, latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendæ ueritatis fidem deprecor. Solent rei castitatis adhibere uobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: patrem nec ostendere possum, nec inuocare audeo, quum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim, tot modo liberorum parentem, in unico filio acquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse in rogum meum imponitur. Ergo charissime pater, & propter me morieris, & mecum. Ego tibi uitam adimo, ego senectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem aduersantibus dijs? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore ætatis eripior: tibi carnifex spiritum adimet, quem, si fortuna expectare uoluisset, natura poscebat. Admonuit me patris mei mentio, quàm timidè & cunctanter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim cum*

audisset uenenum à Philippo medico regi parari, deterrere eum uoluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? Num ullam autoritatem eius literæ habuerunt? Ego ipse quoties quæ audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si & cum indicamus, inuisi & tum tacemus, suspecti sumus, quid facere uos oportet? Cumq; unus è circumstantium turba exclamasset, Bene meritis non insidiari: Philotas, Rectè, inquit, quisquis es, dicis. Itaque, si insidiatus sum, poenam non deprecor: & finem facio dicendi, quoniam ultima uerba grauiora sunt uisa auribus uestris. Abducitur deinde ab ijs, qui custodiebant eum. Erat inter duces manu strenuus Belon quidam, pacis artium & ciuilibus habitus rudis, uetus miles, ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus: qui, tacentibus cæteris, stolidam audaciâ ferrox, admonere eos coepit, quoties quisque diuersorij, quæ occupassent, deturbatus esset, ut purgamenta seruorum Philotæ reciperentur eò, unde commilitones expulisset. auro argentoq; uehicula eius onusta totis uicis stetisse: at ne in uicinia quidem diuersorij quenquam commilitonum receptum esse: sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fremitu ullo murmurantium inter se, silentio uerius quàm somno excitaretur. Ludibrio ei fuisse rusticos homines, Phrygasq; & Paphlagonas appellatos, qui non erubesceret, Macedo natus, homines linguæ suæ per interpretem audire. Cur Hammonem consuli uellet? eundem Iouis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis, scilicet ueritum, ne inuidiosum esset quod dii offerrent. cum insidiaretur capiti regis & amici, non consuluisse eum Iouem: nunc ad oraculum mittere, dum pater eius sollicitetur, qui præsit in Medis:

dia: & pecunia, quæ eius custodiæ commissa sit, perditos homines ad societatem sceleris impellat. Ipsos missuros ad oraculum, non qui Iouem interrogent, quod ex rege cognouerint: sed qui gratias agant, qui uota pro incolumitate regis optimi persoluant. Tum uerò uniuersa concio accensa est, & à corporis custodibus initium factum, clamantibus, discernendum esse parricidam manibus eorum. Id quidem Philotas, qui grauiora supplicia metueret, haud sanè iniquo animo audiebat. Rex in concionem reuersus, siue ut in custodia quoque torqueret, siue ut diligentius cuncta cognosceret, cōsiliū in posterum diem distulit. Quamquam in uesperam inclinabat dies, tamen amicos conuocari iubet: & cæteris quidem placebat, Macedonum more obrui saxis. Ephestion autem & Craterus & Cœnus tormentis ueritatem exprimendam esse dixerunt: & illi quoque, qui aliud suaserant, in horum sententiam transeunt. Consilio ergo dimisso, Ephestion cum Cratero & Cœno ad quæstionem de Philota habendam consurgunt. Rex, Cratero accersito, & sermone habito, cuius summa non edita est, in intimam diuersorij partem secessit. & remotis arbitris, in multam noctem quæstionis expectauit euentum. Tortores in conspectu Philotæ omnia crudelitatis instrumenta proponunt. Et ille ultro, Quid cessatis, inquit, regis inimicum interfectorem confitentem occidere? quid quæstione opus est? Cogitauī, uolui. Craterus exigere, ut quæ confiteretur, in tormentis quoq; diceret. Dum corripitur, dum obliantur oculi, dum uestis exuitur, gentium iura, deos patrios nequicquam apud surdas aures inuocabat. Per ultimos deinde cruciatus, utpote & damnatus, & inimicis in gratiam regis torquentibus, laceratur. Ac primo quanquā hinc ignis, illinc uerbera iam non ad quæstionem, sed ad

pœnam ingerebantur, non uocem modo, sed etiam gemitus  
 habuit in potestate. Sed posteaquàm intumescens corpus  
 ulceribus, flagellorum ictus nudis osibus incussos ferre non  
 poterat: si tormentis adhibitori modum essent, dicturum se,  
 quæ scire expeterent, pollicetur. Sed finem quæstioni fore  
 iurare eos per Alexandri salutem uolebat, remoueriq; tor-  
 tores. Et utroque impetrato, Cratero inquit: Dic quid me  
 uelis dicere. Illo indignante, ludificari dum, rursusq; reuo-  
 cante tortores, tempus petere coepit, dum reciperet spiri-  
 tum, cuncta quæ sciret indicaturus. Interim equites, nobi-  
 lissimus quisque, & ij maximè, qui Parmenionem propin-  
 qua cognatione contingebant, posteaquàm Philotam tor-  
 queri sâma uulgauerat, legem Macedonum ueriti, qua cau-  
 tum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati erant, cum  
 ipsis necarentur: alij se interficiunt, alij in deuios montes  
 uastas que solitudines fugiunt ingenti per tota castra terro-  
 re diffuso: donec rex, tumultu cognito, legem se supplicio  
 coniunctis fontium remittere edixit. Philotas uero ne an  
 mendacio liberare se à cruciatu uoluerit, anceps coniectu-  
 ra est: quoniam & uera confessa, & falsa dicentibus, idem  
 doloris finis ostenditur. Cæterùm, Pater, inquit, meus Egi-  
 locho quàm familiariter usus sit, non ignoratis. illum dico  
 Egilochum, qui in acie cecidit. Ille omnium malorum no-  
 bis causa fuit. Nam cum primùm Iouis filium se saluari ius-  
 sit rex, id indigne ferens ille, Hunc igitur regem agnosci-  
 mus, inquit, qui Philippum dedignatur patrem? Actum est  
 de nobis, si ista perpeti possumus. Non homines solum, sed  
 etiam deos despicit, qui postulat deus credi. Amisimus Ale-  
 xandrum, amisimus regem, incidimus in superbiam, nec  
 dijs, quibus se exæquat, non hominibus, quibus se eximit,  
 tolerabilem. Nostro ne sanguine deum fecimus, qui nos fa-  
 stid

stidiat? qui grauetur mortalium adire consilium? Credite mihi, & nos, si uiri sumus, à dijs adoptabimur. Quis proauum eius Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam occisos ultus est? Hic quidem interfectoris patris ignouit. Hæc Egilochus dixit supra coenam, & postero die prima lucè à patre accersor. Tristis erat & me moestum uidebat. Audicramus enim quæ sollicitudinem incuterent. Itaque, ut experiremur, utrum ne uino grauatus effudisset illa, an altiore concepta consilio, accersiri eum placuit, ac uenire: eodemq; sermone ultrò repetito, adiecit, Se, siue auderemus duces esse, proximas à nobis partes uindicaturum: siue deesset animus, consilium silentio esse tecturum. Parmenioni, uiuo adhuc Dario, intempestiua res uidebatur. non enim sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum: Dario uerò sublato, præmium regis occisi Asiam & totum Orientem interfectoris esse cessurum: approbatoque consilio, in hæc fides data est, & accepta. Quod ad Dymnum pertinet, nihil scio: & hæc confessus, intelligo non prodesse mihi, quòd prorsus sceleris expers sum. Illi, rursus tormentis admotis, cum ipsi quoq; hastis os oculosq; eius euerberarèt, ut hac quoq; crimen confiteretur, expressere. Exigentibus deinde ut ordinem cogitati sceleris exponeret: quum diu Bactra retentura regem uiderentur, timuisse respondit, ne pater L. X. natus annos, tanti exercitus dux, tantæ pecuniæ custos, interim extingueretur, ipsiq; spoliato tantis uiribus occidendi regis causa non esset. Festinasse ergo se, dum præmium haberet in manibus. Representasse consilium: cuius patrem fuisse autorem si crederent, tormenta, quanquam tolerare noc posset, tamen non recusare. Illi collocuti, satis quæsitum uideri, ad regem reuertuntur: qui postero die, & quæ confessus erat Philotas,

recitari: & ipsum, quia ingredi non poterat, iussit afferri. Omnia agnoscente eodem, Demetrius, qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producitur, multa affirmatione, animiq; pariter constantia & uultu abnuens, quicquam sibi in regem cogitatum esse. Tormenta etiam deposcebat in semetipsum. Cum Philotas, circumlatis oculis, incideret in Calin quendam haud procul stantem, propius eum iussit accedere. Illo perturbato, & recusante transire ad eum, Patieris, inquit, Demetrium metiri, rursusq; me excruciaris? Calin uox sanguisq; defecerant, & Macedones Philotam inquinare innoxios uelle suspicabantur: quia nec à Nicomacho, nec ab ipso Philota, cum torqueretur, nominatus esset adolescens: qui ut praefectos regis circumstantes se uidit, Demetrium & semetipsum id facinus cogitasse confessus est. Omnes ergo à Nicomacho nominatos, more patrio dato signo, saxis obruerunt. Magno non modo salutis, sed etiam uitae periculo liberatus erat Alexander: quippe Parmenio & Philotas principes amicorum, nisi palam fontes, sine indignatione totius exercitus non potuissent damnari.

Itaq; anceps quaestio fuit. Dum

inficiatus est facinus, crude-

liter torqueri uideba-

tur: post confes-

sionem Phi-

lotas

ne amico-

rum quidem mi-

sericordiam meruit.

Q. C V R T I I D E  
 REBVS GESTIS ALEXAN-  
 DRI MAGNI LI-  
 BER VII.



**P**HILOTAM sicut recentibus sceleris eius uestigijs iure affectum supplicio censuerāt milites: ita posteaquam desierat esse quem odissent, inuidia in misericordiam uertitur. Mouerat & claritas iuuenis, & patris eius senectus atq; orbitas. Primus Asiam aperuerat regi, omnium periculorum eius particeps: semper alterum in acie cornu defenderat, Philippo quoq; ante omnes amicus, & ipsi Alexandro tam fidus, ut occidendi Attalum non alio ministro uti mallet. Horū cogitatio subibat exercitum, seditiosæq; uoces referebantur ad regem, queis ille haud sanè motus, satisq; prudens otij uitia negotio discuti, edicit ut omnes in uestibulo regie præstò afforent. quos ubi frequentes adesse cognouit, in concionem proceffit. Haud dubiè ex composito Affarios postulare cœpit, ut Lyncestes Alexander qui multò antè quàm Philotas regem uoluisset occidere, exhiberetur. A duobus indicibus (sicut supra diximus) delatus, tertium iam annum custodiebatur in uinculis. Eundem in Philippi quoq; cædem coniurasse cum Pausania, pro comperto fuit: sed quia primus Alexandrum regem salutauerat, supplicio magis quàm crimini fuerat exemptus. Tum quoque Antipatri soceri eius preces iustam regis iram morabantur. Cæterum recruduit soporatus dolor: quippe ueteris periculi memoriam præsentis cura renouabat. Igitur Alexander ex custodia educitur: iussusque dicere, quanquam toto triennio meditatus erat



defensionem, tamen hæsitans & trepidus, pauca ex ijs quæ composuerat, protulit: ad ultimum non memoria solum, sed etiam mens eum destituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiæ indicium esset, non memoriæ uitium. Itaque ex ijs qui proximè astiterant, obluçantem adhuc obliuioni, lanceis confoderunt: cuius corpore sublato, rex introduci iussit Amyntam & Simmiam. Polemon uerò minimus ex fratribus, cum Philotam torqueri comperisset, profugerat. Omnium Philotæ amicorum charissimi hi fuerāt, ad magna & honorata ministeria illius maxime suffragatione producti: memineratq; rex summo studio ab eo conciliatos sibi. Nec dubitabat huius quoq; ultimi consilij fuisse participes. Igitur olim sibi esse suspectos matris suæ literis quibus esset admonitus, ut ab his salutē suam tueretur: cæterum se inuitum deteriora credentem, nunc manifestis indicijs uictū iussisse uinciri. Nam pridie quàm detegeretur Philotæ scelus, quin in secreto cum ipso fuissent non posse dubitari. Fratrem uerò qui profugerit, cum Philotas torqueretur, aperuisse fugæ causam. Nuper præter consuetudinem officij speciei amoris longius cæteris adnouisse semetipsos lateri suo nulla probabili causa: se que mirantem, quod non uice sua tali fungerentur officio, ex ipsa trepidatione eorum perterritum, strenuè ad armigeros qui proximè sequebantur, recessisse. Ad hoc accedere, quod cum Antiphanes scriba equitum Amyntæ denuntiaisset, pridie quàm Philotæ scelus deprehensum esset, ut ex suis equis more solido daret ijs qui amisissent suos, superbè respondisse: Nisi incepto desisteret, breui sciturum quis ipse esset. Iam linguæ uolentiam, temeritatemq; uerborum, quæ in semetipsum iacularentur, nihil aliud esse, quàm scelesti animi

indicem ac testem: quæ si uera essent, idē meruisse eos, quod Philotā: si falsa, exigere ipsum ut resellant. Productus deinde Antiphanes, de equis non traditis, & adiectis etiam superbe minis, indicat. Amyntas, facta dicendi potestate, Nihil, inquit, interest Regis: peto, ut dum dico, uinculis liberer. Rex solui utrunq; iubet: desiderantiq; Amyntæ ut habitus quoq; redderetur, armigeri lanceam dari iussit: quam ut læua comprehendit, euitato eo loco, in quo Alexandri corpus paulò antè iacuerat: Qualiscunq;, inquit, exitus nos manet Rex, confitemur, prosperum tibi debituros, tristiorē fortunæ imputaturos. Sine præiudicio dicimus causam: liberis corporibus animisq; habitum etiam, in quo te comitari solemus, reddidisti. Causam non possumus, fortunam timere desincimus. Te quæso, permittas mihi id primùm defendere, quod à te ultimum obiectum est. Nos, Rex, sermonis aduersus maiestatem tuam habiti nullius conscij sumus nobis. Dicerem iam pridem uicisse te inuidiam, nisi periculum esset, ne alia malignè dicta crederes blanda oratione purgari. Cæterum etiam si militis tui uel in agmine deficientis & fatigati, uel in acie periclitantis, uel in tabernaculo ægri & uulnera curantis, aliqua uox asperior esset accepta, merueramus fortibus factis, ut malles ea tempore nostro imputare quàm animo. Cum quid accidit tristius, omnes rei sunt: corporibus nostris, quæ utique non odimus, infestas admouemus manus: parentes liberis si occurrant, & ingrati et inuisi sunt. Cōtrā cum donis honoramur, cum præmijs onusti reuertimur, quis ferre non potest? quis illā animorum alacritatem continere? Militantium nec indignatio, nec letitia moderata est. Ad omnes effectus impetu rapimur, uituperamus, laudamus, miseremur, irascimur. Ut-cunq; præsens mouit effectio, modò Indiam adire & Occa-

num libet, modò coniugum & liberorum patriæq; memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter se colloquentium uoces signum tuba datum finit. In suos ordines quisque currimus, & quicquid irarum in tabernaculo conceptū est, in hostium effunditur capita. Utinā Philotas quoq; intra uerba peccasset. Proinde ad id reuertar, propter quod rei sumus. Amicitia, quæ nobis cū Philota fuit, ad eò nō eò inficiat, ut expetisse quoq; nos, magnosq; ex ea fructus percepisse confitear. An uerò Parmenionis, quē tibi proximū esse uoluisti, fili mi, omnes penē amicos tuos dignatione uincētem, cultum à nobis esse miraris? Tu herculē (si uerum audire uis) Rex, huius nobis periculi causa es. quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere uellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradū amicitiae tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cuius gratiā expetere, & irā timere possemus. An non propemodum in tua uerba, tui omnes te præcunte iurauimus, eosdem nos inimicos amicosq; habituros esse, quos tu haberes. hoc sacramento pietatis obstricti aduersaremur scilicet quem tum omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, tu paucos innocentes habes, imò herculē neminem. Omnes enim Philotæ amici esse uoluerunt: sed totidem quot uolebant, esse non poterant. Ita si à conscijs amicos non diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse uoluerunt. Quod igitur conscientiae affertur indicium: ut opinor, quia pridie familiariter & sine arbitrīs locutus est nobiscum. At ego purgare non possem, si pridie quicquam ex uetere uita ac more mutassem. Nunc uerò, si, ut omnibus diebus illo quoq; qui suspectus est, fecimus: consuetudo diluet crimen. Sed equos Antiphani non dedimus: & pridie, quàm Philotas detectus est, hæc mihi cum Antiphane res erat. qui si nos suspectos facere uult,

quod

quòd illo die equos non dedimus, semetipsum, quòd eos desiderauerit, purgare non poterit. Anceps enim crimen est inter retinentem & exigentem, nisi quòd melior est causa suum non tradentis, quàm poscentis alienum. Cæterum, Rex equos decem habui, è quæis Antiphanes octo iam distribuerat ijs, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos cum uellet abducere homo superbissimus, certè iniquissimus, nisi pedes militare uellem, retinere cogebam. Nec inficias eo, liberi hominis animo locutum esse me cum ignauissimo, & hoc unum militiæ suæ usurpante, ut alienos equos pugnaturis distribuât. Huc enim malorum uentum est, ut uerba mea eodem tempore & Alexandro excusem, & Antiphani. At herculè mater de nobis inimicis tuis scripsit. Vtinam prudentius esset sollicita pro filio, & non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim non adscribit metus sui causam? Denique non ostendit autorem, quo factò dicto'ue nostro mota, tam trepidas tibi literas scripsit. O' miseram conditionem meam, cui forsitan non periculosius est tacere, quàm dicere. Sed utcunque cessura res est, malo tibi defensionem meam displicere, quàm causam. Agnosces autem quæ dicturus sum: quippe meministi, cum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros iuuenes in domo tuæ matris abscondi. Præcepisti igitur mihi, ne quem præter te intuerer, sed detractantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius, quàm expediebat mihi exsecutus sum imperium tuum. Gorgiam & Hecatæum & Gorgatam, quorum bona opera uteris, inde perduxi. Quid igitur iniquius est, quàm me, qui si tibi non paruissim, iure daturus sui poenas, nunc perire, quia parui? Neque enim ulla alia matri tuæ persequen-

di nos causa est, quàm quòd utilitatem tuam muliebri  
 praeponimus gratiae. Sex millia Macedonum peditum,  
 & sexcentos equites adduxi: quorum pars secutura me  
 non erat, si militiam detractantibus indulgere uoluisssem.  
 Sequitur ergo, ut quia illa propter hanc causam irascitur  
 nobis: tu mitiges matrem, qui irae eius non obtulisti.  
 Dum haec Amyntas agit, fortè superuenerunt qui fratrem  
 eius Polemonem, de quo antè dictum est, fugientem con-  
 secuti, uinctum reducebant. Infesta concio uix inhiberi po-  
 tuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. Atque  
 ille sanè interritus: Nihil, inquit, pro me deprecor, modò  
 ne fratrum innocentiae fuga imputetur mea. Hoc si de-  
 fendi non potest, meum crimen sit. Horum ob id ipsum  
 melior est causa, quòd ego, qui profugi, suspectus sum.  
 Haec elocuto uniuersa concio assensa est. Lacrymae de-  
 inde omnibus manare coeperunt, adeò in contrarium re-  
 pentè mutatis, ut solùm prodesset, quod maximè laeserat.  
 Iuuenis erat primo aetatis flore pubescens, quem inter  
 equites tormentis Philotæ conturbatos alienus terror ab-  
 stulerat. Desertum enim à comitibus, & hesitantem in-  
 ter reuertendi fugiendi'que consilium qui secuti erant oc-  
 cupauerunt. Is tum flere coepit, & os suum conuerbera-  
 re moestus non suam uicem, sed propter ipsum periclitan-  
 tium fratrum: mouerat'que iam Regem, non concionem  
 modò: sed unus erat implacabilis frater, qui terribili uul-  
 tu intuens eum: Tum ait, demens lacrymare debueras,  
 cum equo calcaria subderes, fratrum desertor, & de-  
 sertorum comes. Miser, quò, & unde fugiebas? Effecisti  
 ut reus capitis, accusatoris uterer uerbis. Ille peccasse se,  
 sed grauius in fratres quàm in semetipsum fatebatur.  
 Tum uerò neque lacrymis, neque acclamationibus quibus

*studia sua multitudo profitetur, temperauerunt. Vna uox erat pari emissa consensu, ut insonitibus & fortibus uiris parceret. Amici quoque data misericordiae occasione, consurgunt, flentesq; Regem deprecantur. Ille silentio facto, Et ipse, inquit, Amyntam mea sententia, fratresq; eius absoluo. Vos autem iuuenes malo beneficij mei obliuisci, quam periculi uestri meminisse. Eadem fide redite in gratiam mecum, qua ipse uobiscum reuertor. Nisi quae delata essent, excussissem, ualde dissimulatio mea suspecta esse potuisset. Sed satius est purgatos esse quam suspectos. Cogitate, neminem absolui posse, nisi qui dixerit causam. Tu Amynta, ignosce fratri tuo. erit hoc simpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus. Concione deinde dimissa, Polydamanta uocari iubet. Longè acceptissimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie stare solitus. Et quanquam conscientia fretus, in regiam uenerat: tamen ut iussus est fratres suos exhibere admodum iuuenes, & regi ignotos ob aetatem, fiducia in solitudinem uersa, trepidare coepit, sepius quae nocere possent, quam quibus illuderetur, reputans. Iam armigeri quibus imperatum erat, produxerant eos, cum exanguem metu Polydamanta propius accedere iubet: submotis'que omnibus, Scelere, inquit, Parmenionis omnes pariter appetiti sumus, maxime ego ac tu, quos amicitiae specie fefellit: ad quem persequendum puniendum'que (uide quantum fidei tuae credam) te ministro uti statui. Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui. Proficiscere in Mediam, & ad praefectos meos literas scriptas manu mea perfer. Velocitate opus est, qua celeritatem fame antecedas. Noctu peruenire illuc te uolo: postero die quae scripta erunt, exequi. Ad Parmenionem quoque epistolas seres, unam à me, alter*

alteram Philotæ nomine scriptam. Signum anuli eius in mea potestate est. Sic pater credens à filio impressum, cum te uiderit, nihil metuet. Polydamas tanto liberatus metu, impensius etiam quam exigebatur, promittit operam: collaudatusque & premijs oneratus, deposita ueste quam habebat, Arabica induitur. Duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi uinculum fidei obsides apud Regem erant, dati comites. Per deserta etiam ob siccitatem loca, camelis undecima die quo destinauerat, peruenit. Et priusquam ipsius nuntiaretur aduentus, rursus Polydamas uestem Macedonicam sumit, & in tabernaculum Cleandri (Prætor hic regius erat) quarta uigilia peruenit. Redditis deinde literis, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire. Namque cæteris quoque literas Regis attulerat. Iam ad eum uenturi erant, cum Parmenioni Polydamanta uenisse nuntiauerunt: qui dum letatur aduentu amici, simulque noscendi que Rex ageret audius (quippe longo interuallo nullam ab eo epistolam acceperat) Polydamanta requiri iubet. Diuersoria regionis illius magnos recessus habent, amœnosque nemoribus manu confitis. Ea præcipue Regum satraparumque uoluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion medius inter duces, quibus erat imperatum literis Regis, ut occiderent. Agende autem rei constituerant tempus, cum Parmenion à Polydamante literas traditas legere cœpisset. Polydamas procul ueniens, ut à Parmenione conspectus est, uultu lætitiæ speciem præstrente, ad complectendum eum cucurrit: mutuaque gratulatione functi, Polydamas epistolam à Rege scriptam ei tradidit: Parmenion uinculum epistolæ soluens, quidnam Rex ageret, requirebat. Ille, ex ipsis literis cogniturum esse, respondit. Quibus Parmenion lectis,

Rex, inquit, expeditionem parat in Arachosios. Strenuum hominem, & nunquam cessantem. Sed tempus, salutis suæ, tantam iam partem gloria, parcere. Alteram deinde epistolam Philotæ nomine scriptam letus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit: cæteri exanimem quoque confodiunt. Et armigeri, qui ad aditum nemoris astiterant, cognita cæde, cuius causa ignorabatur, in castra perueniunt, & tumultuoso nuntio milites concitant. Illi armati ad nemus, in quo perpetrata cædes erant, coeunt, & ni Polydamas, cæteriq; eiusdem noxæ participes dedantur, murum circumdatum nemori euersuros denuntiant, omniumque sanguine Duci parentaturos. Cleander primores eorum introritti iubet, literasq; Regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiæ Parmenionis in Regem, precesq; ut ipsum vindicarent, continebantur. Igitur, cognita Regis uoluntate, non quidem indignatio, sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus, pauci remanserunt, qui saltem ut corpus ipsius sepelire permitterent, precabantur. Diu id negatum est Cleandri metu, ne offenderet Regem. Pertinacius deinde precantibus, materiam consternationis subtrahendam ratus, capite deciso, truncum humare permisit. Ad Regem caput missum est. Hic exitus Parmenionis fuit militiæ domiq; clari uiri. Multa sine Rege prospere, Rex sine illo nihil magnæ rei gesserat. Felicissimo Regi, & omnia ad fortunæ suæ exigenti modum, satisfacit. l. x. natus annos, iuuenis ducis, & sepe etiam gregarij militis, munera explicuit. acer consilio, manu strenuus, charus principibus, uulgo militum acceptior. Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectum fecerint, ambigi potest: quia Philotas ultimis



*cruciatibus uictus, uerá ne dixerit, quæ facta probari non poterant, an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis posset liquere, dubitatum est. Alexander, quos mortem Parmenionis conquestos esse compere- rat, separandos à cætero exerciturotus, in unam cohortem secretiuit, ducemq; his Leonidam dedit, & ipsum Parmenioni quondam intima familiaritate coniunctum. Ferè ijdem erant, quos alioqui Rex habuerat inuisos. Nam cum experiri uellet militum animos, admonuit, qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset, ijs, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide, traderet. simpliciter ad necessarios suos quisq; scripserat, quæ sentiebat. Alijs grauis erat, plerisque non ingrata militia. In & agentium gratias, & querentium literæ exceptæ sunt. Et qui sorte tædium laboris per literas erant questi, hanc seorsum cohortem à cæteris tendere ignominie causa iubet, fortitudine usurus in bello, libertatem lingue ab auribus credulis remoturus. et cõsiliium temerarium forsitan, quippe fortissimi iuuenes contumelijs irritati erant, sicut omnia alia felicitas Regis excipit. Nihil illis ad bella promptius fuit. Incitabat uirtutem & ignominie demendæ cupido, & quia fortiora facta in paucis latere non poterant. His ita compositis, Alexander Arianorum Satrape constituto, iter pronuntiari iubet in Ariaspos, quos iam tunc mutato nomine Euergetas appellabant, ex quo frigore uictusq; penuria Cyri, exercitum affectum, tectis & comitatibus iuuerant. Quintus dies erat ut in eam regionem peruenerat: cognoscit Satibarzanem, qui ad Bessum defecerat, cum equitum manu irrupisse rursus in Arieos. Itaq; Caranum & Erigyium cum Artabazo et Andronico, et sex millibus et Græcorum peditum, D. C. equites sequebantur. Ipse L. X. diebus gentem Euergetarum ordinauit,*

uit, magna pecunia ob egregiam in Cyrum fidem donata. Relicto deinde qui ijs præesset, Amenide (scriba is Darij fuerat) Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare pertinet, subegit. Ibi exercitum, qui sub Parmenione fuerat, occupauit. Sex millia Macedonum erant, & c. c. nobiles, & quinq; millia Græcorum, cum equitibus ducentis, haud dubie robur omnium uirium regis. Arachosius datus Memnon prætor, quatuor millibus peditum, & sexcentis equitibus in præsidium relictis. Ipse rex nationem ne finitimis quidem satis notam, quippe nullo commercio uolentem matuos usus, cum exercitu intrauit. Parapamisadæ appellantur, agreste hominum genus, & inter barbaros maxime inconditum. locorum asperitas hominum quoq; ingenia durauerat. Geliidissimum Septentrionis axem ex magna parte spectant. Bactrianis ad occidentem coniuncti sunt. Meridiana regio ad mare Indicum uergit. Tuguria latere primo struunt. Et quia sterilis est terra materia, nudo etiam montis dorso, usq; ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo utuntur. Cæterum structura latior ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad ultimum in carinæ maxime modum coit. Ibi foramine relicto, supernè lumen accipiunt. Ad medium uites & arbores, si quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt. Penitus hyeme defossæ latent. Cum, niue discussa, aperiri humus coepit, cælo soliq; redduntur. Cæterum adeò altæ niues premunt terram gelu & perpetuo penè rigore constrictæ, ut ne auium quidem, feræ uel ullius uestigium exstet. Obscura cœli uerius umbra, quàm lux, nocti similis premit terram, uix ut quæ prope sunt, conspici possint. In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quicquid malorum tolerari potest, pertulit,

tulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimauit rigor insolitus niuis, multorum aduſit pedes, plurimorum oculis præcipue perniciosus fuit: fatigati quippe, in ipſo gelu deficientia corpora ſternebant: quæ cum moueri deſiſſent, uis frigoris ita aſtringebat, ut ruruſus ad ſurgendum conuicti non poſſent. A commilitonibus torpentes excitabantur. Neque aliud remedium erat, quàm ut ingredi cogerebantur. Tum demum uitali calore moto, membris aliquis redibat uigor. Si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter reſeſſi ſunt. Sed tanta caligo erat, ut ædificia nulla alia res quàm ſumus oſtenderet. Illi, nunquam antè in terris ſuis aduena uiſo, cum armatos repente conſpicerent, exanimati metu, quicquid in tugurijs erat, aſſerebant, ut corporibus ipſorum parceretur orantes. Rex agmen circuibat pedes, iacentes quosdam erigens, & alios, cum ægre ſequerentur, adminiculo corporis ſui excipiens. Nunc ad prima ſigna, nunc in medium, nunc in ultimo agmine itineris multiplicato labore aderat. Tandem ad cultiora peruentum loca eſt, comœatuq; largo recreatus exercitus, ſimul & qui conſequi non poterant, in illa caſtra uenerunt. Inde agmen proceſſit ad Caucaſum montem, cuius dorſum Aſiam perpetuo iugo diuidit. hinc ſimul mare, quod Ciliciam ſub.t: illinc Caſpium fretum, & amnem Araxem, aliãq; regionis Scythiæ deſerta ſpectat. Taurus ſecundæ magnitudinis mons committitur Caucaſo: à Cappadocia ſe attollens, Ciliciam præterit, Armeniãq; montibus iungitur. ſic inter ſe tot iuga uelut ſerie cohærentia, perpetuum habent dorſum: ex quo Aſiæ omnia ferè flumina, alia in rubrum, alia in Caſpium mare, alia in Hyrcanum & Ponticum decidunt. Septemdecim dierum ſpatio Caucaſum ſuperauit

exercitus. Rupes in eo decem in circuitu stadia completitur, quatuor in altitudinem excedit: in qua iunctum Promethea fuisse antiquitas tradit. Condendæ in radicibus montis urbi sedes electa est. Septem millibus seniorum Macedonum, & præterea militibus, quorum opera uti desisset, permissum in nouam urbem considere. Hanc quoque Alexandriam incolæ appellauerunt. At Bessus Alexandri celeritate perterritus, dijs patrijs sacrificio rite facto, sicut illis gentibus mos est, cum amicis ducibusq; copiarum inter epulas de bello consultabat. Graues mero suas uires extollere, hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernere incipiunt. Præcipue Bessus ferox uerbis, & parto per scelus regno superbus, ac uix potens mentis, dicere orditur, socordia Darij creuisse hostium famam. Occurrisse enim in Ciliciæ angustissimis faucibus, cum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturæ situ inuis, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis, ne fugæ quidem, nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. Sibi placere in Sogdianos recedere. Oxum amnem uelut murum obiecturum hosti, dum ex finitimis gentibus ualida auxilia concurrerent. Venturos autem Chorasmos, & Dabas, Sacasq;, & Indos, & ultra Tanaim amnem colentes Scythas, quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri eius non possent Macedonis militis uerticem æquare. Conclamant temulenti, unam hanc sententiam salubrem esse: & Bessus circumferri merum largius iubet, debellaturus super mensam Alexandrum. Erat in eo conuiuio Cobares natione Medus, sed magicæ artis (si modo ars est, non uanissimi cuiusq; ludibrium) magis professione, quàm scientia celebris, alioqui moderatus, & probus. Is cum præfatus esset, scire

se utilius parere dicto, quàm afferre consilium, quum illos qui pareant, idem quod cæteros maneat: qui uerò suadeant, proprium sibi periculum: poculum ei quod habebat in manu, tradidit. quo accepto Cobares. Natura, inquit, mortaliū hoc quoq; nomine praua & sinistra dici potest, quòd in suo quisq; negotio hebetior est, quàm in alieno. Turbida facta sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Obstat alijs metus, alijs cupiditas, nonnunquam naturalis eorum quæ cogitaueris amor. Nam in te superbia non cadit. Expertus es, unumqueng; quod ipse repererit, aut solum, aut optimum ducere. Magnum onus sustines capite regium insigne. Hoc aut moderatè perferendum est, aut, quod abominor, in te ruet. Consilio, non impetu opus est. Adijcit deinde, quod apud Bactrianos uulgo usurpabant, Canem timidum uehemētius latrare quàm mordere: Altissima quæq; flumina minimo sono labi. Quæ inserui, ut qual scunq; inter barbaros potuit esse prudentia, traderetur. In his audientiū suspensam dederat expectationem sui. Tum consilium aperit, utilius Besso quàm gratius. In uestibulo, inquit, regie tuæ uelocissimus constat rex. Antè ille agmen, quàm tu mensam istam mouebis. Nunc ab Tanai exercitum accerses, & armis flumina oppones: scilicet quà tu sigiturus es, hostis sequi non potest. Iter utriq; commune est, uictori tutius. Licet strenuum metum putes esse, uelocior tamen spes est. Quin ualidioris occupas gratiam, dedisq; te? utcunq; cesserit, meliorem fortunam deditus quàm hostis habiturus. Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. Incipies forsitan iustus esse rex, cum ipse fecerit, qui tibi & dare potest regnum & eripere. Consilium habes fidele, quod diutius exsequi superuacuum est. Nobilis equus umbra quoq; uirgæ regitur, ignauus ne calcari quidem

concitari potest. Bessus & ingenio & multo magis ferox, adeo exarsit, ut uix ab amicis, quo minus occideret eum (nam strinxerat quoque acinacem) contineretur. Certè e conuiuio profiliuit haud quaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus, ad Alexandrum transfugit. Octo milia Bactrianorum habebat armata Bessus, quæ, quandiu propter cæli intemperiem Indiam potius Macedonas petitueros crediderant, obedienter imperata fecerunt. Posteaquam aduentare Alexandrum compertum est, in suos quisq; uicos dilapsi, Bessum liquerunt. Ille cum clientum manu, qui non mutauerant fidem, Oxo amne superato, exustisq; nauigijs quibus transierat, ne iisdem hostis uteretur, nouas copias in Sogdianis contraherat. Alexander Caucasum quidem (ut supra dictum est) transierat: sed inopia frumenti propè ad famem uentum erat. Succo ex sesama expresso, haud secus quàm oleo artus perungebant. Sed huius succi ducenis quadragenis denarijs amphoræ singulæ, mellis denarijs trecentis nonagenis, trecentis uini æstimabantur: tritici nihil, aut admodum exiguum, reperiebatur. Siros uocabant barbari: quos ita solerter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt, inuenire non possint. In ijs conditæ fruges erant, in quarum penuria milites flumiatile pisce & herbis sustinebantur. Iamq; hæc ipsa alimenta defecerant, cum iumenta, quibus onera portabant, cedere iussi sunt. horum carne, dum in Bactrianos peruentum, traxere uitam. Bactrianæ terræ multiplex & uaria natura est. Alibi multa arbor & uitis, largos mitesq; fructus alit. Solum pingue crebri fontes rigant. Quæ mitiora sunt, frumento conferuntur. Cætera armentorum pabulo cedunt. Magnam deinde partem eiusdem terræ steriles harenæ tenent. Squalida siccitate re-

gio, non hominem, non frugem alit. Cùm uerò uenti à Põntico mari spirant, quicquid sabuli in campis iacet, conuerunt. Quod ubi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaq; pristini itineris uestigia intereunt. Itaq; qui transeunt campos, nauigantium modo noctu sydera obseruant, ad quorum cursum iter dirigunt: & propemodum clarior est noctis umbra, quàm lux. Ergo interdium inuia est regio: quia nec uestigium, quod sequantur, inueniunt, & nitor syderum caligine absconditur. Cæterum si quos ille uentus, qui à mari exoritur, deprehendit, harena obruit. Sed qua mitior terra est, ingens hominum equorumq; multitudo gignitur. Itaque Bactriani equites triginta milia expleuerant. Ipsa Bactra regionis eius caput sita sunt sub monte Parapanuso. Bactrus annis præterit moenia. Is urbi & regioni dedit nomen. Hic regi statua habenti nunciatur ex Græcia Peloponensium Lacorumq; defectio: nondum enim uicti erant, cùm proficiscerentur tumultus eius principia nunciaturi. & alius præsens terror assertur, Scythas, qui ultra Tanaim amnem colunt, aduentare Besso ferentes opem. Eodem tempore, quæ in gente Ariorum Caranus & Erigyus gesserant, perferuntur. Commissum erat prælium inter Macedones Ariosq;. Transfuga Satibarzanes barbaris præerat: qui cùm pugnam segnem utrinq; æquis uiribus stare uidisset, in primos ordines adequitauit, demptaq; galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis uiritim dimicare uellet, prouocauit ad pugnam, nondum se caput in certamine habiturum. Non tulit ferociam barbari, dux illius exercitus, grauis quidem ætate, sed & animi & corporis robore nulli iuuenum postferendus. Is galea dempta caniciem ostentans: Venit, inquit, dies, quo aut uictoria, aut morte honestissima,

stissimā, quales amicos & milites Alexander habeat, ostendam. nec plura elocutus, equum in hostem agit. Crederes imperatum, ut acies utræq; tela cohiberent. Protinus certè recesserunt, dato libero spacio, intenti in euentum non duorum modo, sed etiam suæ sortis: quippe alienum discrimen secuturi. Prior barbarus emisit hastam: quā Erigyius modica capitis declinatione uitauit. At ipse infestam sarissam, equo calcaribus concito, in medio barbari gutture ita fixit, ut per ceruicem emineret. Præcipitatus ex equo barbarus, adhuc tamen repugnabat. Sed ille extractam ex uulnere hastam rursus in os atigit. Satibarzanes hastam manu complexus, quo maturius interiret, ictum hostis adiuuit, & barbari, duce amisso, quem magis necessitate quàm sponte secuti erant, tunc haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyio tradunt. Rex his quidem lætus, de Spartanis haud quaquam securus, magno tamen animo defectionem eorum tulit, dicens, Non antè ausos consilia nudare, quàm ipsum ad fines Indiæ peruenisse cognouissent. Ipse Bessum persequens, copias mouit: cui Erigyius, spolia barbarica ceu opimum belli decus præferens, occurrit. Igitur Bactrianorum regione Artabazo tradita, sarcinas & impedimenta ibi cum præsidio reliquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Susitanorum intrat, nocturno itinere exercitū ducens. Aquarū (ut antè dictū est) penuria, prius desperatione, quàm desiderio bibendī sitim accendit. Per quadringenta stadia ne modicus quidem humor existit. Harenas uapor æstiuī solis accendit: quæ ubi flagrare cœperunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruore excitata, lucem tegit: camporumq; non alia, quàm uasti & profundi equoris species est. Nocturnum iter tolerabile uidebatur,



quia rore & matutino frigore corpora leuabantur. Cæterum cum ipsa luce æstus oritur, omnemq; naturalem absorbet humorem siccitas, ora uisceraq; penitus uruntur. Itaq; primū animi, deinde corpora deficere cœperunt. Pigebat & consistere, & progredi. Pauci à peritis regionis admoniti præpararant aquam. Hæc paulisper refert sitim. Deinde, crescente æstu, rursus desiderium humoris accensum est. Ergo quicquid uini oleiq; erat, hominibus ingerebatur: tantaq; dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur. Graues deinde auidè hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant: & feliciores uidebantur, quos aqua defecerat, cum ipsi sine modo infusam uomitu cogerentur egerere. Anxium regem tantis malis, circumfusi amici, ut meminisset sui, orabant, animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus esse, cum ex ijs qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt, utribus aquam gestantes, ut filijs suis, quos in eodem agmine esse & ægre pati sitim non ignorabant, occurrerent. qui cum in regem incidissent, alter ex ijs, utre resoluta, uas, quod simul ferebat, implet porrigens regi. ille accipit: percontatus, quibus aquam portarent, filijs ferre cognoscit. Tunc poculo pleno (sicut oblatum est) reddito, Nec solus, inquit bibere sustineo, nec tam exiguum diuidere omnibus possum. Vos currite, & liberis uestris, quod propter illos attulistis, date. Tandem ad flumen Oxum ipse peruenit prima serè uespera. Sed exercitus magna pars non poterat sequi. In edito monte ignes iubet fieri, ut ij, qui ægre sequebantur, haud procul castris se abesse cognoscerent. Eos autem, qui primi agminis erant, maturè cibo ac potione firmatos implere alios utres, alios uasa, quibuscunque aqua posset portari, iussit, ac suis

suis opem ferre. Sed qui intemperantius hauserant, inter-  
 cluso spiritu extincti sunt: Multoq; maior horum numerus  
 fuit, quàm ullo amiserat prælio. At ille thoracem adhuc  
 indutus, nec aut cibo refectus aut potu, quà ueniebat exer-  
 citus, constitit. Nec ante ad curandum corpus recessit,  
 quàm præterierant qui agmen sequebantur: totamq; eam  
 noctem cum magno animi motu perpetuis uigilijs egit. Nec  
 postero die letior erat: quia nec nauigia habebat, nec  
 pons erigi poterat, circum amnem nudo solo, & materie  
 maximè sterili. Consilium igitur, quod unum necessitas sub-  
 iecerat, inuit. Utres quamplurimos stramentis refertos di-  
 uidit. His incubantes transnauere amnem: quiq; primi tran-  
 sierant, in statione erant, dum traicerent cæteri. Hoc modo  
 sexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum expo-  
 suit. Iamq; ad persequendum Bessum statuerat progredi,  
 cum ea, quæ in Susianis erant, cognoscit. Spitamenes erat  
 inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Besso. Sed  
 nullis meritis perfidia mitigari potest, quæ tamen iam mi-  
 nus in eo inuisa esse poterat, quia nihil ulli nefas tunc in  
 Bessum interfectorem regem sui uidebatur. Titulus facino-  
 ris speciosus præferebatur, uindicta Darij. Sed fortunam,  
 non scelus, oderant Bessi. Nam ut Alexandrum flumen  
 Oxum superasse cognouit, Dataphernem & Catenem,  
 quibus à Besso maxima fides habebatur, in societatem rei  
 asciscit. Illi promptius ad eum, quàm rogabantur: assump-  
 ptisq; octo fortissimis iuuenibus, talem dolum intendunt.  
 Spitamenes pergit ad Bessum, & remotis arbitris, com-  
 perisse ait se, insidiari ei Dataphernem & Catenem, ut  
 uiuum Alexandro traderent agitates à semet occupatos  
 esse, & uinctos teneri. Bessus tanto merito (ut credebat)  
 obligatus, partim gratias agit, partim audius explendi

*supplicij, adduci eos iubet. Illi manibus sua sponte religatis, à participibus consilij traherantur : quos Bessus truci vultu intuens, consurgit, manibus non temperaturus. At illi, simulatione omissa, circumstant eum, & frustra repugnantem uinciunt. direpto ex capite regni insigni, lacerataq; ueste, quam spolijs occisi regis induerat. Ille deos sui sceleris ultores adesse confessus, adiecit : Non Dario iniquos fuisse, quem sic ulciscerentur : sed Alexandro propitios, cuius uictoriam semper etiam hostis adiuuasset. Multitudo an uindictura Bessum fuerit, incertum est, nisi illi, qui uinxerant, iussu Alexandri fecisse ipsos ementiti, dubios adhuc animos terruissent. In equum impostum Alexandro tradituri ducunt. Inter hæc rex, quibus matura erat missio, relictis nongentis ferè, equiti bina talenta dedit, pediti terna dariùm nullia : monitosq; ut liberos generarent, remisit domum. Cæteris gratiæ actæ, quod ad reliqua belli nauaturos operam pollicebantur. Tum Bessus perducitur. Peruentum erat in paruulam oppidum, Branchidæ eius incolæ erant. Mileto quondam, iussu Xerxis, cum è Græcia rediret, transierant, & in ea sede constiterant : qui templum, quod Didyma appellatur, in gratiam Xerxis uiolauerant. mores patrij nondum exoleuerant, sed iam bilingues erant, paulatim à domestico externoq; sermone degeneres. Magno igitur gaudio regem excipiunt, urbem seq; dedentes. ille Milesios, qui apud ipsum militarent, conuocari iubet. Vetus odium miles gerebat in Branchidarum gentem. Proditis ergo, siue iniuriæ, siue originis meminisse mallent, liberum de Branchidis permittit arbitrium. Variantibus deinde sententijs, seipsum consideraturum, quod optimum factu esset, ostendit. Postero die occurrentibus, Branchidas secum procedere*

ðere iubet : cumq; ad urbem uentum esset, ipse cum expedita manu portā intrat. Phalanx mœnia oppidi circumire iussa, & dato signo diripere urbem proditorum receptaculum, ipsosq; ad unum cedere. Illi inermes passim trucidantur, nec aut commercio linguæ, aut supplicum uelamentis precibusq; inhiberi crudelitas potest. Tandem ut deicerent, fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod urbis uestigium extaret. Nec mora, lucos quoque sacros non cædunt modo, sed etiam extirpant, ut uasta solitudo, & sterilis humus, excussis etiam radicibus, linqueretur : quæ si in ipsos proditoris autores excogitata essent, iusta ultio esse, non crudelitas uideretur : nunc culpam maiorum posterius luere, qui ne uiderent quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant prodere. Inde processit ad Tanaim annem. Quo productus est Bessus, non uinctus modo, sed etiam omni uelamento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat colo inserta catena, tam Barbaris quam Macedonibus gratum spectaculum. Tum Spitamenes : Et te, inquit & Darium reges meos ultus, interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum : Aperiat ad hoc spectaculum oculos Darius. Existat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit, & hoc solatio dignus est. Alexander, multum collaudato Spitamene, conuersus ad Bessum : Cuius, inquit, feræ rabies occupauit animum tuum, cum regem de te optimè meritum prius uincere, deinde occidere sustinuisti? Sed huius paricidij mercedem falso regis nomine persoluisti. Ibi ille facinus purgare non ausus, regis titulum se usurpare dixit, ut gentem suam tradere ipsi possit : qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum. Et Alexander Oxatrem fratrem Darij, quem inter corporis custodes habebat, propius iussit accedere, tradiq;

tradiq; Bessum ei : ut cruci affixum, mutilatis auribus naribusq;, sagittis confingerent Barbari, asseruarentq; corpus, ut ne aues quidem contingerent. Oxatres cætera sibi curæ fore pollicetur. Aues non ab alio, quàm à Catene posse prohiberi adijcit, eximiam eius artem cupiens ostendere. Namq; adeò certo ictu destinata feriebat, ut aues quoque exciperet. Nam & si forsitan sagittandi tam celebri usu nunus admirabilis uideri hæc ars possit, tamen ingens uisitentibus miraculum, magnoq; honori Cateni fuit. Dona deinde omnibus, qui Bessum adduxerant, data sunt. Cæterum supplicium eius astulit, ut eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur. Interea Macedones ad petendum pabulum incompósito agmine egressi, à barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur : pluresq; capti sunt, quàm occisi. Barbari autem captiuos præse agentes, rursus in montem recesserunt. x. x. millia latronum erant, fundis sagittisq; pugnam inuadunt. quos dum obsidet rex, inter promptissimos dimicans, sagitta ictus est, quæ in medio crure fixa reliquerat spiculum. illum quidem mæsti & attoniti Macedones in castra referebant. Sed nec barbaros sefellit subductus ex acie rex : quippe ex edito monte cuncta prospexerant. Itaque postero die misere Legatos ad regem : quos ille protinus iussit admittit : solutisq; fascijs, magnitudinem uulneris dissimulans, crus barbaris ostendit. Illi iussi considerare affirmant, non Macedonas, quàm ipsos fuisse tristiores, cognito uulnere ipsius : cuius si autorem reperissent, dedituros fuisse. Cum dijs enim pugnare sacrilegos tantum. Cæterum se gentem in fidem dedere, superatos uirtute illius. Rex fide data, & captiuis receptis, gentem in deditionem accepit. Castris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro se quisque egues

eques pedesq; subire certabant. Equites, cum quibus rex  
 prælia inire solitus erat, sui muneris id esse censebant. Pe-  
 dices contra, quum saucios commilitones ipsi gestare assue-  
 uissent, eripi sibi proprium officium tum potissimum cum  
 rex gestandus esset, querebantur. Rex in tanto utriusque  
 partis certamine, & sibi difficilem, & præteritis gra-  
 uem electionem futuram ratus, inuicem subire eos iussit.  
 Hinc quarto die ad urbem Maracanda peruentū est. LXX.  
 stadia murus urbis amplectitur. arx nullo cingitur muro.  
 præsidio urbi relicto, proximos uicos depopulatur, atq;  
 urit. Legati deinde Antiorum Scytharum superueniunt, li-  
 beri ex quo decesserat Cyrus, tum imperata facturi. Iustis-  
 simos barbarorum constabat. Armis abstinebant, nisi la-  
 cessiti. Libertatis modico & equali usu, principibus hu-  
 miliores pares fecerunt. Hos benignè alloquutus, ad hos  
 Scythas, qui Europam incolunt, Penistam quendam misit  
 ex amicis, qui denunciaret his ne Tanaim amnem regionis  
 iniussu regis transirent. eidem mandatum, ut contempla-  
 retur locorum situm, & illos quoque Scythas, qui super  
 Bosphoro incolunt, uiseret. Condendæ urbis fidem super  
 ripam Tanais eligeret, claustrum etiam perdomituro quos  
 deinde adire decreuerat. Sed consilium distulit Sogdiano-  
 rum nūciata defectio, quæ Bactrianos quoq; traxit. septem  
 millia equitum erant, quorum auctoritatem cæteri sequeban-  
 tur. Alexander Spitamenem & Catenem, à quibus ei tra-  
 ditus erat Bessus, haud dubius quin eorum opera redigi  
 possent in potestatem, coërcendo eos, qui mouerant res,  
 iussit accersiri. At illi defectionis, ad quā coërcendam uo-  
 cabantur, autores, uulgauerant fama, Bactrianos equites  
 à rege omnes ut occiderentur accersiri: idq; imperatum  
 ipsi, non sustinuisse tamen exsequi, ne inexpiabile in po-  
 pulares

pulares facinus admitterent: non magis Alexandri seuitiã,  
 quàm Bessi paricidium ferre potuisse. Itaq; sua sponte iam  
 motos, metu pœnæ haud difficulter cõcitauerunt ad arma.  
 Alexander transfugarum defectione comperta, Craterum  
 obsidere Cyropolim iubet. Ipse aliam urbem regionis eius-  
 dem corona capit, signoq; ut puberes interficerentur, da-  
 to, reliqui in prædam cessere uictoris. Vrbs diruta est, ut  
 ceteri cladis exemplo continerentur. Memaceni, ualida  
 gens, obsidionem, non ut honestiorem modo, sed etiam ut  
 tutiorem ferre decreuerant. Ad quorum pertinaciam miti-  
 gandam rex quinquaginta equites præmisit, qui clementiã  
 ipsius in deditos, simulq; exorabilem animum in deuictos  
 ostenderent. Illi nec de fide, nec de potentia regis ipsos du-  
 bitare respondent, equitesq; tendere extra munimenta ur-  
 bis iubent. Hospitaliter deinde exceptos, grauesq; epulis  
 & somno, intempesta nocte adorti interfecerunt. Alexan-  
 der haud secus quã par erat motus, urbem corona circun-  
 dedit, munitiorem quàm ut primo impetu capi posset. Itaq;  
 Meleagrum & Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropo-  
 lim (ut antè dictũ est) obsidentes. Statuerat autem parcere  
 urbi conditæ à Cyro: quippe non alium gentium illarum  
 magis admiratus est, quàm hunc regem, & Semiramim in  
 queis & magnitudinem animi, & claritatem rerum longè  
 emicuisse credebat. Ceterũ pertinacia oppidanorum eius  
 iram accendit. Itaq; captam urbem diripere iussit delectos  
 Macedones haud iniuria infestos, & ad Meleagrum &  
 Perdiccam redit. Sed non alia urbs fortius obsidionem tu-  
 lit: quippe & militum promptissimi cecidere, & ipse rex  
 ad ultimum periculum uenit. Nanque ceruix eius saxo ita  
 icta est, ut oculis caligine offusa collaberetur, ne mentis  
 quidem compos. Exercitus certè uelut crepto eo ingemuit.

sed inuictus aduersus ea, quæ cæteros terrent, nondum percurato uulnere acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo suffosa moenia ingens nudauere spacium, per quod irrupit, uictorq; urbem dirui iussit. Hinc Menedemum cum tribus millibus peditum, & octingentis equitibus ad urbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga, presidio Macedonum inde deiecto, muris urbis eius incluserat se, haud oppidanis consilium defectionis approbantibus. Sequi tamen uidebatur, quia prohibere non poterant. Interim Alexander ad Tanaim amnem rediit, & quantum soli occupauerant castris, muro circumdedit. x. stadiorum urbis murus fuit. hanc quoque urbem Alexandriam appellari iussit. Opus tanta celeritate perfectum est, ut decimo septimo die quam munimenta excitata erant, tecta quoq; urbis absoluerentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, ut suum quisq; munus (nam diuisum erat) primus ostenderet. Incolæ nouæ urbi dati captiui, quos reddito pretio dominis liberauit. quorum posteri nunc quoq; non apud eos tam longa ætate, propter memoriam Alexandri, exoleuerunt. Rex Scytharum, cuius tum ultra Tanaim imperium erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse ceruicibus, fratrem Charcasim nomine cum magna equitum manu misit ad diruendam eam, proculq; amne ad submouendas Macedonum copias. Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europæos uocant, diuidit. Idem Asiam & Europam finis interfluit. Cæterum Scytharum gens haud procul Thracia sita, ab Oriente ad Septentrionem se uertit, Sarmatarumq; (ut quidam credidere) non finitima, sed pars est. Recta deinde regionem aliam ultra Istrum iacentem colit. Vltima Asiæ, quæ Bactra sunt, stringit: habitant,



quæ septentrioni proxima sunt. Profundæ inde sylvæ us-  
 que solitudines excipiunt. Rursus, quæ ad Tanaim &  
 Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt. Primus  
 cum hac gente non prouisum bellum Alexander gesturus,  
 cum in conspectu eius obequitaret hostis, adhuc æger ex  
 uulnere, præcipuè uoce deficiens, quam & modicus cibus  
 & cervicis extenuabat dolor, amicos in consilium aduoca-  
 ri iubet. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporis.  
 Bactriani defecerant, Scythæ etiam lacescebant. Ipse nõ in-  
 sistere in terra, non equo uehi, non docere, non hortari suos  
 poterat. Ancipiti periculo implicitus, deos quoque incu-  
 sans, querebatur se iacere segnem, cuius uelocitatem nemo  
 antea ualisset effugere. Vix suos credere, non simulari  
 ualetudinem. Itaque qui post Darium uictum ariolos &  
 uates consulere desierat, rursus ad superstitionem huma-  
 narum gentium ludibria reuolutus, Aristandrum, cui cre-  
 dulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sa-  
 crificijs iubet. Mos erat Aruspibus, exta sine rege spe-  
 ctare, & quæ portenderentur, referre. Inter hæc rex dum  
 fibris pecudum exploratur euentus latentium rerum, pro-  
 pius ipsum considerare amicos iubet, ne contentione uocis ci-  
 catricem infirmam adhuc rumperet. Ephestion, Craterus,  
 & Erigyus erant cum custodibus in tabernaculum admissi.  
 Discrimen, inquit, me occupauit, meliore hostium quam  
 meo tempore. Sed necessitas ante rationem est, maximè in  
 bello, quod raro permittitur tempora eligere. Defecere  
 Bactriani, in quorum cervicibus stamus, & quantum in  
 nobis animi sit, alieno Marte experiuntur. Haud dubia  
 fortuna, si omiserimus Scythas, ultro arma inferentes, con-  
 tempti ad illos, qui defecerunt, reuertemur. Si uerò Ta-  
 naim transierimus, & ubique inuictos esse nos Scytharum  
 pernicie

pernicie ac sanguine ostenderimus : quis dubitabit patere Europam uictoribus ? Fallitur, qui terminos gloriæ nostræ metitur spacio, quod transaturi sumus. Vnus annis interfluit : quem si traicimus, in Europam arma proferimus. Et quanti æstimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe trophæa statuere, & quæ tam longo interuallo natura uidetur diremissæ, una uictoria subito committeret ? At herculè si paululum cessauerimus, in tergis nostris Scythæ hærebunt. An soli sumus, qui flumina transare possumus ? Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc uicimus. Fortuna belli artem uictos quoq; docet. Vtribus annem traicendi, exemplum fecimus nuper. hoc ut Scythæ imitari nesciât, Bactriani doccunt. Præterea unus gentis huius adhuc exercitus uenit, cæteri expectantur. Ita bellum uitando alemus, & quod inferre possemus, accipere cogemur. Manifesta est consilij mei ratio. Sed an permissuri sint Macedones animo uti meo, dubito: quia ex quo hoc uulnus accepi, nō equo uectus sum, non pedibus ingressus. Sed si me sequi uultis, ualeo amici. Satis uirium est ad toleranda ista : aut si iam adest uita meæ finis, in quo tandem opere melius extinguar ? Hæc quassa adhuc uoce subdeficiens uix proximis exaudientibus dixerat, cum omnes à tam præcipiti consilio regem deterrere coeperunt. Erigyus maximè, qui haud sanè authoritate proficiens apud obstinatum animum, superstitionem cuius potens non erat rex, incutere tentauit, dicendo deos quoq; obstare consilio, magnumq; periculum, si flumen transisset, ostendi. Intransi Erigyio tabernaculum Regis, Aristander occurrerat, tristitia exta fuisse significans. hæc ex uate comperta Erigyus nunciabat. Quo inhibito, Alexander non ira solum, sed etiã pudore confusus, quod superstitio quàm celauerat, detege-

batur, Aristandrum uocari iubet. Qui ut uenit, intus cum:  
 Non rex, inquit, sed priuatus sum. sacrificium ut faceres  
 mandavi. quid eo protenderetur, cur apud aliū quàm apud  
 me professus es? Erigyus arcana mea & secreta te pro-  
 dente, cognouit. Quem certum mehercule habeo extorum  
 interpretem metu suo: tibi autem sepius quàm potest, denū-  
 cio, ipse mihi indices, quid ex extis cognoueris, ne possis  
 inficiari dixisse quæ dixeris. Ille exanguis attonitoq; si-  
 mulis stabat, per metum etiam uoce suppressa: tandemq; eo-  
 dem metu stimulante, ne regis expectationem moraretur:  
 Magni, inquit, laboris, non irriti discrimen instare prædi-  
 xi. Nec mea ars magis quàm beneuolentia me perturbat.  
 Infirmitatem uelutudinis tuæ uideo: & quantum in te uno  
 fit, scio. Vereor ne non præsentis fortunæ tuæ sufficere pos-  
 sis. Rex iussum confidere felicitati suæ remisit. Sibi enim ad  
 alia gloriâ concedere deos. Consultanti deinde cum iisdem,  
 quò nam modo summe transiret: superuenit Aristander, non  
 aliàs letiora exta uidisse se affirmans, utiq; prioribus lon-  
 gè diuersa: tum solitudinis causas aperuisse, nunc pror-  
 sus egregie litatū esse. Cæterum quæ subinde nunciata sunt  
 regi, continuè felicitati rerū eius imposuerant libem. Me-  
 nedemum (ut supra dictum est) miserat ad obsidendum Spi-  
 tamenē Bactrianæ defectionis authorē. Qui comperto ho-  
 stis aduentu, ne muris urbis luderetur, simul fretus ex-  
 cipi posse quem uenturum sciebat, consedit occultus. Sylue-  
 stre iter aptum insidijs tegendis erat. Ibi Dabas condidit.  
 Equi binos armatos uehunt, quorum inuicem singuli repen-  
 te defiliunt, equestris pugne ordinem turbant. Equorum  
 uelocitati par est hominum pernicitas. Hos Spitamenes sal-  
 tum circumire iussos, pariter & à lateribus, & à fronte,  
 & à tergo hosti se ostendit. Menedemus undiq; inclusus,

ne numero quidem par, diu tamen resistit, clamitans, Nihil aliud superesse locorum fraude deceptis, quam honestæ mortis solatium ex hostium cæde. Ipsum prævalens equus uehebat, quo sæpius in cuneos Barbarorum effusis habenis euectus, magna strage eos fuderat. Sed cum unum omnes peterent, multis uulneribus exanguis Hipsidem quendam ex amicis hortatus est, ut in equum suum ascenderet, & se fuga eriperet. Hæc agentem anima defecit, corpusq; ex equo defluxit in terrâ. Hipsides poterat quidē effugere, sed amisso amico mori statuit. Vna erat cura, ne inultus occideret. Itaq; subditis calcaribus equo, in medios hostes se immisit, & memorabili edita pugna, obrutus telis est. Quod ubi uidere qui cædi supererant, tumidū paulò quàm cætera cæditorem capiunt, quos Spitamenes fame in deditiōe subacturus obsedit. Cecidere eo prælio peditū duo millia, trecenti equites. Quam Cladē Alexander solerti consilio texit, morte denuntiata ijs qui ex prælio uenerant, si acta uulgassent. Cæterum cum animo disparē uultum diutius ferre non posset, in tabernaculum super ripam fluminis de industria locatum secessit. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctē uigilijs extraxit, sæpe pellibus tabernaculi alleuatis, ut conspiceret hostiū ignes, è quibus coniectare poterat, quanta hominum multitudo esset. Iamq; lux apparebat, cum thoracem indutus procedit ad milites, tum primū post uulnus proximè acceptū. Tāta erat apud eos ueneratio regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem præsentia eius excuteret. Lati ergo, et manentibus præ gaudio lachrymis, consalutant eū & quod antè recusauerāt bellū, feroces deponunt. Ille se ratibus equitē phalangemq; transportaturum esse pronuntiat: super utres iubet nare leuius armatos. Plura nec dici res desiderauit, nec rex dicere

per ualetudinem potuit. Ceterum tanta alacritate militum rates iunctæ sunt, ut in triduum ad duodecim nullia effeetæ sint. Iamq; ad transeundum omnia aptauerant, cum legati Scytharum uiginti more gentis per castra equis uecti nuntiare iubent regi, uelle ipsos ad eum mandata perferre. Admissi in tabernaculum, iussiq; considerare, in uultu regis defixerant oculos, credo quia magnitudine corporis animum æstimantibus, modicus animus haud quaquam famæ par uidebatur. Scythis autem non ut cæteris Barbaris rudis & inconditus sensus est. Quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunq; gens capit semper armata. Sicq; locutos esse apud regem memoriæ proditum est, abhorrentia forsitan moribus nostris, & tempora & ingenia cultiora sortitis. Sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet: quæ utcunq; tradita sunt, incorrupta perferemus. Igitur unum ex his maximum natu ita locutum accepimus. Si dii habitum corporis tui, auuiditati animi parem esse uoluissent, orbis te non caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc affectus: scire uelles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoq; concupiscis, quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cum syluis & niuibus & fluminibus ferisq; bestijs gesturus es bellum. Quid tu? ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire cõtendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoq; aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab inuidido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attingimus.

gimus. Qui sis, unde uenias, licet ne ignorare in uastis Siberis uiuentibus? Nec seruire ulli possumus nec imperare desideramus. Dona à nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum bouum, aratrum & sagitta, & patera. His utimur & cum amicis, & aduersus inimicos. Fruges amicis damus bouum labore quasitas: Patera cum his uinum dijs libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. sic Scythiæ regem, & postea Persarum Medorumq; superauimus, patuitq; nobis iter usq; in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos uenire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti. Syriam occupasti. Persidem tenes. Bactrianos habes in potestate. Indos petisti. Iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis. Quid tibi diuitijs opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate paraisti famem, ut quo plura haberes, acrius quæ non habes cuperes. Non succurrit tibi, quandiu circum Bactras hæreas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex uictoria nascitur. Nam maior fortiorq; sis, quàm quisquam: tamen alienigenam dominum nemo pati uult. Transi modo Tanaum, scies quàm late pateat, nunquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra uelocior crit, quàm exercitus tuus, qui prædam tot nationum uehit. Rursus cum procul abesse nos credes, uidebis in tuis castris. Eadem uelocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum solitudines Græcis, etiam prouerbij audire eludi. Nos deserta & humano cultu uacua, magis quàm urbes & opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam præsis manibus tene. lubrica est, nec inuita teneri potest. Salubre consilium sequens, quod præsens tempus ostendit melius, impone felicitati

tuae frenos, facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus & pinnas tantum habet: cum manum porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique, si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. Sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita, Stultum est eorum meminisse, propter quae tui obliuisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam & firmissima est inter pares amicitia: & uidentur pares, qui non fecerunt inter se periculum uirium. Quos uiceris, amicos tibi esse caue credas. Inter dominum & seruum nulla amicitia est: etiam in pace, belli tamen iura seruantur. Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem iurant. Graecorum ista cautio est, qui facta consignant, & deos inuocant: nos religionem in ipsa fide nouimus. Qui non reuerentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cuius beneuolentia dubites. Caeterum nos & Asiae & Europae custodes habes. Baetra, nisi diuidat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus. Thraciae Macedoniae coniunctam esse fama est. Vtrique imperio tuo finitimos, hostes, an amicos uelis esse, considera. Haec Barbarus. Contra rex, fortuna sua & consilij eorum se usurum esse respondet. Nam & fortunam, cui confidat, & consilium suadentium, ne quid temere & audacter faciat, secuturum. Dimissisque legatis, in praeparatas rates exercitum imposuit. In prorsu clypeatos locauerat, iussos in genua subsidere, quo tutiores essent aduersus iclus sagittarum. Post hos, qui tormenta intenderant, stabant, & ab utroque latere, & a fronte circumdati armatis. Reliqui, qui post tormenta constiterant, remigem lorica indutum scutorum testudine armati protegebant. Idem ordo

In illis quoq; ratibus, quæ equitem uehebant, seruatus est. Maior pars à puppe nantes equos loris trahebat. At illos, quos utres stramento repleti uehebant, obiectæ rates tuebantur. Ipse rex cum delectis primus ratem soluit, & in ripam dirigi iussit. Cui Scythæ admotos ordines equitum in primo ripæ margine opponunt, ut ne applicari quidem terræ rates possent. Cæterum præter hanc speciem ripis præsentis exercitus ingens nauigantes terror inuaserat. Nanque cursum gubernatores, cum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant: uacillantesq; milites, & ne excuterentur solliciti, nautas tum ministeria turbauerant. Nec tela quidem conati nixu uibrare poterant, cum prior standi sine periculo, quàm hostem incessendi cura esset. Tormenta saluti fuerunt, quibus in confertos ac temere se offerentes haud frustra excussa sunt tela. Barbari quoq; ingentem uim sagittarū infudere ratibus, uixq; ullum fuit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforaretur. Iamq; terræ rates applicabantur, cum acies clypeata consurgit, & hastas certo ictu, utpote libero usu, mittit è ratibus. Et ut territos recipientesq; equos uidere, alacres mutua adhortatione in terram dejiliere. Turbatis acriter pedem inferre cœperunt. Equitum deinde turmæ, quæ frenatos habebant equos per fregere Barbarorum aciem. Interim cæteri agmine dimicantium tecli, aptauere se pugnae. Ipse rex, quod uigoris ægro adhuc corpore deerat, animi firmitate supplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice ceruicis: sed dimicantem cuncti uidebant. Itaque ipsi quidem ducum surgebantur officio, aliusq; alium adhortati in hostem salutis immemores ruere cœperunt. Tum uerò non ora, non arma, non clamorem hostium Barbari tolerare potuerunt, omnesq; effu-



sis habenis (nanque equestris acies erat) capeffunt fugam: quos rex, quāquam uexationem inualidi corporis pati non poterat, per L X X X. tamen stadia insequi perseuerauit. Iamq; linquēte animo, suis præcepit, ut donec lucis aliquid superesset, fugientium tergis inhererent. Ipse, exhaustis etiam animi uiribus, in castra se recepit, reliquum substitit. Transierunt iam Liberi patris terminos, quorū monumenta, lapides erant crebris interuallis dispositi, arboresq; proceræ, quarum stipites hedera contexerat. Sed Macedonas ira longius prouexit: quippe media serè nocte in castra redierunt, multis interfectis, pluribus captis, equosq; M D C C C. abegere. Ceciderunt autem Macedonum equites L X. pedites centum serè, mille saucij fuerunt. Hæc expeditio deficientem magna ex parte Asiam fama tam opportune uictoriæ domuit. Inuictos Scythas esse crediderant: quibus fractis, nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur. Itaque Saccæ misere legatos, qui pollicerentur gentem mandata facturam. Mouerat eos regis non uirtus magis, quàm clementia in deuictos Scythas: quippe captiuos omnes sine pretio remiserat, ut fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de ira fuisse certamen. Benignè igitur exceptis Saccarum legatis, comitem Excipinum dedit, admodum iuuenem, ætatis flore consiliatum sibi: qui cum specie corporis equaret Ephestionem, lepore haud sanè illi par erat. Ipse Cratero cum maiore parte exercitus modicis itineribus sequi iusso, ad Maracāda urbē peruenit, ex qua Spitamenes, cognito eius aduentu, Bactra persugerat. Itaque quatrinduo rex longum itineris spaciū emensus, peruenerat in eum locum, in quo, Menedemo duce, duo nullia peditum & trecentos equites amiserat. Horum ossa tumulo contegi iussit

& inferias more patrio dedit. Iam Craterus cum phalan-  
 ge subsequi iussus, ad Regem peruenerat. Itaque ut omnes,  
 qui defecerant, pariter belli clade premerentur, copias di-  
 uidit: utriusque agros, & interfici puberes iussit. Sogdiana re-  
 gio maiori ex parte deserta est. LXXX. fere stadia in lati-  
 tudinem uastæ solitudines tenent. Ingens spaciū rectæ  
 regionis est, per quam amnis (Polytimetum uocant inco-  
 læ) fertur torrens. Eum ripæ in tenuem alueum cogunt:  
 deinde cauerna accipit, & sub terram rapit. Cursus ab-  
 sconditi indicium est aquæ meantis sonus, quum ipsum so-  
 lum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet  
 humore. Ex captiuis Sogdianorum ad Regem triginta nobilif-  
 simi, corporum robore eximio, perducti erant. Qui ut per  
 interpretem cognouerunt, iussu Regis ipsos ad supplicium tra-  
 hi: carmen letantium more canere, tripudijque & lasciuiori  
 corporis motu gaudium quoddam animi ostentare ceperunt.  
 Admiratus Rex, tanta magnitudine animi oppetere mor-  
 tem, euocari eos iussit, causam tam effuse letitiæ, quum  
 supplicium ante oculos haberent, requirens. Illi, si ab alio  
 occiderentur, tristes morituros fuisse respondent. Nunc  
 à tanto Rege uictore omnium genium maioribus suis red-  
 ditos, honestam mortem, quam fortes uiri uoto quoque ex-  
 peterent, carminibus sui moris letitiæque celebrare. Tum  
 Rex admiratus magnitudinem animi: Quæro itaque, in-  
 quit, an uiuere uelitis, non inimici mihi, cuius beneficio  
 uicturi estis. Illi nunquam se inimicos ei, sed bello lacessi-  
 tos, hostes fuisse respondent. Si quis ipsos beneficio, quam  
 iniuria experiri malisset, certaturos fuisse ne uincerentur  
 officio. Interrogatique, quo pignore fidem obligaturi essent:  
 Vitam, quam acciperent, pignori futuram esse dixerunt,  
 reddituros quando repetisset. Nec promissum se fellerunt.

Nam qui remissi domos ierant, fide continuere populares. Quatuor inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in Regem charitate cesserunt. In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neq; enim maiori praesidio indigebat) relicto Bactra peruenit. Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dario pœnas capite persoluturum. Iisdem ferè diebus Ptolemæus, & Menidas peditum tria millia & equites mille adduxerant mercede militaturos. Alexander quoque ex Lycia cum pari numero peditum & quingentis equitibus uenit. Totidem è Syria Asclepiodorum sequebantur. Antipater Græcorum octo millia, in quæis quingenti equites erant, miserat. Itaque exercitu aucto, ad ea quæ defectione turbata erant, componenda processit: interfectisq; consternationis auctoribus, quarto die ad flumen Oxum peruentum est. hic quia limum uehit, turbidus semper & insalubris est potu. Itaque puteos miles cœperat fodere: nec tamen humo altè egesta existebat humor, cum in ipso tabernaculo Regis conspectus est fons: quem quia tardè notauerant, subito extitisse finxerunt: Rexq; ipse credi uoluit, donum Dei id fuisse. Superatis deinde amnibus Ocho & Oxo, ad urbem Marginiam peruenit. Circa eam sex oppidis condendis electa sedes est. Duo ad Meridiem uersa, quatuor spectantia Orientem modicis inter se spacijs distabant, ne procul repetendum esset mutuum auxilium. Hæc omnia sita sunt in editis collibus, tum uelut fræni domitarũ gentium: nunc originis suæ oblita, seruiunt quibus imperauerunt. Et cætera quidem pacauerat Rex. Vna erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum triginta millibus armatorum obtinebat, alimentis antè congestis, quæ tantæ multitudini uel per biennium suppeterent. Petra in altitudinem triginta

eminet stadia, circuitu centum & quinquaginta complectitur, undiq; abscissa & abrupta semita perangusta aditur. In medio altitudinis spatium habet specum, cuius os arctum & obscurum est: paulatim deinde ulteriora panduntur: ultima etiam altos recessus habent: fontes per totum ferè spatium manant, è quibus collatae aquae per prona montis flumen emittunt. Rex, loci difficultate spectata, statuerat inde abire. Cupido deinde incesit animo, naturam quoq; fatigandi. Prius tamè quàm fortunā obsidionis experiretur, Copen (Artabazi hic filius erat) misit ad Barbaros, qui suaderet ut dederent rupem. Arimazes loco fretus, superbe multa respondit. Ad ultimum, an Alexander uolare possit, interrogat. Quae nuntiata Regi sic accendère animum, ut adhibitis cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam Barbari illudeniis ipsos, quia pinnas non haberent. Se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam uolare. Trecentos, inquit, pernicissimos iuuenes ex suis quisq; copijs perducite ad me, qui per calles & pene inuias rupes domi pecora egere consueuerint. Illi praestantes & leuitate corporum, & ardore animorum strenuè adducunt: quos intuens Rex, Vobiscum, inquit, o iuuenes, & mei aequales, urbium inuictarum ante munimenta superavi: montium iuga perenni niue obruta emensus sum: angustias Ciliciae intraui: Indiae sine lassitudine uiam frigoris sum perpeffus. Et mei documenta uobis dedi, & uestra habeo. Petra, quam uidetis, unum aditum habet, quem Barbari obsident, cetera negligunt. Nullae uigiliae sunt, nisi quae castra nostra spectant. Inuenietis uiam, si solerter rimati fueritis aditus ferentis ad cacumè. Nihil tam altè natura constituit, quò uirtus non possit eniti. Experiendo, quae ceteri desperauerunt, Asiam habemus in potestate

state

state. Euadite in ca.umen: quod cum ceperitis, candidis uel-  
 lis signum mihi dabit: ego, copijs admotis, hostem in nos  
 à uobis conuertam. præmiu erit ei, qui primus occupauerit  
 uerticem, talenta decem. Vno minus accipiet, qui proximus  
 ei uenerit: eademq; ad decem homines seruabitur portio.  
 Certum habeo, uos non tam liberalitatem intueri meã, quã  
 uoluntatem. His animis Regem audierunt, ut iam cepisse  
 uerticem uiderentur: dimisiq; ferreos cuneos, quos inter  
 saxa defigerent, ualidosq; fines parabant. Rex circumuectos  
 petram, quã minimè asper ac præruptus aditus uidebatur,  
 secunda uigilia (quod bene uerteret) ingredi iubet. Illi,  
 alimentis in biduum sumptis, gladijs modò atq; hastis  
 armati subire cœperunt. Ac primò pedibus ingressi sunt:  
 deinde, ut in prærupta peruentum est, alij manibus eminentia  
 saxa complexi, leuare semet, alij adiectis funium laqueis  
 euasere, cū cuneos inter saxa defigerent, quicquid gradus  
 subinde insisterent, diem inter metum laboremq; consumpserunt.  
 Per aspera enixis, duriora restabant, & crescere alitudo  
 petre uidebatur. Illa uerò miserabilis erat facies, cum ij,  
 quos instabilis gradus sefellera, ex præcipiti deuoluerentur:  
 mox cadē in se patienda alieni casus ostendebat exemplum.  
 Per has tamen difficultates enituntur in uerticem montis,  
 omnes fætigatione continuati laboris affeeti, quidam mutilati  
 parte membrorum: pariterq; eos & nox & somnus oppressit.  
 Stratis passim corporibus in inuijs & in asperis saxorum,  
 periculi instantis obliui, in lucē quicuerunt: tandemq;  
 uelut ex alto sopore excitati, occultas subiectasq; ipsis  
 ualles rimantes, ignari in qua parte petre tanta uis  
 hostium condita esset, fumum specus infra se ipsos euolutum  
 notauerunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram  
 esse. Itaq; hastis imposuere quod conuenerat

nerat signum, totoq; e numero duos & triginta in ascensu interisse cognoscunt. Rex non cupidine magis potiundi loci, quàm uicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Noctu demum, cum obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satis clara luce primus uela signum capti uerticis coaspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat uarietas cœli, tunc internitente lucis fulgore conditi. Verùm ut liquidior lux apparuit cœlo, dubitatio exempta est: uocatumq; Cophen, per quem Barbarorum animos tentaue-  
rat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent. Sin autem fiducia loci perseuerarent, ostendi à tergo iussit, qui ceperant uerticem. Cophes ad eos missus, suadere cœpit Arimazi petram tradere, gratiam Regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione herere non coëgisset. Ille ferocius superbiorq; quàm antea locutus, abire Cophen iubet. At is prehensum manu Barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat: quo impetrato, iuuenes in cacumine ostendit, eius superbiæ haud immeritò illudens. Pinnas ait habere milites Alexandri. Iamq; è Macedonum castris signorū concentus, & totius exercitus clamor audiebatur. Ea res sicut pleraq; belli uana & inania, Barbaros ad deditiōem traxit: quippe occupati metu, paucitatem eorum, qui à tergo erant, estimare non poterant. Itaq; Cophen (nam trepidantes reliquerat) strenuè reuocant, & cum eo triginta principes mittunt, qui Petram tradant, & incolumibus abire liceat, paciscantur. Ille quanquam uerebatur, ne conspecta iuuenum paucitate, deturbarent eos Barbari: tamen & fortunæ suæ confusus, & Arimazi superbiæ insensus, nullam se conditionem  
ded

deditionis accipere respondit. Arinazes, desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisq; gentis suæ descendit in castra, quos omnibus uerberibus affectos, sub ipsis radicibus Petræ crucibus iussit affigi. Multitudo dedititiorum incolis nouarum urbium cum pecunia capta dono data est. Artabazus in Petræ regionisq; quæ appositæ esset ei, tutela relictus est.

Q. CVRTII DE RE-  
BUS GESTIS ALEXAN-  
DRI MAGNI LI-  
BER VIII.



ALEXANDER maiore fama quam gloria in ditionem redacta Petra, cum propter uagum hostem spargendæ manus essent, in tres partes diuisit exercitum. Ephestionem uni, Cænon alteri duces dederat. Ipse cæteris præerat. Sed non eadem mens omnibus Barbaris fuit. Armis quidam subacti, plures ante certamen imperata fecerunt: quibus eorum, qui in defectione perseuerauerant, urbes agrosq; iussit attribui. At exules Bactriani cum ostingentis equitibus Massagetarum proximos uicos uasta uerunt. Ad quos coercendos Attinas regionis eius præfectus trecentos equites, insidiarum quæ parabantur ignarus eduxit. Namq; hostis in syluis, quæ erant fortè campo iunctæ, armatum militem condidit, paucis propellentibus pecora, ut improuidum ad insidias præda perduceret. Itaque incomposito agmine, solutisq; ordinibus, Attinas prædabundus sequebatur: quem prætergressum syluam, qui in ea confederant, ex improviso adorti, cum omnibus interemerunt.

runt. Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata est, qui cum omni equitatu superuenit. Et Massagetæ quidem iam refugerant, Dahæ mille oppressi sunt : quorum clade totius regionis finita defectio. Alexander quoq; Sogdianis rursus subactis, Maracanda repetit. Ibi Berdes, quem ad Scythas super Bosphorum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit : Phrataphernes quoq; qui præerat Massagetis & Dahis regionum confinio adiunctis, miserat qui facturum imperata polliceretur. Scythæ petebant, ut Regis sui filiam matrimonio sibi iungeret. Si dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus suæ gentis connubio coire pateretur. Ipsum quoq; Regem uenturum ad eum pollicebantur. Vtraque legatione benignè audita, Ephestionem & Artabazum opperiens statim habuit : quibus adiunctis in regionem, quæ appellatur Bazarria, peruenit. Barbaræ opulentia in illis locis haud ulla sunt maiora indicia, quàm magnis nemoribus saltibusq; nobilium ferarum greges clausi. Spaciosas ad hoc eligunt sylvas, crebris perennium aquarum fontibus amœnas. Muris nemora cinguntur, turresq; habent uenantium receptacula. Quatuor continuis ætatibus intactum saltum fuisse constabat : quem Alexander cum toto exercitu ingressus, agitari undiq; feras iussit. Inter quas cum leo magnitudinis rare ipsum Regem inuasurus incurreret : fortè Lysimachus, qui postea regnauit proximus Alexandro, uenabulum obijcere feræ cœperat. Quo Rex repulso, & abire iusso, adiecit, Tam à semet, quàm à Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam cum uenaretur in Syria, occiderat eximie magnitudinis feram solus, sed læuo humero usq; ad ossa laceratus, ad ultimum periculi peruenerat. Id ipsum exprobrans ei Rex, fortius quàm locutus est fecit.

Nam



Nam feram non excepit modo, sed etiam uno uulnere occidit. Fabulam, quæ obiectum leoni à Rege Lysimachum temere uulgauit, ab eo casu (quem supra diximus) ortam esse crediderim. Cæterum Macedones, quanquam prospero euentu defunctus erat Alexander, tamen sciuerè gentis sue morè, ne pedes uenaretur sine delectis principum amicorumq; . Ille quatuor nullibus ferarum delectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est. Inde Maracanda reditum est: acceptaq; ætatis excusatione ab Artabazo, prouinciam eius destinat Clyto. Hic erat, qui apud Granicum anem nudo capite Regem dimicantem, clypeo suo texit: Rhosaceris manum capiti Regis imminentem, gladio amputauit, uetus Philippi miles, multisq; bellicis operibus clarus. Hellanice, quæ Alexandrum educauerat, soror eius haud secus quàm mater à Rege diligebatur. Ob has causas ualidissimam imperij partem fidei eius tutelæq; commisit, iamq; iter parare in posterum iussus, solenni & tempestiuo adhibetur conuiuio. In quo Rex cum multo incaluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare quæ gesserat cepit, grauis etiam eorum auribus, qui sentiebant uera memorari. Silentium habuere Seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Cheroneam uictoriam sui operis fuisse iactauit, ademptamq; sibi malignitate & inuidia patris tantæ rei gloriam. Illum quidem seditione inter Macedones milites & Græcos mercenarios orta, debilitatum uulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse, non alias quàm simulatione mortis tutiorem: se corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesq; in illum sua manu occisos. Quæ patrem nunquam æquo animo esse confessum, inuitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset, ipse in Illyricos, uictorem

Florem scripsisse se patri, suos fugatos que hostes, nec af-  
 fuisse usquam Philippum. Laude dignos esse, non qui Sa-  
 mathracum initia miserent, cum Asiam uri vastariq; opor-  
 teret: sed eos qui magnitudine rerum fidem antecessissent.  
 Hæc & his similia Leti audiere iuvenes: ingrata seniori-  
 bus erant, maxime propter Philippum, sub quo diutius vi-  
 xerant. Tum Clytus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos  
 qui infra ipsum cubabant, conuersus, Euripidis retulit car-  
 men, ita ut sonus magis quam sermo exaudiri posset à re-  
 ge: quo significabatur, malè instituisse Græcos, quòd tro-  
 phæis, regum duntaxat nomina in scriberentur. Alieno e-  
 nim sanguine partam gloriam intercipi. Itaque rex cum su-  
 spicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari  
 proximos cœpit, quid ex Clyto audissent. Et illis ad silen-  
 tium obstinatis, Clytus paulatim maiore uoce Philippi  
 acta bellaq; in Græcia gesta commemorat, omnia præsen-  
 tibus præferens. Hinc inter iuniores senesq; orta contentio  
 est. Et rex, uelut patienter audiret queis Clytus obtere-  
 bat laudes eius, ingentem iram conceperat. Cæterum cum  
 animo uideretur imperaturus, si finem procaciter orto ser-  
 moni Clytus imponeret: nihil eorum omittente, magis ex-  
 asperabatur. Iamq; Clytus etiam Parmenionem defende-  
 re audebat: & Philippi de Atheniensibus uictoriam, The-  
 barum præferebat excidio, non uino modò, sed etiam ani-  
 mi praua contentione prouectus. Ad ultimum, Si morien-  
 dum, inquit, est pro te, Clytus est primus. At uictoriæ ma-  
 ius præmium ferunt, qui procacissime patris tui memoriæ  
 illudunt. Sogdianam regionem mihi attribuis, toties re-  
 bellem, & non modo indomitam, sed quæ ne subigi quidem  
 possit. Mittor ad feras bestias, præcipitia ingenia sortitas.  
 Sed quæ ad me pertinent, transeo: Philippi milites spernis,  
 p oblitus,

oblitus, nisi hic Atharias senex iuniores pugnam detrectantes reuocasset, adhuc nos circa Alicarnasum haesuros fuisse. Quomodo ergo Asiam etiam cum istis iunioribus subiiecisti? Verum est, ut opinor, quod auunculum tuum in Italia dixisse constat: ipsum in viros incidisse, te in foeminas. Nihil ex omnibus inconsulte ac temere actis regem magis mouerat, quam Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen rex pressit, contentus iussisse ut conuiuio excederet. Nec quicquam aliud adiecit, quam forsitan eum (si diutius locutus foret) exprobraturum sibi fuisse uitam a semetipso datam. hoc enim superbe saepe iactasse. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus iurgantesque conabantur abducere. Clytus, cum abstraheretur, ad pristinam uinolentiam ira quoque adiecta: suo pectore tergum illius esse defensum: nunc, posteaquam tanti meriti praeterijt tempus, etiam memoriam inuisam esse proclamat. Attali quoque eadem obieciebat: et ad ultimum, Iouis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, Veriora se regi, quam patrem eius respondisse, dicebat. Iam tantum irae conceperat rex, quantum uix sobrius ferre potuisset. Enimvero mero sensibus uictis, ex lecto repente prosiliuit. Attoniti amici, ne positus quidem, sed abiectis poculis consurgunt, in euentum rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. Alexander, rapta lancea ex manibus armigeri, Clytum adhuc eadem lingue intemperantia furentem percutere conatus, a Ptolemaeo et Perdicca inhibetur. Medium complexi, et oblectari perseverantem morabantur. Lysimachus et Leontus etiam lanceam abstulerant. ille militum fidem implorans, comprehendi se a proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat: signumque tuba dari, ut ad regiam

giam armati coirent, iubet. Tum uerò Ptolemæus & Perdiccas genibus aduoluti orant, ne in tam præcipiti ira perseueret. spatiumq; potius animo det: omnia postero die iustius exsecuturum. Sed clausæ erant aures, obstrepente ira. Itaq; impotens animi percurrit in regie uestibulum, & uigili excubanti hasta ablata, constituit in aditu, quo necesse erat ijs, qui simul coenauerant, egredi. Abierant ceteri, Clytus ultimus sine lumine exibat. Quem rex, quisnam esset, interrogat. Eminebat etiam in uoce sceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille iam non suæ, sed regis iræ memor: Clytum esse, & de conuiuio exire respondit. Hæc dicentis latus hasta transfixit, morientis'que sanguine aspersus: I nunc, inquit, ad Philippum, & Parmenionem, & Atalum. Malè humanis ingenijs natura consuluit, quòd plerunque non futura, sed transacta perpendimus: quippe rex posteaquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera æstimatione perspexit. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello uirum, & nisi erubesceret fateri, seruatorem sui occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaauerat rex, uerborum licentiam, quæ uino poterat imputari, nephanda cæde ultus. Manabat toto uestibulo cruor paulò antè conuiui: uigiles attoniti & stupentibus similes procul stabant, liberiorem'que pœnitentiam solitudo excipiebat. Ergo hastam ex corpore idcentis euulsam retorsit in semet: iamq; admouerat pectori, cum aduolant uigiles, & repugnanti è manibus extorquent, alleuatum'que in tabernaculum deferunt. Ille humi prostrauerat corpus: gemitu ciuidatuq; miserabili tota personans regia. Laniare deinde os unguibus, & circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse patrentur. In has preces tota nox ex-

acta est: scrutantemq; num ira deorū ad tantum nefas actus  
 esset, subit, anniuersarium sacrificium Libero patri non  
 esse redditum statō tempore. Itaque inter uinum & epulas  
 cæde commissā, iram defuisse manifestam. Cæterum magis  
 eo mouebatur, quod omnium amicorum animos uidebat  
 attonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea au-  
 surum. Viuendum esse in solitudine, uelut feræ bestię ter-  
 renti alias, alias timenti. Prima deinde luce tabernaculo  
 corpus, sicut adhuc cruentum erat, iussit inferri: quo po-  
 sito ante ipsum, lachrymis obortis, Hanc, inquit, nutrici  
 meæ gratiam retuli, cuius duo filij apud Miletum pro  
 mea gloria occubere mortem: hic frater, unicum orbita-  
 tis solatium, à me inter epulas occisus est. Quo nunc se  
 conferet misera? Omnibus eius unus supersum; quem so-  
 lum æquis oculis uidere non poterit. Et ego seruatorū meo-  
 rum latro reuertar in patriam, ut ne dexteram quidem nu-  
 trici sine memoria calamitatis eius offerre possim? Et cum  
 finis lachrymis querelisq; non fieret, iussu amicorum cor-  
 pus ablatum est. Rex triduum iacuit inclusus, quem ut ar-  
 migeri corporisq; custodes ad moriendum obstinatum esse  
 cognouerunt, uniuersi in tabernaculum irrumpunt. diuq;  
 precibus ipsorum reluctatum ægre uicerunt, ut cibum cape-  
 ret. Quoq; minus cædis puderet, iure interfectum Clytum  
 Macedones decernunt, sepultura quoq; prohibitori, ni rex  
 humari iussisset. Igitur decem diebus maximè ad confir-  
 mandum pudorem apud Maracāda consumptis, cum par-  
 te exercitus Ephesionem in regionem Bactrianā misit, cō-  
 meatus in hyemem paraturū. Quam Clyto autem destina-  
 uerat prouinciam, Amyntæ dedit. Ipse Xenippa perue-  
 nit. Scythiæ confinis est regio, habitaturq; pluribus ac fre-  
 quentibus uicis, quia ubertas terræ non indigenas modo  
 detinet,

detinet, sed etiam aduenas inuitat. Bactrianorum exulum, qui ab Alexandro defecerant, receptaculum fuerat. Sed posteaquàm regem aduentare compertum est, pulsati ab incolis, duo millia ferè & ducenti congregantur. Omnes equites erant, etiam in pace latrocinij assueti: tum ferocia ingenia non bellum modo, sed etiam ueniæ desperatio efferauerat. Itaque ex improviso adorti Amyntam prætorem Alexandri, diu anceps prælium fecerant. Ad ultimum septingentis suorum amissis, quorum CCC. hostis cepit, dedere terga uictoribus, haud sanè inulti: quippe LXXX. Macedonum interfecerunt, præterq; eos CCC. & L. saucij facti sunt. ueniam tamen etiam post alteram defectionem impetrauerunt. His in fidem acceptis, in regionem, quam Nauram appellant, rex cum toto exercitu uenit. Satrapes erat Sysimithres, duobus ex sua matre filijs genitis: quippe apud eos parentibus stupro coire cum liberis fas est. duobus millibus armatis popularibus fauces regionis, quæ in arctissimum cogitur, ualido munimento sepeserant. Præterfluebat torrens amnis, qui terga petrae claudebat. Hanc manu peruiam incolæ fecerant. Sed aditus specus accipit lucem: interiora, nisi illato lumine, obscura sunt. Perpetuus cuniculus iter præbet in campos ignotum nisi indigenis. At Alexander, quanquam angustias naturali situ munitas ualida manu Barbari tuebantur, tamen arietibus admotis munimenta, quæ manu adiuncta erant, concussit, fundisq; & sagittis propugnantium plerosque deiecit: quos ubi dispersos fugauit, ruinas munimentorum supergressus, ad petram adinquit exercitum. Cæterum interueniebat fluiuius coeuntibus aquis ex superiore fastigio in uallem, magniq; operis uidebatur tam uastam uoraginè explere. Cædi tamen arbores, & saxa congeri iussit: ingensq; Barba-

ros pauor rudes ad talia opera concusserat, excitatam molem subito cernentes. Itaque rex ad deditionem metu posse compelli ratus, Oxartem uisit nationis eiusdem, sed ditio- nis suæ, qui suaderet duci, ut traderet petram. Interim, ad augendam formidinem, & turres admouebantur, & excussa tormentis tela micabant. Itaque uerticem petræ, omni alio presidio damnato, petiuerunt. At Oxartes trepidum diffidentemq; rebus suis Sysimithrem cœpit hortari, ut fidem, quàm uim Macedonum mallet experiri, neu moraretur festinationem uictoris exercitus in Indiam tendentis: cui quisquis semet offerret, in suum caput alienam cladem esse uersurum. Et ipse quidem Sysimithres deditionem annuebat: cæterum mater eadem que coniunx morituram se ante denunciãns, quàm in ullius ueniret potestatem, Barbari animum ad honestiora quàm tutiora conuerterat: pudebat que, libertatis maius esse apud foeminas, quàm apud uiros pretium. Itaque, dimisso internuntio pacis, obsidionem ferre decreuerat. Sed cum hostis uires, suas que pensaret, rursus muliebris consilij, quod præceps magis quàm necessarium esse credebat, poenitere eum cœpit: reuocato que strenue Oxarte, futurum se in regis potestate respondit, unum precatus, ne uoluntatem & consilium matris suæ proderet, quo facilius uenia illi quoque impetraretur. Præmissum igitur Oxartem cum matre liberisq;, & totius cognationis grege, sequebatur, ne expectato quidem fidei pignore, quod Oxartes promiserat. Rex, equite præmisso, qui reuerti eos iuberet, oppeririq; presentiam ipsius, superuenit, & uictimis Mineruæ ac Victoriæ cæsis, imperium Sysimithri restituit, spe maioris etiam prouinciæ facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset. Duos illi iuuenes patre tradente secum militaturos sequi iussit. Relicta de-  
inde

inde phalange, ad subigendos qui defecerant, cum equite processit. Arduum & impeditum saxis iter primò utcumq; tolerabant. Mox equorum non unguis modò attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi pleriq; non poterant, & rarius subinde agmen fiebat, pudorem (ut serè fit) immo- dico labore uincente. Rex tamen subinde equos mutans, sine intermissione fugientes insequabatur. Nobiles iuvenes comitari eum soliti defecerant, præter Philippum: Lysimachi erat frater, tum primum adultus, & quod faciliè appareat, indolis rarè. is pedes (incredibile dictu) per quinquaginta stadia uectum regè comitatus est, sæpe equum suum offerente Lysimacho: nec tamen ut digrederetur à rege, effici potuit, cum lorica indutus arma gestaret. Idè, cum peruentum esset in saltum, in quo se Barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam, regemq; cominus cum hoste dimicantè protexit. Sed posteaquàm Barbari in fugam effusi deseruere sylvas: animus, qui in ardore pugnae corpus sustentauerat, liquit, subitoq; ex omnibus membris profuso sudore, arboris proximæ stipiti se applicuit. Deinde ne illo quidem adminiculo sustinète, manibus regis exceptus est, inter quas collapsus extinguitur. Mœstum regem alius haud leuis dolor excepit. Erigyus inter claros duces fuerat, què extinctum esse paulò antè, quàm reuenteretur in castra, cognouit. Vtriusq; funus omni apparatu atq; honore celebratum est. Dabas deinde statuerat petere. Ibi nanq; Spitamenum esse cognouerat. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraq; alia, fortuna indulgendo ei nunquam fatigata, pro absente transegit. Spitamenes uxoris immo dico amore flagrabat: quam egre fugam & noua subinde exilia tolerantem, in omne discrimen comitem traherat. Illa malis fatigata, identidem muliebres adhibere blanditias, ut tandè fugam



sisteret, uictorisq; Alexandri clementiam expertus, placaret, quem effugere non posset. Tres adulti erant liberi ex eo geniti: quos cum pectori patris admouisset, ut saltem eorum misereri uellet, orabat. Et quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander. Ille se prodi, non moneri ratus, & formæ profectò fiducia cupere eam quamprimum dedi Alexandro, acinacem strinxit, percussurus uxorem, nisi prohibitus esset sciatrum eius occurso. Cæterum abire è conspectu iubet, addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset: & ad desiderium leuandū, noctes inter pellices agere cœpit. Sed penitus hærens amor, fastidio præsentium accessus est. Itaq; rursus uni ei deditus, orare non destitit, ut tali consilio abstineret, patereturq; sortem, quamcunque his fortuna fecisset. Sibi mortem deditione esse leuiorem. At illa purgare se, quòd quæ utilia esse censebat, muliebriter forsitan, sed fida tamen mēte suasisset: de cætero futuram in uiri potestate. Spitamenes simulato captus obsequio, de die conuiuium apparari iubet: uinoq; & epulis grauis, semisomnus in cubiculum fertur. Quem ut alto & graui somno sopitum esse sensit uxor, gladium, quem ueste occultauerat, stringit, caputq; eius abscissum cruore respersa seruo suo conscio facinoris tradit. Eodē comitante (sicut erat cruenta ueste) in Macedonū castra peruenit, nunciariq; Alexandro iubet, adesse, quæ ex ipsa deberet agnoscere. Ille protinus Barbaram iussit admitti. Quæ ut aspersam cruore conspexit, ratus ad deplorandam contumeliam uenisse, dicere quæ uellet iubet. At illa seruum, quem stare in uestibulo iusserat, introduci desiderauit. Qui quia caput Spitamenis ueste tectum habebat, suspectus, scrutantibus quid occuleret, ostendit. Considerat oris exsanguis notas pallor, nec quis esset nosci satis poterat. Ergo rex certior factus, humanum

caput afferre eum, tabernaculo excessit, percontatusq; quid rei sit, illo profitente, cognoscit. Variæ hinc cogitationes inuicem animum diuersa agitantem commouerant. Meritum ingens in semet esse credebat, quod transfuga & proditor, quiq; tantis rebus (si uixisset) iniecturus moram fuisset, interfectus esset. Contra facinus ingens auersabatur, cum optimè meritum de ipsa communium parentem liberorum per insidias interemisset. Vicit tamen gratiam meriti sceleris atrocitas, denunciariq; iussit, ut excederet castris, neu licentiæ barbaræ exemplar in Græcorum mores & mitia ingenia transferret. Dabæ, Spitaminis cæde comperta, Dataphernem defectionis eius participem uinctum Alexandro seq; dedunt. Ille maxima præsentium curarum parte liberatus, conuertit animum ad uindicandas iniurias eorum, quibus à prætoribus suis auarè ac superbè imperabatur. Ergo Phratapherni Hyrcaniam, Mardos cum Tapyris tradidit, mandauitq; ut Phradatem, cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsami Cariæ præfecto substitutus est Sta'anor. Arsaces in mediam missus, ut Oxidates inde discederet. Babylonia, mortuo Mazæo, Deditameni subiecta est. His compositis, tertio mense ex hybernis mouit exercitum, regionem, quæ Gabaza appellatur, aditurus. Primus dies quietum iter præbuit, proximus ei nondum quidem procellosus & tristis, obscurior tamen pristino, non sine crescentis mali damno præterijt. Tertio ab omni parte cœli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos terrere cœperunt. Erat prope continuus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species uisebatur: attonitisq; auribus stupens agmen, nec progredi, nec considerare audebat. Tum repente imber grandinem incutiens,

torrentis modo effunditur. Ac primò quidem armis suis te-  
 ãti exceperant. Sed iam nec retinere arma lubrica & ri-  
 gentes manus poterant, nec ipsi destinare, in quam regio-  
 nem obuerterent corpora, cum undique tempestatis uio-  
 lentia maior quàm uicabatur occurreret. Ergo ordinibus so-  
 lutis, per totum saltum errabundum agmen ferebatur, mul-  
 tiq; prius metu quàm labore defatigati, prostrauerant hu-  
 mi corpora, quanquam imbrem uis frigoris concreto gelu  
 astrinxerat. Alij se stipitibus arborum admouerant. Id plu-  
 rimis & adnuculum, & suffugiũ erat. Nec fallebat ipsos,  
 morti locum eligere, cum immobileis uitalis calor linque-  
 ret. Sed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recu-  
 sabant extingui quiescendo: quippe non uehemens modò,  
 sed etiam pertinax uis mali insistebat, lucem'que naturale  
 solatium præter tempestatem haud disparem nocti, sylua-  
 rum quoque umbra suppresserat. Rex unus tanti mali pa-  
 tiens, circuire milites, contrahere dispersos, alleuare pro-  
 stratos, ostendere procui euolutum ex tugurijs sumum, hor-  
 tariq; ut proxima quæq; suffugia occuparent. Nec ulla res  
 magis saluti fuit, quàm quod multiplicato labore sufficien-  
 tem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescer-  
 bant. Cæterum efficacior in aduersis necessitas, quàm ra-  
 tio, frigoris remedium inuenit. Dolabris enim syluas ster-  
 nere aggressi, passim acruos struesq; accenderunt. Con-  
 tinenti incendio ardere crederes saltum, & uix inter flam-  
 mas agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra  
 commouit, paulatim'que spiritus, quem continuerat rigor,  
 meare liberè cœpit. Excepere alios tecta Barbarorum,  
 quæ in ultimo saltu abdita necessitas inuestigauerat: alios  
 castra, quæ in humido quidem, sed iam cœli mitescente  
 seuitia locauerunt. Mille militum atq; lixarum calonumq;  
 pestis

pestis illa consumpsit. Memorie proditum est, quosdã applicatos arborum truncis, & non solum uiuentibus, sed & inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quenque deprehenderat. Fortẽ Macedo gregarius miles seq; ad arma sustentans, tandem in castra peruenerat. Quo uiso, rex, quanquã ipse tunc maximẽ admoto igne refouebat artus, ex sella sua exsiliuit, torpentemq; militem, & uix compotem mentis, demptis armis in sua sede iussit considerare. Ille diu, nec ubi requiesceret, nec à quo esset exceptus, agnouit. Tandem recepto calore uitali, ut regiam sedem regemq; uidit, territus surgit. Quem intuens Alexander: Ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliore sorte quã Persæ sub rege uiuatis? Illis enim in sella regis consedissee capitale foret: tibi saluti fuit. Postero die conuocatis amicis, copiarum que ducibus, pronuntiari iussit, ipsum omnia, quæ amissa essent, redditurum. & promisso fides extitit. Nam Sysimithres multa iumenta, & camelorum duo millia adduxit, pecoraq; & armẽta, quæ distributa pariter militem & damno & fame liberauerunt. Rex gratiam sibi relata, à Sysimithre præfatus, sex dierum cocta cibaria ferre milites iussit. Sacas petens, totam hanc regionem depopulatus, triginta millia pecorum ex præda Sysimithri dono dat. inde peruenit in regionem, cui Cohortanus Satrapes nobilis præerat, qui se regis potestati fideiq; permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius quã ut duo ex tritius filiis secum militarẽt, exegit. Satrapes etiam eum, qui penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbara opulentia conuiuium, quo regem accipiebat, instruxerat. id cùm multa comitate celebraret, introduci triginta nobiles uirgines iussit: inter quas erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis specie, & decore

decore habitus in Barbaris raro. Quæ quanquam inter electas processerat, omnium tamen oculos conuertit in se, maxime regis, minus iam cupiditatibus suis imperantis inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est. Itaque ille, qui uxorem Darij, qui duas filias uirgines, quibus forma præter Roxanem comparari nulla poterat, haud alio animo quam parentis aspexerat, tunc in amorem uirguncule, si regie stirpi compararetur, ignobilis, ita effusus est, ut diceret, ad stabiliendum regnum pertinere, Persas & Macedonas connubio iungi: hoc uno modo & pudorem uictis, & superbiam uictoribus detrabi posse. Achillem quoque, à quo genus ipse deduceret, cum captiua coisse. Ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonij iure uelle iungi. Insuperato gaudio letus pater, sermonem eius excepit. Et rex medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntiam pignus) quem diuisum gladio uterque libabat. Credo eos qui gentis mores condiderunt, parco & parabili uictu ostendere uoluisse iungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. Hoc modo rex Asiæ & Europæ introductam inter conuiuales ludos matrimonio sibi adiunxit, è captiua geniturus qui uictoribus imperaret. Pudebat amicos, super uinum & epulas socerum ex deditis esse electum. Sed post Clyti cædem libertate sublata, uultu, qui maxime seruit, assentiebantur. Cæterum Indiam, & Inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo, quod destinata impedire posset, moueretur, & ex omnibus provincijs triginta millia iuniorum legi iussit, & ad se armata per duci, obsides simul habiturus & milites. Craterum autem ad persequendos Haustanem & Cathenem, qui ab ipso defecerant, misit: quorum Haustanes captus est, Cathenes in prælio occisus.

*zifus. Polypercon quoq; regionem, quæ Bubacene appellatur, in deditiorem redegit. Itaq; omnibus compositis, cogitationes in bellum Indicum uertit. Diues regio habebatur, non auro modo, sed gemmis quoq;, margaritisq; ad luxum magis quàm ad magnificentiam exculta. Clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur. Itaq;, necubi uinceretur, quum cæteris præstaret, scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit: loricas quoque alias auro, alias argento adornauit. c x x millia armatorum erant, quæ regem ad id bellum sequebantur. Lamq; omnibus præparatis, quod olim praua mente conceperat, tunc esse maturum, quo nam modo cælestes honores usurparet, cepit agitare. Iouis filium non dici tantum se, sed etiam credi uolebat, tanquam perinde animis imperare posset, ac linguis. Itaq; more Persarum Macedonas uenerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti perniciosæ adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes sæpius assentatio, quàm hostis euerit. Nec Macedonum hæc erat culpa: nemo enim illorum quicquam ex patrio more labare sustinuit: sed Græcorum, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. Agis quidam Argiuis pessimorum carminum post Chærilum conditor, & ex Cilicia Cleo, hic quidem non ingenij solum, sed etiam nationis uicio adulator, & cætera urbium suarum purgamenta, quæ propinquis etiam, maximorumq; exercituum ducibus à rege præferbantur: hitum cælum illi aperiebant, Herculemq; & patrem Liberum, & cum Polluce Castorem nouo numini cessuros esse iactabant. Igitur festo die omni opulentia conuiuium exornari iubet, cui non Macedones modo & Græci principes amicorum, sed etiam nobiles adhiberentur. Cum quibus cum discubisset rex, paulisper epulatus conuiuio egreditur.*

Cleo

Cleo, sicut præparauerat, sermonem cum admiratione laudum eius instituit. Merita deinde percussit, quibus uno modo referri gratia posset, si quem intelligerent deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi. Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: maiestatem enim imperij, salutis esse tutelam. Nec Herculem quidem & patrem Liberum prius dicatos deos, quam uicissent secum uiuentium inuidiam. Tantundem quoque posteros credere, quantum præsens ætas spopodisset. Quod si cæteri dubitent, semetipsum, cum rex inisset conuiuium, prostraturum humi corpus. Debere idem facere cæteros, & in primis sapientia præditos. Ab illis enim cultus in regem esse prodendum exemplum. Haud perplexè in Calisthenem dirigebatur oratio. Grauitas uiri & prompta libertas inuisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur. Is tum silentio factò, unum illum intuentibus cæteris, Si rex, inquit, sermoni tuo affuisset, nullius profectò uox responsuri tibi desideraretur. Ipse enim peteret, ne in peregrinos ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissimè gestis, inuidiam tali adulatione cõtraheres. Sed quoniam abest, Ego tibi pro illo respondeo, Nullum esse eundem & diuturnum, & præcoecem fructum: cælestesque honores non dare te regi, sed auferre. Interuallo enim opus est, ut credatur deus: semper que hanc gratiam magnis uiris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor regi, ut uita diuturna sit, & æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur diuinitas. Herculem modo & patrem Liberum consecrata immortalitatis exempla referebas. Credis ne illos unius conuiuij decreto deos factos? Prius ab oculis mortaliū antolita natura est, quam in cælum fama perueheret.

Scilicet

Scilicet ego & tu Cleo deos facimus? A nobis diuinitatis suæ autoritatem accepturus est rex? Potentiam tuam experiri libet. Fac aliquem regem. Si deum potes facere: facilius est imperium dare, quàm cœlum. Dij propitij sine inuidia, quæ Cleo dixit, audierint: eodemq; cursu, quo fluxere res, ire patiantur. Nostris moribus uelint nos esse contentos. Non pudet patriæ, nec desidero, ad quem modum rex mihi colendus sit, discere. Quos equidem uictores esse confiteor, si ab illis leges, queis uiuamus, accipimus. Aequis auribus Calisthenes ueluti uindex publicæ libertatis audiebatur. Expresserat non assensionem modo, sed etiam uocem, seniorum præcipuè, quibus grauis erat inueterati moris externa mutatio. Nec quicquam eorum, quæ inuicem iactata erant, rex ignorabat, quum post aulcam, quæ lectos obduxerat, staret. Igitur ad Agim & Cleonem misit, ut, sermone finito, Barbaros tantum, cum intrasset, procumbere suo more paterentur. Et paulò post, quasi potiora quædam egisset, conuiuium repetit. Quem uenerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat super regem, unum ex his mento cõtinentem humum, per ludibriũ coepit hortari, ut uehementius id quateret ad terram: elicitq; iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaq; rex, Tu autẽ, inquit, non ueneraberis me? An tibi uni digni uidemur esse ludibrio? Ille nec regem ludibrio, nec se contemptu dignum esse respõdit. Tum detractum eum lecto rex præcipitat in terram. Et cum is pronus corruisset, Vides ne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paulò antè ridebas? Et tradi eo in custodiam iusso, conuiuium soluit. Polyperconti quidem postea castigato diu ignouit. In Calisthenem olim contumacia suspectum, peruicacioris iræ fuit, cuius explende matura obuenit occasio. Mos erat (ut suprà dictum est) principi-

bus



*bus Macedonum, adultos liberos regibus tradere ad munia haud multum seruilibus ministerijs abhorrētia. Excubabant seruatis noctiū vicibus proximi foribus ædis, in qua rex acquiescebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quàm quem armati obsidebant. Iidē acceptos ab agasonibus equos, cū rex ascensurus esset, admouebant, comitabanturq; & uenantem, & in prælijs, omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quòd licebat sedentibus uesci cum rege. Castigandi uerberibus eos nullius potestas præter ipsum erat. Hæc cohors uelut seminarium ducum præfectorumq; apud Macedonas fuit. Hinc habuere posteri reges, quorum stirpi per multas ætates Romani opes ademerunt. Igitur Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte cū aprum telo occupasset, quem rex ferire destinauerat, iussu eius uerberibus affectus est. Quam ignominiam ægre ferens, deslere apud Sostratū cepit. Ex eadem cohorte erat Sostratus amore eius ardens: qui cū laceratum corpus, in quod deperibat, intueretur, forsitan olim ob aliam quoq; causam regi infestus, iuuenem sua sponte iam motum, data fide acceptaq; perpulit, ut occidendi regem consilium secum iniret. Nec puerili impetu rem exsecuti sunt: quippe solerter, quos in societatem sceleris asciscerent, Nicostratum, Antipatrū, Asclepiodorumq;, & Philotam placuit assumi. Per hos adiecti sunt Anticles, & Epimenes. Cæterum agendæ rei haud sanè facilis patebat uia. Opus erat eadem omnes coniuratos nocte excubare, ne ab expertibus consilij impedirentur. fortè autem alius alia nocte excubabat. Itaque in permutandis stationum uicibus, cæteroq; apparatu exsequendæ rei, triginta & duo dies absumpti sunt. Aderat nox, qua coniurati excubare debebant, mutua fide leti, cuius documentum tot dies fuerant.*

rant. Neminem metus spes ue mutauerat. Tanta omnibus uel in regem ira, uel fides inter ipsos fuit. Stabant igitur ad fores ædis eius, in qua rex uescebatur, ut conuiuio egressum in cubiculum deducerent. Sed fortuna ipsius, simulq; epulantium comitas prouexit omnes ad largius unum. ludi etiam coniuuales extraxere tempus, nunc latis coniuuatis, quòd sopitum aggressuri essent: nunc sollicitis, ne in lucem conuiuium extraheretur: quippe alios in stationem oportebat prima luce succedere, ipsorum post septem dies reditura uice. Nec sperare poterant, in illud tempus omnibus duraturam fidem. Caterum cum iam lux appeteret, & conuiuium soluitur, & coniuurati exceperunt regem, leti, occasionem exsequendi sceleris admotam, cum mulier attonitæ (ut creditum est) mentis conuersari in regia solita, quia instinctu uidebatur futura prædicere, non occurrit modo abeunti, sed etiam semet obiecit: uultuq; & oculis motum præferens animi, ut rediret in conuiuium, monuit: & ille per ludum, Bene deos suadere, respondit: reuocatisq; amicis, in horam diei fermè secundam conuiuij tempus extraxit. Iam alij ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubaturi. Adhuc tamen coniuurati stabant, uice officij sui expleta. Adeò pertinax spes est, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiscentiæ deuouerunt. Rex benignius quàm aliàs allocutus, discedere eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte perstitissent, iubet. Data sunt singulis quinquaginta sestertia: collaudatiq; quod etiam alij tradita uice, tamen excubare perseuerassent. Illi tanta spe destituti, domos abeunt. & ceteri quidem expectabant stationis suæ noctem: Epimenes, siue comitate regis, qua ipsum inter coniuuratos exceperat, repente mutatus, siue quia cœptis deos obstare credebat, fratri suo

Eurilochus, quem antea experte esse consilij uoluerat, quid pararetur, aperit. Omnibus Philotæ supplicium in oculis erat. Itaque protinus iniicit fratri manum, & in regiam peruenit: excitatisque custodibus corporis, ad salutem regis pertinere quæ afferret, affirmat. Et tempus, quo uenerant, & uulnus haud sane securi animi index, & moestitia e duobus alterius, Ptolemæum ac Leonatum excubantes ad cubiculi limen excitauerunt. Itaque, apertis foribus, & lumine illato, sopitum mero ac somno excitant regem. Ille paulatim mente collecta, quid afferrent, interrogat. Nec cunctatus Eurilochus, non ex toto domum suam auersari deos dixit, quia frater ipsius, quanquam impium facinus ausus foret, tamen & poenitentiam eius ageret, & per se potissimum profiteretur indicium, in eam ipsam noctem, quæ decederet, insidias comparatas fuisse: authores scelesti consilij esse, quos minime crederet rex. Tum Epimenes cuncta ordine, consistorumque nomina exponit. Calisthenem non ut participem facinoris nominatum esse constabat, sed solitum puerorum sermonibus uituperantium criminantiumque regem faciles aures præbere. Quidam adiiciunt, cum Hermolaus apud eum quoque uerberatum se à rege quæreretur, dixisse Calisthenem, meminisse debere eos iam uiros esse: idque an ad consolandam patientiam uerberum, an ad incitandum iuuenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse. Rex animi corporisque sopore discusso, cum tanti periculi, quo euaserat, imago oculis oberraret, Eurilochum quinquaginta talentis & cuiusdam Tyridatis opulentis bonis donat protinus: fratremque, antequam pro salute eius precaretur, restituit. Sceleris autem authores, interque eos Calisthenem, uinctos asseruari iubet: quibus in regiam adductis, toto die & nocte proxima mero ac uigilijs grauis ac quieuit. Postero autem die

die frequens consilium adhibuit, cui patres propinpinquiq;  
 eorū, de quibus agebatur, intererant, ne de sua quidē salu-  
 te securi: quippe Macedonū more perire debebant, omnium  
 deuotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. Rex in-  
 troducti coniuratos, præter Calisthenem, iussit, atq; quæ  
 agitauerant, sine cunctatione confessi sunt. Increpantibus  
 deinde uniuersis eos: ipse rex, quo suo merito tantum in se-  
 met cogitassent facinus, interrogat. Stupentibus cæteris  
 Hermolaus, Nos uerò, inquit, quoniam quasi nescias quæ-  
 ris, occidendi te consilium iniuimus, quia non ut ingenuis  
 imperare cœpisti, sed quasi in mancipia dominaris. Primus  
 ex omnibus pater ipsius Sopolis parricidam etiam parentis  
 sui clamitans esse, consurgit, & ad os manu obiecta, sce-  
 lere & malis insanientem ultra negat audiendum. Rex,  
 inhibito patre, dicere Hermolaum iubet, quæ ex magistro  
 didicisset Calisthene. & Hermolaus, Vtor, inquit, benefi-  
 cio tuo, & dico quæ nostris malis didici. Quota pars Ma-  
 cedonum scuitiæ tuæ superest? Quotus quisq; non è uilissi-  
 mo sanguine? Attalus, & Philotas, & Parmenio, & Lyn-  
 cestes Alexander, & Clytus, quantum ad hostes pertinet,  
 uiuunt, stant in acie, te clypeis suis protegunt, & pro glo-  
 ria tua, pro uictoria uulnera accipiunt: quibus egregiam  
 gratiam retulisti. Alius mensam tuam sanguine suo asper-  
 sit. Alius ne simplici quidem morte defunctus est. Duces  
 exercituum tuorum in eculeum impositi, Persis, quos uice-  
 rant, suere spectaculo. Parmenio indicta causa trucidat-  
 us est, per quem Attalum occideras. Inuicem enim misero-  
 rum uteris manibus ad expetenda supplicia. Et quos paulò  
 antè ministros cædis habuisti, subito ab alijs iubes trucidari.  
 Obstrepunt subinde cuncti Hermolao. Pater supremum  
 strinxerat ferrum, percussurus haud dubie, ni inhibitus es-

set à rege: quippe Hermolaum dicere iussit: petijtq; , ut causas supplicij audenter audirent. Aegre ergo coërcitis, rursus Hermolaus, Quàm liberaliter, inquit, pueris rudibus ad dicendum agere permittis: & Calisthenis uox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confessi audiuntur? Nempe quia liberam uocem innocentis audire metuis. Ac ne uultu quidem pateris. Atqui nihil eum fecisse contendo. Sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitauerunt. Nemo est, qui confesum fuisse nobis Calisthenem dicat, quum morti olim destinatus sit à iustissimo & patientissimo rege. Hæc ergo sunt Macedonũ præmia, quorũ ut superuacuo & sordido abuteris sanguine. At tibi triginta millia mulorum captiuum aurum uehant, cum milites nihil domũ præter gratuitas cicatrices relaturi sint. Quæ tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, & nouo more uictores sub iugum mitteres. Persarum te uestis & disciplina delectat: patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere uoluimus: & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedonas uoluisti genua tibi ponere, uenerariq; te ut deum. Tu Philippum patrem auersaris, & si quis deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris, si liberi homines superbiam tuam ferre non possunt? Quid speramus ex te, quibus aut insontibus moriendum est, aut, quod tristius morte est, in seruitute uiuendum? Tu quidem si emendari potes, multum mihi debes. Ex me enim scire coepisti, quod ingenui homines ferre non possunt. De cætero parce, quorum orbam senectutẽ supplicij ne oneraueris. Nos iube duci, ut quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra. hæc Hermolaus. At rex, Quàm falsa sint, inquit, quæ iste tradita à magistro

magistro suo, dixit, patientia mea ostendet. Confessum enim  
 ultimum facinus, tamen ut vos quoq; non solum ipse, audi-  
 retis, expressi, non imprudens, cum permissem huic latro-  
 ni dicere, usurum cum rabie, qua compulsus est, ut me, quem  
 parentis loco colere debet, uellet occidere. Nuper cum pro-  
 cacijs se in uenatione gessisset, more patrio, & ab antiquis-  
 simis Macedoniae regibus usurpato, cum castigari iussi.  
 Hoc & oportet fieri, & ut à tutoribus pupilli, à maritis  
 uxores, seruis quoq; huius pucros ætatis uerberare conce-  
 dimus. Hæc est sæuitia in ipsum mea, quam impia cæde uo-  
 luit ulcisci. Nam in ceteros, qui mihi permittunt uti inge-  
 nio meo, quam mitis sim, non ignoratis: commemorare su-  
 peruacuum est. Hermolao parricidarum supplicia non pro-  
 bari, cum eadē ipse meruerit, minimè hercule admiror. Nā  
 cum Parmenionem & Philotam laudat, suæ seruit cause.  
 Lyncestem uerò Alexandrum bis insidiatum capiti meo, à  
 duobus indicibus liberavi. Rursus conuictum, per biennium  
 tamen distuli, donec uos postularetis, ut tandem debito sup-  
 plicio scelus lueret. Attalum, antequam rex essem, hostem  
 meo capiti fuisse meministis. Clytus utinam non coëgisset  
 me sibi irasci: cuius temerariam linguam probra dicentem  
 mihi & uobis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tu-  
 lisset. Regum ducumq; clementia non in ipsorum modo,  
 sed etiam in illorum, qui parent, ingenijs sita est. Obsequio  
 mitigantur imperia. Vbi uerò reuerentia excessit animis,  
 & summa imis confundimus, ui opus est ut uim repella-  
 mus. Sed quid ego mirer istum crudelitatem mihi obiecisse,  
 qui auaritiam exprobrare ausus sit? Nolo singulos uestrum  
 excitare, ne inuisam liberalitatem meam faciam, si pudori  
 uestro grauem fecero. Totum exercitum aspiciate: qui pau-  
 lō ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat

lectis Mensas auro onerant, greges seruorū ducunt, spolia de hostibus sustinere non possunt. At enim Persæ, quos uicimus, in magno honore sunt. Apud me quidem. Moderationis meæ certissimum indicium est, quod ne uictis quidem superbè impero. Veni enim in Asiam, non ut funditus euerterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem: sed ut illos quoq; quos bello subegissem, uictorie meæ non poeniteret. Itaque militant uobiscum, pro imperio uestro sanguinem fundunt, qui superbè habiti rebellassent. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire uolumus, cum his communicanda est nostra clementia. horum fides stabile & æternum faciet imperium. & sanè plus habemus, quàm cupimus. Insatiabilis autem auaritiæ est, adhuc implere uelle, quod iam circumfluit. Veruntamen eorum mores in Macedonas transfundo. In multis enim gentibus esse uideo, quæ non erubescamus imitari: nec aliter tantum imperium aptè regi potest, quàm ut quædam & tradamus illis, & ab iisdem discamus. Illud penè dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat à me, ut auersarer Iouem, cuius oraculo agnoscor. An etiam quid dii respondeant, in mea potestate est? Obtulit nomen filij mihi: recipere, ipsis rebus quas agimus, haud alienum fuit. Utinam Indi quoq; deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sepe etiam quod falsò creditum est, ueri uicem obtinuit. An me luxuriæ indulgentem putatis arma uestra auro argentoq; adornasse? Assuetis nihil uilius hac uideri materia uolui ostendere: Macedonas iniectos cæteris, nec auro quidē uinci. Oculos ergo primum eorum sordida omnia & humilia spectantium capiam: & docebo, nos non auri aut argenti cupidos, sed orbem

hem terrarum subacturos uenisse. quam gloriam tu parricida intercipere uoluisti, & Macedonas, rege adempto deuictis gentibus dedere. At nunc mones me, ut uestris parentibus parcam. Non oportebat quidem uos scire, quid de his statuissem, quo tristiores periretis, si qua uobis parentum memoria & cura est: sed olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parētesq; solui: & profiteor, in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. Nam tuum Calisthenē, cui uni uir uideris, quia latro es, scio cur produci uelis, ut coram his probra, quæ modo in me iccisti, modo audisti, illius quoq; ore referantur. Quem si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrū. Nunc Olynthio non idem iuris est. Post hæc concilium dimisit, tradiq; damnatos hominibus, qui ex eadē cohorte erant, iussit. Illi ut fidem suam seuitia regi approbarēt, excruciatos necauerūt. Calisthenes quoq; tortus interiit, initi consilij in caput regis innoxius: sed haud quaquam aule & assentantium accommodatus ingenio. Itaque nullius cædes maiore apud Græcos Alexandro excitauit inuidiam, quam quod præditū optimis moribus artibusq; à quo reuocatus ad uitam erat, cum interfecto Clyto mori perscueraret, non tantū occiderit, sed etiā torserit, indicta quidē causa. Quæ crudelitatem sera poenitentia consecuta est. Sed ne otium serendis rumoribus natum aleret, in Indiam mouit, semper bello quàm post uictoriam clarior. India tota firmè spectat Orientem, minus in latitudinem, quàm recta regione spaciosa, quæ Austrū accipiunt, in alius terra fastigium excedunt, plana sunt cætera multisq; inclytis annibus Caucaso monte ortis placidum per campos iter præbent. Indus gelidior est, quàm ceteri. Aquas uehit à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu fluius exi-



mius, à meridiana regione decurrit, & magnorū montium iuga recto alueo stringit. In eum obiectæ rupes inclinant ad Orientē. Vtq; rubro mari accipitur findens ripas, multas arbores cū magna soli parte exsorbet. Saxis quoq; impeditur, quibus crebro reuerberatur. Vbi mollius solum reperit, stagnat, infulasq; molitur. Acesines eum auget. Ganges decursurum in mare intercipit: magnoq; motu amnis uterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti obijcit, nec repercussæ aquæ cedunt. Diardenes minus ce- leber auditu est: quia per ultima Indiæ currit. Cæterum nō Crocodilos modò, uti Nilus, sed etiam delphines, ignotasq; alijs gentibus beluas alit. Erimanthus crebris flexibus sub- inde curuatus, ab accolis rigantibus carpitur. Ea causa est, cur tenues reliquias iam sine nomine in mare emittat. Mul- tis præter hos annibus tota regio diuiditur, sed ignobili- bus: quia nō adeo interfluunt. Cæterum quæ propiora sunt mari, Aquilones maxime deurrunt. Ii cohibiti iugis montiū, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mites. Sed adeo in illa plaga mundus statutas temporū uices mutat, ut cū alia feruore solis exæstuant, Indiā niues obruant: rur- susq; ubi cætera rigent, illic intolerādus æstus existat: nec cur, ulli se natura causa ingessit. Mare certè quo alluitur, ne colore quidē abhorret à cæteris. Ab Erythro rege indi- tum est nomē, propter quod ignari rubere aquas credunt. Terra lini ferax: inde plerisq; sunt uestes. Libri arborū te- neri, haud secus quàm ceræ, literarū notæ capiunt. Aues ad imitandum humanæ uocis sonum dociles sunt. Animalia inuisitata cæteris gētibus, nisi inuecta. Eadem terra et Rhi- noceratas alit, non generat. Elephantorum maior est uis, quàm quos in Africa domitāt: & uiribus magnitudine respon- det. Aurū flumina uehunt, quæ leni modicoq; lapsu segnes

aquas ducūt. Gemmas margaritasq; mare littoribus infundit : neq; alia illis maior opulentiae causa est, utiq; posteaquam uitiorum commercium uulgauere in exteras gentes : quippe aestimantur purgamenta aestuantis freti pretio, quod libido constituit. Ingenia hominum, sicut ubiq; apud illos quoq; locorum situs format. Corpora usq; pedes carbasa uelant. Soleis pedes, capita, linteis uinciunt. Lapilli ex auribus pendent, brachia quoque & lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt saepius quam tondent. Mentum semper intonsum est. Reliquam oris cutem ad speciem leuitatis exequant. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, super omnium gentium uitia. Cum Rex sanè in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt, totumq; iter, per quod ferri destinauit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. Distincta sunt auro & purpura carbasa, quae indutus est. Lecticam sequuntur armati, corporisq; custodes. Inter quos ramis aues pendent, quas cantu serijs rebus obstrepere docuerunt. Regia auratas columnas habet. totas eas uitis auro caelata percurrit : auiumq;, quarum uisu maxime gaudent, argenteae effigies opera distingunt. Regia aduentibus patet. Cum capillum pectit atque ornat, tunc responsa legationibus, tunc iura popularibus reddit. Dempstis soleis, odoribus illinunt pedes. Venatus maximus labor est, inclusa uiuario animalia inter uota cantusq; pellicum fingere. Binorum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt maiore nixu, quam effectu : quippe telum, cuius in leuitate uis omnis est, instabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio est, Elephanti uehunt currum : & tantarum beluarum corpora tota con-

tegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis an-  
 reis pellicum longus ordo sequitur. Separatū aliud reginæ  
 ordine agmen est, æquatq; luxuria. Fœminæ epulas parant.  
 Ab iisdem vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus  
 est usus. Regem mero somnoq; sopitum, in cubiculum pellic-  
 ces referunt, patrio carmine noctium inuocantes Deos.  
 Quis credat, inter hæc uitia curam esse sapientiæ? Vnum  
 agreste & horridum genus est, quos Sapientes uocant.  
 Apud hos occupare fati diem, pulchrum: & uiuos se cre-  
 mari iubent. Quibus aut segnis ætas, aut incommoda uale-  
 tudo est, expectatam mortem pro dedecore uitæ habent.  
 Nec ullus corporibus, quæ senectus soluit, honos redditur.  
 Inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. Illi qui  
 in urbibus publicis moribus degunt, syderum motus scite  
 spectare dicuntur, & futura prædicere. Nec quenquam ad-  
 mouere lethi diem credunt, cui expectare interrito liceat.  
 Deos putant, quicquid colere cœperunt, arbores maxime,  
 quas uolare capitale est. Menses in quinos denos descripse-  
 runt dies. Anni plena spacia seruantur. Lunæ cursu notant  
 tempora, nō ut pleriq; cum orbem sydus impleuit, sed cum  
 se curuare cœpit in cornua: & idcirco breuiores habent  
 menses, qui spacium eorum ad hunc lunæ modum dirigunt.  
 Multa & alia traduntur, quibus morari ordinem rerum  
 haud sanè operæpretium uidebatur. Igitur Alexandro fi-  
 nes Indiæ ingresso, gentium suarum reguli occurrerunt,  
 imperata facturi, illum tertium Ioue genitum ad ipsos per-  
 uenisse memorantes. Patrē Liberum, atq; Herculem, famæ  
 cognitos esse: ipsum coram adesse, cerniq;. Rex benigne ex-  
 ceptos sequi iussit, iisdem itinerum ducibus usus. Cæterum  
 cum n amplius nemo occurreret, Ephestionem & Perdiccam  
 cum copiariū parte præmisit, ad subigendos qui auersaren-  
 tur

*tur imperium: iussitq; ad flumen Indum procedere, & nauigia facere, quæ in ulteriora transportari posset exercitus. Illi quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naues, ut solutæ plaustris uehi possent, rursusq; coniungi. Post se Cratero cum phalange iusso sequi, equitatum ac leuem armaturam eduxit: eosq; qui occurrerant, leui prælio in urbem proximam compulit. Iam superuenerat Craterus. Itaq; ut principio terrorem incuteret genti nondum arma Macedonum expertæ, præcipit, ne cui parceretur, munimentis urbis, quam obsidebat, incensis. Cæterum dum obequitabat mœnibus, sagitta ictus est. Cepit tamen oppidum, & omnibus incolis eius trucidatis, etiam in tecta sæuitum est. Inde domita ignobili gente, ad Nysam urbem peruenit. Fortè castris ante mœnia ipsa in syluestri loco positis, nocturnum frigus uehementius, quàm aliàs horrore corpora affecit, opportunumq; remediũ ignis oblatum est. Cæsis quippe syluis flammam excitauerunt: quæ igni alita, oppidanorum sepulchra comprehendit. Vetusta cedro facta erant, conceptumq; ignem latè fudere, donec omnia solo æquata sunt. Et ex urbe primion canum latratus, deinde etiam hominũ fremitus auditus est. Tum & oppidani hostem, & Macedones ipsos ad urbem uenisse cognoscunt. Iamq; Rex eduxerat copias, mœnia obsidebat, cum hostium, qui discrimen tentauerant, obruti telis sunt. Alijs ergo deditionem, alijs pugnam experiri placebat: quorum dubitatione comperta, circumsideri tantum eos, & abstinere cædibus iussit: tandemq; obsidionis malis fatigati, dedidere se. A Libero patre conditos se esse dicebant, & uera hæc origo erat. Sita est sub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Iouis fœminæ Liberum patrem esse celatũ. Rex situ montis*

montis cognito ex incolis, cum toto exercitu, præmissis  
 comneatibus, uerticem eius ascendit. Multa hedera uitisq;  
 toto gignitur monte. Multæ perennes aquæ manant. Po-  
 morum quoq; uarij salubresq; succi sunt, sua sponte fortui-  
 torum seminum fruges humo nutriente. Lauri, baccaq;  
 & multa in illis rupibus agrestis est sylua. Credo equidem  
 non diuino instinctu, sed lasciuia esse prouectos, ut passim  
 hederæ ac uitium folia decerperent, redimitiq; fronde toto  
 nemore similes bacchantibus uagarentur. Vocibus ergo  
 tot millium præsidem nemoris eius Deum adorantium, iu-  
 ga montis collesq; resonabant, cum orta licentia à paucis  
 (ut ferè fit) in omnes se repente uulgasset: quippe uelut in  
 media pace, per herbas congestamq; frondem prostrau-  
 rant corpora. Et Rex fortuitam licentiam non auersatus,  
 largè ad epulas omnibus præbitis, per decem dies Libero  
 patri operatum habuit exercitum. Quis neget eximiam  
 quoq; gloriam sæpius fortunæ, quàm uirtutis esse benefi-  
 cium: quippe ne epulantes quidem & sopitos mero aggre-  
 di ausus est hostis, haud secus bacchantium ciulantiumq;  
 fremitu perterritus, quàm si præliantium clamor esset au-  
 ditus. Eadem felicitas ab Oceano reuertentes temulentos  
 comessantesq; inter ora hostium texit. Hinc ad regionem,  
 quæ Dædala uocatur, peruentum est. Deseruerant incolæ  
 sedes, & in auios syluestresq; montes confugerant. Ergo  
 Acadera transit, equè uicta & destituta incolentium fuga.  
 Itaq; rationem belli necessitas mutauit. Diuisis enim co-  
 pijs, pluribus simul locis arma ostendit: oppressiq; urbe,  
 qui expectauerant hostem, omni clade perdomiti sunt. Pto-  
 lemæus plurimas urbes, Alexander maximas cepit: rur-  
 susq; quas distribuerat copias iūxit. Superato deinde Cho-  
 aspe anne, Cœnon in obsidione urbis opulentæ (Beziran  
 incolæ

incolæ uocant) reliquit. Ipse ad Mazagas uenit, nuper As-  
 facano (cuius regnum fuerat) demortuo. Regioni quoq; ur-  
 biq; præerat mater eius Cleophes. Triginta millia pedi-  
 tum tuebantur urbem, non situ solum, sed etiam opere mu-  
 nitam. Nam quæ spectat Orientem, cingitur anne torrenti,  
 qui præruptis utrinq; rupibus aditum ad urbem impedit.  
 Ab Occidente & à Meridie uelut de industria rupes præ-  
 altas admolita natura est. Infra quas cauernæ & uoragi-  
 nes longa uetustate in altum cauatæ iacent. Quæq; desi-  
 nunt, fossa ingentis operis obiecta est. xxxv. stadia mu-  
 rus urbem complectitur, cuius inferiora saxo, superiora  
 crudo latere sunt structa. Lateri uinculum lapides sunt,  
 quos interposuere, ut duriori materiæ fragilis incumbere-  
 ret: simulq; terra humore diluta, ne tamen uniuersa consi-  
 deret, interpositæ erant trabes ualidæ, quibus iniecta tabu-  
 lata muros & tegebant, & peruios fecerant. Hæc mun-  
 imenta contemplantem Alexandrum, consilijq; incertum  
 (quia nec cauernas, nisi aggere, poterat implere, nec tor-  
 menta aliter muris admouere) quidam è muro sagitta per-  
 cussit. Tum fortè in suram incidit telum, cuius spiculo euul-  
 so, admoueri equum iussit: quo uectus, ne obligato quidem  
 uulnere, haud segnius destinata exsequebatur. Cæterum  
 cion crus saucium penderet, & cruore siccato frigesceus  
 uulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur, Se quidem Io-  
 uis filium dici, sed corporis ægri uitia sentire. Non tamen  
 ante se recepit in castra, quam cuncta prospexit, & quæ  
 fieri uellet, edixit. Ergo, sicut imperatum erat, alij extra  
 urbem tecta demoliebantur, ingentemq; uim materiæ fa-  
 ciendo aggeri detrahebant: alij magnarum arborum sti-  
 pites cumulis, ac moles saxorum in cauernas deiciebant.  
 Iamq; agger æquauerat summæ fastigium terræ. Itaq; tur-  
 res

res erigebantur, quæ opera ingenti militum ardore intra nonum diem absoluta sunt. Ad ea uisenda Rex, nondum obducta uulneri cicatrice, processit: laudatisq; militibus: admoueri machinas iussit, è quibus ingens uis telorum in propugnatores effusa est. præcipuè rudes talium operum terrebant mobiles turres: tantasq; moles nulla ope, quæ cer neretur, adductas, Deorum numine agi credebant. Pila quoq; muralia, excussas tormentis prægrauas hastas, nega bant conuenire mortalibus. Ita q; desperata urbis tutela, cō- cessere in arcem. Inde, quia nihil obseſis præter deditio- nem placebat, legati ad Regem descenderunt ueniam pe- tituri. Qua impetrata, regina cum misigno nobilium foe- minarum grege aureis pateris uina libantium processit. Ipsa genibus Regis paruo filio admoto, non ueniam mo- dō, sed etiam pristinae fortunæ impetrauit decus: quippe appellata regina est: & credidere quidā, plus formæ quàm miserationi datum. Puerο quoq; certè postea ex ea utcuq; genito, Alexandro fuit nomen. Hinc Polypercon ad urbem Oram cum exercitu missus, inconditos oppidanos prælio uicit: intra munimenta compulſos secutus, urbem in dedi- tionem redegit. Multa ignobilia oppida deserta à suis ue- nere in Regis potestatem. Quorum incolæ armati petram Aornum nomine occupauerunt, hanc ab Hercule frustra obsessam esse, terræq; motu coactum absistere, fama uulga uerat. Inopem consilij Alexandrum, quia undiq; præceps & abrupta rupes erat, senior quidam peritus locorum cum duobus filijs adiit, si pretium operæ esset, aditum se monstraturum esse promittens. Octoginta talenta consti- tuit daturum Alexander, & altero ex iuuenibus obside re- tento, ipsum ad exequenda, quæ obtulerat, dimisit. Leuiter armatis Dux datus est Mullinus scriba Regis. Hos enim

circuitu, qui fallerent hostem, in summum iugum placebat  
 euadere. Petra non ut pleræq; modicis ac mollibus cliuis  
 in sublime fastigium crescit, sed in metæ maximè modum  
 erecta est: cuius ima spaciosiora sunt, altiora in arctius co-  
 ãunt, summa in acutum cacumen exsurgunt. Radices eius  
 Indus annis subit præaltus utrinq; asperis ripis. Ab altera  
 parte uoragines eluuiæq; præruptæ sunt: nec alia expu-  
 gnandi patebat uia, quàm ut replerentur. Ad manum sylua  
 erat, quam Rex ita cædi iussit, ut nudi stipites iacerentur:  
 quippe rami fronde uestiti impedissent ferentes. Ipse pri-  
 mus truncam arborem iccit, clamorq; exercitus index ala-  
 critatis secutus est, nullo detrectante murus, quod Rex oc-  
 cupasset. Intra septimum diem cauernas expleuerant, cum  
 Rex sagittarios & Agrianos iubet per ardua niti: iuue-  
 nēsq; promptissimos ex sua cohorte triginta delegit. Du-  
 ces his dati sunt Charus & Alexander, quem Rex nomi-  
 nis, quod sibi cum eo commune esset, admonuit. Ac primò,  
 quia tam manifestum periculum erat, ipsum Regem discrimen  
 subire non placuit. Sed ut signum tuba datum est, uir  
 audaciæ promptæ conuersus ad corporis custodes, sequi  
 se iubet, primusq; inuadit in rupem. Nec deinde quisquam  
 Macedonum substitit: relictisq; stationibus, sua sponte Re-  
 gem sequebantur. Multorum miserabilis fuit casus, quos  
 ex prærupta rupe lapsos annis præterfluens hausit. Tri-  
 ste spectaculum etiam non periclitantibus: cum uerò alieno  
 exitio, quid ipsis timendum foret, admonerentur, in metum  
 misericordia uersa, non extinctos, sed semetipsos defle-  
 bant. Et iam eò peruentum erat, unde sine pernicie nisi ui-  
 ctiores redire non possent, ingentia saxa in subeuntes pro-  
 uoluentibus Barbaris: qui perculsi instabili & lubrico  
 gradu præcipientes recidebant. Euaserat tamen Alexan-  
 der



der & Charus, quos cum triginta delectis præmiserat Rex, & iam pugnare cominus cœperant. Sed cum supernè tela Barbari ingererent, sæpius ipsi feriebantur, quàm uulnerabant. Ergo Alexander, & nominis sui, & promissi memor, dum acrius quàm cautius dimicat, confossus undiq; obruitur. Quem ut Charus iacentem respexit, ruerè in hostem, omnium præter ultionem immemor, cœpit: multosq; hasta, quosdam gladio interemit. Sed cum tot unum incesserent manus, super amici corpus procubuit exanimis. Haud secus, quàm par erat, promptissimorum iuuenum cæterorumq; militum interitu commotus Rex, signum receptui dedit. Saluti fuit, quòd sensim & intrepidi se receperunt. Et Barbari hostem depulisse contenti, non institere cedentibus. Cæterum Alexander cum statuisset desistere incepto, quippe nulla spes potiunde petre offerrebat, tamen speciem ostendit in obsidione perseuerantis. Nam & itinera obsideri iussit, & turres admoueri, & fatigatis alios succedere. Cuius pertinacia cognita, Indi per biduum quidem ac duas noctes cum ostentatione non fiducia modo, sed etiam uictoriæ, epulati sunt, tympana suo more pulsantes. Tertia uerò nocte tympanorum quidem strepitus desierat audiri: cæterum ex tota petra faces resfulgebant, quas accenderant Barbari, ut tutior esset ipsis fuga obscura nocte per inuia saxa cursuris. Rex Balacro qui specularetur præmissis, cognoscit petram fuga Indorum esse desertam. Tum dato signo, ut uniuersi conclamarent, incompositè fugientibus metum incussit. multiq; (tanquam adesset hostis) per lubrica saxa, perq; inuias cotes præcipitati occiderunt. Plures aliqua membrorum parte mutilati, ab integris deserti sunt. Rex locorū magis quàm hostium uictor, tamen magnæ uictoriæ sacrificijs & cultu  
deum

dcum satis fecit. Aræ in petra locatæ sunt Mineræ Victo-  
 riæque. Ducibus itineris, quos subire iusserat leuiter arma-  
 tos, etsi promissis minora præstiterant, pretium cum fide  
 redditum est. Petræ, regionisq; ei adiunctæ, Sisocosto tu-  
 tela permissa. inde processit Ecbolima: & cum angustias  
 itineris obsideri uiginti millibus armatorum ab Eryce quo-  
 dam comperisset, grauius agmen exercitus Cæno ducendū  
 modicis itineribus tradidit. Ipse prægressus, funditore ac  
 sagittario deturbatis qui obsederant saltū, sequētibus se co-  
 pijs uiam fecit. Indi, siue odio ducis, siue gratiam uictoris  
 regis inuituri, Erycem fugientem adorti interemerunt, ca-  
 putq; eius atq; arma ad Alexandrum detulerunt. Ille factio  
 impunitatem dedit, honorem denegauit exēplo. Hinc ad flu-  
 men Indū sextis decimis castris peruenit, omniaq; (ut præ-  
 ceperat) ad traiiciēdum præparata ab Ephestione reperit.  
 Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat  
 autor dedendi regnum Alexandro. Et post mortem patris  
 legatos miserat, qui consulerēt eum, regnare se interim uel-  
 let, an priuatum opperiri eius aduentum? Permissusque ut  
 regnaret, non tamen ius datum usurpare sustinuit. Is beni-  
 gnè quidem exceperat Ephestionem, gratuitum frumen-  
 tum copijs eius admensus: non tamen ei occurrerat, ne fidē  
 ullius, nisi regis, experiretur. Itaque uenienti obuiam cum  
 armato exercitu egressus est. Elephanti quoq; per modica  
 interualla militum agmini immixti, procul castellorum se-  
 cerant speciem. Ac primo Alexander non socium, sed hos-  
 tem aduentare credebat. Iamq; & ipse arma milites cape-  
 re, & equites discedere in cornua iusserat, paratos ad pu-  
 gnam. At Indus, cognito Macedonum errore, iussis subsi-  
 sere cæteris, ipse concitat equum, quo uehebatur. Idem Ale-  
 xander quoque fecit: siue hostis, siue amicus occurreret, uel

sua uirtute, uel illius fide tutus. coiungere, quod ex utriusque uultu posset intelligi, amicis animis: ceterum sine interprete non poterat conseri sermo. Itaque adhibito eo, Barbarus occurrisse se dixit cum exercitu, totas imperij uires protinus traditurum, nec expectasse, dum per nuncios daretur fides. Corpus suum & regnum permittere illi, quem sciret gloriae militantem, nihil magis quam famam timere perfidiae. Letus simplicitate Barbari rex, & dextram fidei suae pignus dedit, & regnum restituit. L V I. elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaque pecora eximia magnitudinis: tauros ad tria millia pretiosum in ea regione, acceptumque animis regnantium armatum. Querenti Alexandro, plures agricultores haberet, an milites: cum duobus regibus bellanti sibi, maiore militum quam agrestium manu opus esse, respondit. Abiases & Porus erant. Sed in Poro eminebat autoritas. Vterque ultra Hydaspem annem regnabat, & belli fortunam, quisquis arma inferret, experiri decreuerat. Omphis, permittente Alexandro, et regium insigne sumpsit, & more gentis suae nomen, quod patris fuerat: Taxilem appellauere populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret. Ergo cum per triduum hospitaliter Alexandram accepisset: quarto die, & quantum frumenti copijs, quas Ephestion duxit, praebitum a se esset, ostendit: & aureas coronas ipsi amicisque omnibus, praeter haec signati argenti LXXX. talenta dono dedit. Qua benignitate eius Alexander mire letus, & quae is dederat, remisit, et mille talenta ex praeda, quam uehebat, adiecit, multaque conuiuialia ex auro & argento uasa, plurimum Persica uestis. xxx. equos ex suis, cum iisdem insignibus, quibus assueuerant cum ipsum ueherent. Quae liberalitas sicut Barbarum obstrinxerat, ita amicos ipsius uehementer offendit: e quibus

bus Meleager super coenam largiore uino usus, gratulari se Alexandro dixit, quòd saltem in India reperisset dignum talentis mille. Rex haud oblitus, quàm egre tulisset, quòd Clytum ob linguæ temeritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed dixit, Inuidos homines nihil aliud quàm ipsorum esse tormenta. Postero die legati Abiasaræ adire regem, omnia ditioni eius, ita ut mandatum erat, permitterebant, firmataq; inuicem fide, remittuntur ad regē. Porum quoq; nominis sui fama ratus ad deditiōnem posse compelli, misit ad eum Cleocharem, qui denuntiaret ei, ut stipendium penderet, & in primo finium suorum aditu occurreret regi. Porus, alterum ex his facturum sese respondit, ut intranti regnum suum præsto esset, sed armatus. Iam Hydaspem Alexander superare decreuerat, cum Barzentes defectionis Arachosij's autor uinctus, trigintaq; elephanti simul capti perducuntur, opportunum aduersus Indos auxilium. quippe plus in beluis, quàm in exercitu spei aut uirium illis erat. Gamaxusq; rex exiguæ partis Indorum, qui Barzenti se coniunxerat, uinctus adductus est. Igitur transfuga & regulo in custodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad annem Hydaspem peruenit. In cuius ulteriore ripa Porus confederat, transitu prohibiturus hostem. l x x x v. elephantos obiecerat eximio corporū robore. ultraq; eos currus ccc. & peditum xxx. ferè millia: in quibus erant sagittarij (sicuti ante dictum est) grauioribus telis quàm ut apte excuti possent. Ipsum uehebat elephantis super cæteras beluas eminent, armaq; auro & argento distincta corpus rare magnitudinis honestabant. Par animus robori corporis, & quanta inter rudes poterat esse sapiētia. Macedonas non conspectus hostium solū, sed etiam fluminis, quod trās-cundum erat, magnitudo terrebant. Quatuor in latitudinem

stadia diffusum, profundo alueo, & nusquam uada aperiente, speciem uasti maris fecerat. Nec pro spatio aquarum late stagnantium impetum coërcebat, sed quasi in arctū coëuntibus ripis, & torrens & elisus ferebatur, occulta que saxa inesse ostendebant pluribus locis undæ repercussæ. Terribilior erat facies ripæ, quàm equi uiri que compleuerant. Stabant ingentes uastorum corporum moles, & de industria iritate horrendo stridore auras fatigabant. Hinc hostis, hinc amnis, capacia quidem bonæ spei pectora, & sæpe se experta, improviso tamen pauore percusserant: quippe instabiles rates, nec dirigi ad ripam, nec tutò applicari posse credebant. Erant in medio amne insulæ crebræ, in quas & Indi & Macedones nantes, leuatis super capita armis, transibant. Ibi leuia prælia conserebant, & uterq; rex parue rei discrimine, summæ experiebatur euentum. Cæterum in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus & Nicanor, nobiles iuuenes, & perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi. Queis ducibus, promptissimi iuuenum lanceis modo armati tranauere in insulam, quam frequens hostis tenebat, multosq; Indorū nulla re magis quàm audacia armati interemerunt. Abire cum gloria poterant, si unquam temeritas felix inueniret modum. Sed dum superuenientes contemptim & superbè quoque expectant, circumuenti ab his, qui occulti enatauerant, eminus obruti telis sunt. Qui esugerant hostem, aut impetu amnis ablati sunt, aut uorticibus impliciti: eaq; pugna multum fiduciam Pori crexit, cuncta cernentis è ripa. Alexander inops consilij, tandem ad fallendum hostem talem dolum intendit: Erat insula in flumine amplior cæteris, syluestris eadem, & tegendis insidijs apta. Fossa quoq; præalta haud procul ripa, quam tenebat

nebat ipse, non pedites modo, sed etiam cum equis uiros poterat abscondere. Igitur ut à custodia huius opportunitatis oculos hostium auerteret, Ptolemæum cum omnibus turmis obequitare iussit procul insula, & subinde Indos clamore terrere, quasi flumen tranaturus foret. Per complures dies Ptolemæus id fecit: eoq; cōsilio Porum agmenq; suū ei par-  
 ti, quam se petere simulabat, coegit aduertere. Iam extra conspectum hostis insula erat: Alexander in diuersa parte ripæ statui suum tabernaculum iussit, assuetamq; comitari ipsum cohortē ante id tabernaculum stare, & omnē apparatus regię magnificētię hostiū oculis de industria ostē-  
 di. Attalum & æqualem sibi, & haud disparem habitu oris & corporis, utiq; cum procul uiseretur, ueste regia exornat, præbiturū speciē, ipsum regem illi ripæ præsidere, nec agitare de transitu. Huius consilij effectū primò morata tē-  
 pestas est, mox adiunxit, incommoda quoq; ad bonos euentus uertente fortuna. Traijcere amnem cum cæteris copijs in regionem insulæ ( de qua antè dictum est ) parabat, auerso hoste in eos, qui cum Ptolemæo inferiorem obsederant ri-  
 pam, cum procella imbrem uix sub tectis tolerabilem effudit: obrutiq; milites nymbo, in terram refugerunt, nauigijs ratibusq; desertis. Sed tumultuantium fremitus, obstrepentibus ripis, ab hoste non poterat audiri. Deinde momē-  
 to temporis repressus est imber. Cæterum adeò spissę intendere se nubes, ut conderent lucem, uixq; colloquentium inter ipsos facies noscitarctur. Terruisset alium obducta nox cœlo, cum ignoto amne nauigandum esset, forsitan ho-  
 ste eam ipsam ripam, quam cæci atq; improuidi, & ex periculo gloriam accersentes petebant, occupante: obscuri-  
 tatem, quę cæteros terrebat, suam occasionem ratus, dato signo ut omnes silentio ascenderent in rates, eam, qua ipse

uehebatur, primam inſit expelli. Vacua erat ab hoſtibus  
 ripa, quæ petebatur: quippe adhuc Porus Ptolemæum tan-  
 tum intuebatur. Vna ergo naui, quam petræ fluctus illi-  
 ſerat, hærente, cæteræ euadunt: armaq; capere milites, &  
 ire in ordinem inſit. Iamq; agmen in cornua diuiſum ipſe  
 ducebat, cum Poro nunciatur, armis uirisq; ripam obtine-  
 ri, & rerum adſeſſe diſcrimen. Ac primo humani ingenij  
 uicio ſpei ſuæ indulgens, Abiaſarem belli ſocium, & ita  
 conuenerat, aduentare credebat. Mox liquidiore luce ape-  
 riente hoſtem, centum quadrigas & quatuor millia equitum  
 uenienti agmini Porus obiecit. Dux erat copiarum, quas  
 præmiſit, Hages frater ipſius. Summa uirtutum in curribus.  
 ſenos uiros ſinguli uehebant, duos clypeatos, duos ſagit-  
 tarios ab utroque latere diſpoſitos: cæteri aurigæ erant  
 hæud ſanè inermes, quippe iacula complura, ubi coninus  
 præliandum erat, omiſſis habenis, in hoſtem ingerebant.  
 Cæterum uix ullus uſus huius auxiliij eo die fuit. Namq; (ut  
 ſuprà dictum eſt) imber uiolentius quàm aliàs fuſus, cam-  
 pos lubricos & inequitabiles fecerat: grauesq; & prope-  
 modum immobiles currus illuue & uoragine hærebant.  
 Contrà Alexander, expedito ac leui agmine ſtrenuè inue-  
 ſtus eſt. Scythæ & Dahæ primi omnium inuaſere Indos.  
 Perdiccam deinde cum equitibus in dexterum cornu ho-  
 ſtium emiſit. Iam undiq; pugna ſe mouerat, cum ij, qui cur-  
 rus agebant, illud ultimum auxilium ſuorum rati, effuſis  
 habenis in medium diſcrimen ruere cœperunt. Anceps id  
 malum utriſq; erat. Nam & Macedonũ pedites primo im-  
 petu obterebantur, & per lubrica atq; inuia immiſſi cur-  
 rus excutiebant eos à quibus regebantur. Aliorum turba-  
 ti equi, non in uoragines modò lacunaſq; ſed etiam in am-  
 nem præcipitauerunt curricula. Pauci tamen hoſtium exacti  
 penet

penetrare ad Porum acerrimè pugnam cientē. Is ut dissipatos tota acie currus uagari sine rectoribus uidit, proximis amicorum distribuit elephantos. Post eos posuerat pedites ac sagittarios, tympana pulsare solitos. Id pro cantu tubarum Indis erat, nec strepitu eorum mouebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. Herculis simulachrum agmini peditum præferebatur. Id maximum erat bellatibus incitamentū: & deseruisse gestantes, militare flagitium habebatur. Capitis etiam sanxerant pœnam ijs, qui ex acie nō retulissent, metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem uenerationemque conuerso. Macedonas non beluarum modò, sed etiam ipsius regis aspectus paruimper inhibuit. Beluæ dispositæ inter armatos, speciem turrium procul fecerant. Ipse Porus humanæ magnitudinis propemodum excesserat formam. Magnitudini Porri adijcere uidebatur belua, qua uehebatur, tantum inter ceteras eminens, quantum alijs ipse præstabat. Itaq; Alexander contemplatus & regem, & agmen Indorum. Tandem, inquit, par animo meo periculum uideo. Cùm bestijs simul & cum egregijs uiris res est. Intuensq; Cœnon: Cum ego, inquit, Ptolemæo Perdiccæq; & Ephestione comitatus in leuum hostium cornu impetum fecero, uideris que me in medio ardore certaminis, ipse dexterum moue, & turbatis signa infer. Tu Antigone, & tu Leonate, et Tauron inuehinini in mediam aciem, & urgebitis frontem. Hastæ nostræ prælongæ & ualidæ, non aliàs magis quàm aduersus beluas rectores que earum usui esse poterunt. de turbate eos qui uehuntur, & ipsas confodite. Anceps genus auxilij est, & in suos acrius furit. In hostem enim imperio, in suos pauore agitur. Hæc elocutus, concitat equum primus. Iamq; (ut destinatum erat) inuaserat ordines ho-



stium, cum Cœnus ingenti vi in Leuum cornu inuehitur. Phalanx quoque in mediam Indorū aciem uno impetu prorupit. At Porus, quā equitem inuehi senserat, beluas agi iussit. Sed tardum & pene immobile animal, equorum uelocitatem æquare non poterat. Nec sagittarum quidem ullus erat Barbaris usus: quippe longas & prægraues, nisi prius in terra statuunt arcum, haud satis aptè & commodè imponunt. tum humo lubrica, & ob id impediende conatum, molientes ictus, celeritate hostium occupabantur. Ergo spreto regis imperio, quod serè fit ubi turbatis acrius metus quàm dux imperare cœpit, totidem erant imperatores, quot agmina errabant. Alius iungere aciem, alius diuidere, stare quidam, & nonnulli circumuehi terga hostium iuebant. Nihil in medium consulebatur. Porus tamen cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor, colligere dispersos, obuius hosti ire pergit, elephantosque ante agmen suorum agi iubet. Magnum beluæ iniectere terrorem, insolitusque stridor non equos modo, tam pavidum ad omnia animal, sed uiros quoque ordinesque turbauerat. Iam fugæ circumspiciebant locum pauloante uictores, cum Alexander Agrianos & Thraces leuiter armatos, meliorem concursatione quàm cominus militem, emisit in beluas. Ingentem vim telorum iniectere & elephantis & regentibus eos. Phalanx quoque instare constanter territis cœpit. Sed quidam auidius persecuti beluas, in semet irritauere uulneribus. Obtriti ergo pedibus earum, cæteris ut parcius instarent fuere documentum. Præcipue terribilis illa facies erat, cum manu arma uirosque corripere, & super se regentibus traderent. Anceps ergo pugna nunc sequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei uarium certamen extraxit, donec securibus (id nanque genus auxilij præparatum

paratum erat) pedes amputare cœperunt. Copidas uocant gladios leuiter curuatos, falcibus similes, quæ ap-  
petebant beluarum manus. Nec quicquam inexpertum non  
mortis modò, sed etiam in ipsa morte noui supplicij timor  
omittebat. Ergo elephanti uulneribus tandem fatigati, suos  
impetu sternunt: & qui rexerant eos, præcipitati in terram  
ab ipsis obterebantur. Itaq; pecorum modo magis pauidi,  
quàm infesti, ultra aciem exigebantur, cum Porus destitu-  
tus à pluribus, tela multo antè præparata, in circumfusos  
ex elephanto suo cœpit ingerere, multisq; eminus uulne-  
ratis, expositus ipse ad ictus, undique petebatur. Nouem  
iam uulnera, hinc tergo, illinc pectore, exceperat: multoq;  
sanguine profuso, languidis manibus magis elapsa quàm  
excussa tela mittebat. Nec segnius belua instincta rabie  
nondum saucia, inuehebatur ordinibus, donec rector beluæ  
regem conspexit fluentibus membris omiſſis' que armis uix  
compotem mentis. Tum beluam in fugam concitat, sequente  
Alexandro. Sed equus eius multis uulneribus confossus de-  
ficiensq; procubuit, posito magis rege, quàm effuso. Itaque  
dum equum mutat, tardius insecutus est. Interim frater Ta-  
xilis regis Indorum præmissus ab Alexandro, monere cœ-  
pit Porum, ne ultima experiri perseueraret, dederetq; se  
uictori. At ille, quanquam exhaustæ erant uires, deficiebatq;  
sanguis, tamen ad notam uocem excitatus: Agnosco, inquit,  
Taxilis fratrem imperij regniq; sui proditorem: & telum,  
quod unum fortè non effluerat, contorsit in eam, quod per  
medium pectus penetrauit ad tergum. Hoc ultimo uirtutis  
opere edito, fugere acrius cœpit. Sed elephante quoq; qui  
multa exceperat tela, deficiebat. Itaque sistit fugam, pe-  
ditemq; sequenti hosti obiecit. Iam Alexander consecutus  
erat, & pertinacia Pori cognita, uetabat resistentibus

parci. Ergo undiq; & in pedites, & in ipsum Porum tela congesta sunt, quæ tandem grauatæ, labi ex belua cæpit. Indus, qui elephantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum procumbere iussit in genua: qui ut se submitit, cæteri quoque (ita enim instituti erant) demisere corpora in terram. Ea res & Porum, & cæteros uictoribus tradidit. Rex spoliari corpus Pori, interemptum esse credens, iussit: & qui detraherent lorica m vestemq;, concurrere, cum belua dominum tueri, & spoliantes cæpit appetere, leuatum que corpus eius rursus dorso suo imponere. Ergo telis undiq; obruiatur, confossoq; eo, in uehiculum Porus imponitur: quem rex ut uidit alleuantem oculos, non odio, sed miseratione commotus: Quæ, malum, inquit, amœtia te coëgit, rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri, cum Taxiles esset in deditos clementiæ meæ tam propinquum tibi exemplum? At ille: Quoniam, inquit, percontaris, respondebo ea libertate, quam interrogando fecisti. Neminem me fortiorem esse censebam. meas enim noueram uires, nondum expertus tuas. fortiorem esse te, belli docuit euentus. sed ne sic quidem parum felix sum, secundus tibi. Rursus interrogatus, quid ipse uictorem statuere debere censeret. Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quàm caduca felicitas esset. Plus monendo profecit, quam si precatus esset: quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modò, sed etiam honore excipere dignatus est. Aegrum curauit haud secus quàm si pro ipso pugnasset. Confirmatum contra spem omnium, in amicorum numerum recepit. Mox donauit ampliore regno quàm tenuit. Nec sanè quicquam ingenium eius solidius aut constantius habuit, quàm admirationem ueræ laudis & gloriæ. Simplicius

plicius tamen famam aestimabat in hoste, quàm in ciue: quippe à suis credebatur magnitudinem suam destrui posse. Eandem clariorem fore, quò maiores fuissent, quos ipse uicisset.

# Q. C V R T I I D E

R E B V S G E S T I S A L E-

X A N D R I M A G N I

L I B E R I X.



**A**LXANDER tam memorabili uictoria lætus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli uictimis cæsis, milites quoque, quò promptioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione

laudatos docuit, quicquid Indis uirium fuisset, illa dimicatione prostratum, cæteram opimam prædam fore, celebratisq; opes in ea regione eminere, quam peterent. Proinde iam uilia & obsoleta esse spolia de Persis: gemmis, margaritisq;, & auro atq; ebore Macedoniã Græciamq;, non suas tantum domos, repleturum. Auidi milites & pecuniæ & gloriæ, simul quia nunquam affirmatio eius sefellerat eos, pollicentur operam: dimissisq; cum bona spe, nauigia edificari iubet, ut cum totam Asiam percurrissent, finem terrarum mare inuiseret. Multa materia naualis in proximis montibus erat, quam cædere aggressi, magnitudinis inusitate reperere serpètes. Rhinoceroses quoq;, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. Cæterum hoc nomen beluis eis inditum à Græcis, sermonis eius ignari aliud lingua sua usurpant. Rex duabus urbibus conditis in utraque fluminis quod superauerat ripa, copiarum duces coronis,

& mille aureis singulos donat. Ceteris quoque pro portione aut gradu, quem in militia obtinebant, aut nauatæ operæ, honos habitus est. Abiases, qui prius quàm cum Poro dimicaretur legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit, pollicentes omnia facturum quæ imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere. Neque enim aut sine regio imperio uicturum, aut regnaturum esse captiuum. Cui Alexander nunciari iussit, si grauaretur ad se uenire, ipsum ad eum esse uenturum. Hinc Poro amneq; superato, ad interiora Indiæ processit. Sylæ erant propè in immensum spatium diffusæ, proceris quæ & in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosæ. Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursus quæ se curuauerant, erigebantur, adeò ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatæ. Cœli temperies salubris: quippe & uim solis umbræ leuant, & aquæ largæ manant è fontibus. Ceterum hic quoque serpentium magna uis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxiuum est: quippe morsum præsens mors, sequebatur, donec ab incolis remedium oblatum est. Hinc per deserta uentum est ad flumen Hydraotem. Iunctū erat flumini nemus opacū arboribus alibi inusitatis, agrestiumq; pauonum multitudine frequens. Castris inde motis, oppidum haud procul positum corona capit, obsidibusq; acceptis, stipendium imponit. Ad magnam deinde (ut in ea regione) urbem peruenit, non muro solam, sed etiam palude munitam. Ceterum Barbari uehiculis inter se iunctis dimicaturi occurrerunt. Alijs tela, alijs hastæ, alijs securæ erant: transiliebantq; in uehicula strenuo saltu, cum succurrere laborantibus suis uellent. Ac primò insolitum genus pugnæ Macedonas terruit, cum eminus uulnerarentur.

tur. Deinde spreto tam incondito auxilio ab utroque latere uehiculis circumfusi, repugnantes fodere cœperunt. Et uincula, queis conferta erant, iussit incidi, quò facilius singula circumuenirentur. Itaq; octingentis suorum amissis, in oppidum refugerunt. Postero die scalis undiq; admotis, muri occupantur. Paucis pernicitas saluti fuit, qui, cognito urbis excidio, paludem tranauere, & in uicina oppida ingentem intulere terrorem, inuictum exercitum, & decorum profecto aduenisse memorantes. Alexander ad uastandam eam regionem Perdicca cum expedita manu misso, partem copiarum Eumeni tradit, ut is quoq; Barbaros ad deditiorem compelleret. Ipse cæteros ad urbem ualidam, in quam aliarum quoq; confugerant incolæ, duxit. Oppidani, missis qui regem deprecarentur, nihilominus bellum parabant. quippe orta seditio in diuersa consilia diduxerat uulgum. Alij omnia deditiõne potiora, quidam nullam opem in ipsis esse ducebant. Sed dum nihil in commune consulitur, qui deditiõni imminebant, apertis portis hostem recipiunt. Alexander, quanquam belli autoribus iure poterat irasci, tamen omnibus uenia data, & obsidibus acceptis, ad proximam deinde urbem castra mouit. Obsides ducebantur ante agmẽ: quos cum è muris agnouissent, utpote gentis eiusdem, in colloquium conuocauerunt. Illi clementiam regis, simulq; uim commemorando, ad deditiõnem eos compulere: cæterasque urbes simili modo deditas in fidem accepit. Hinc in regnum Sophitis peruentum est. Gens (ut Barbari credũt) sapientia excellit, bonisque moribus regitur. Genitos liberos, non parentum arbitrio tollunt, aluntq;: sed eorum, quibus spectandi infantum habitum cura mandata est. Si quos segnes aut aliqua membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent. Nuptijs coeunt, non genere ac nobilitate

tate coniunctis, sed electa corporum specie: quia eadem est  
 matur in liberis. Huius gentis oppidum, cui Alexander ad-  
 mouerat copias, ab ipso Sophite obtinebatur. Clausæ erant  
 portæ, sed nulli in muris turribusq; se armati ostenderant:  
 dubitabantq; Macedones, deseruissent ne urbem incolæ, an  
 fraude se occulerent: cum subito patefacta porta rex Indus  
 cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes Bar-  
 baros eminens corporis specie. Vestis erat auro purpu-  
 raq; distincta, quæ etiam crura uelabat, aureis soleis inse-  
 ruerat gemmas. Lacerti quoque & brachia margaritis or-  
 nata erant. Pendebant ex auribus insignes colore & ma-  
 gnitudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant.  
 Quo tradito, precatu, ut sospes acciperet, se, liberosq; que,  
 & gentem suam dedit. Nobiles ad uenandum canes in ea  
 regione sunt. Latratu abstinere dicuntur, cum uidere fe-  
 ram, leonibus maxime infesti. Horum uim ut ostenderet  
 Alexandro in conspectu leonem eximia magnitudinis ius-  
 sit emitti, & quatuor omnino admoueri canes, qui celeri-  
 ter occupauerunt feram: cum ex ijs qui assueuerant talibus  
 ministerijs unus canis leoni cum alijs inherens crus auel-  
 lere, & quia non sequebatur, ferro amputare cepit. Nec  
 sic quidem pertinacia uicta, rursus aliam partem secare in-  
 stitit, & inde non segnus inherentem ferro subinde ce-  
 debat. Ille in uulnere feræ dentes moribundus quoque infi-  
 xerat. Tantam in illis animalibus ad uenandum cupidita-  
 tem ingenerasse naturam, memoriæ proditum est. Equidem  
 plura transcribo quam credo. Nam nec affirmare sustineo,  
 de quibus dubito: nec subducere, quæ accepi. Relicto igitur  
 Sophite in suo regno, ad fluiuium Hypasin processit,  
 Ephestione, qui diuersam regionem subegerat, coniuncto.  
 Phegelas erat gentis proximæ rex, qui popularibus suis  
 colere

colere agros (ut assueuerant) iussis, Alexandro cum donis occurrit. Nihil quod imperaret detractans, biduum apud eum substitit. Rex tertio die annem superare decreuerat, transitu difficilem, nō spatio solum aquarū, sed etiam saxis impeditum. Percontatus igitur Phogelam, quæ noscenda erant, undecim dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse cognoscit: excipere deinde Gangem maximum totius Indiae fluminum. Vltiores ripas colere gentes Gangaridas & Pharrasios, eorumq; regem esse Aggrammem, uiginti millibus equitum, ducentisq; peditum obsidentem uias. Ad hæc quadrigarū duo millia trahere, & præcipuū terrorem elephantos, quos trium millium numerū explere dicebat. Incredibilia regi omnia uidebantur. Igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur, an uera essent, quæ dicerentur. Ille uires quidem gentis & regni haud falsò iactari affirmat: ceterum qui regnaret, non modo ignobilem esse, sed etiam ultimæ sortis: quippe patrem eius tonsorem uix diurno questu propulsantem famem, propter habitum haud indecorum cordi fuisse reginæ. Ab ea in propiorem eius qui tum regnasset amicitie locum adnotum, interfecto eo per insidias, sub specie tutelæ liberū eius inuasisse regnum: necatisq; pueris, hunc qui nunc regnat generasse, inuisum nilenq; popularibus, magis paternæ fortunæ quam suæ memorem. Assertio Pori multiplicem animo regis iniecerat curam. hostem beluacq; spernebat, situm locorum, & uim fluminum extimescebat. Relegatos in ultimum penè rerum humanarum, persequi terminū & eruerè arduū uidebatur. Rursus auaritia gloriæ, & insatiabilis cupido famæ, nihil inuium, nihil remotum uideri sinebat. Et interdum dubitabat, an Macedones tot emensi spatia terrarum, in acie & in castris senes facti, per obiecta flumina, per

tot



tot naturæ obstantes difficultates, secuturi essent. Abundantes onustosq; præda, magis parta frui uelle, quam acquirenda fatigari. Non idem sibi, & militibus animi esse. Se totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum suorum primordio stare. Militem labore defatigatum, proximum quenq; fructum finito tandè periculo expetere. Vicit ergo cupido rationem, & ad concionem uocatis militibus, ad hunc maximè modum disseruit. Non ignoro milites, multa quæ terrere uos possent, ab incolis Indiæ per hos dies de industria esse iactata. Sed non est improuisa uobis mentientium uanitas. Sic Ciliciæ fauces, sic Mesopotamiæ campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterû uado transiimus, alterum ponte, terribilè fecerant Persæ. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, maiora sunt uero. Nostra quoq; gloria quum sit ex solido, plus tamen habet nominis quàm operis. Modo quis beluas offerentes moenium specië, quis Hydaspem amnem, quis cætera auditu maiora, quàm uero, sustinere posse credebat? Olim herculè fugissemus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissemus. Creditis ne elephantorum greges maiores esse, quàm usquam armentorû sunt, quum & rarum sit animal, nec facile capiatur, multo' que difficilium mitigetur? Atqui eadem uanitas copias peditum equitumq; numerauit. Nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat: quippe angustis ripis coërcita, & in angustiorem aluam elisa, torrentes aquas inuehunt: contra spatium aluei segnior cursus fit. Præterea in ripa omne periculum est, ubi applicantes nauigia, hostis expectat. Ita quantumcunq; flumen interuenit, idem futurum discrimen est euadentium in terram. Sed omnia ista uera esse fingamus. Vtrum'ne uos magnitudo beluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet

ad elephantos, præsens habemus exemplum: in suos uehementius quàm in nos incurrerunt. Tam uasta corpora securibus falcibusq; mutilata sunt. Quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria nullia, quum uno aut altero uulneratis, cæteros in fugam declinari uideamus? Deinde paucos quoq; incommodè regunt, congregata uero tot nullia ipsa se elidunt, ubi nec stare nec fugere potuerint inhabiles uastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contempsi, ut cum haberem, ipse non opposuerim: satis gnarus, plus suis quàm hostibus periculi inferre. At enim equitum peditumq; multitudo uos commouet. Cum paucis enim pugnare soliti estis, & nunc primùm inconditam sustinebitis turbam. Testis aduersus multitudinem inuicti Macedonum roboris Granicus amnis, & Cilicia inundata cruore Persarum, & Arbella cuius campi deuictorum à nobis ossibus strati sunt. Sero hostium legiones numerare cœpistis, posteaquam solitudinem in Asia uincendo fecistis. Cum per Hellespontum nauigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ sequuntur, Bactriana auxilijs præsto sunt. Dabæ Sogdianiq; inter nos militant. Nec tamen illi turbæ confido. Vestras manus intueor, uestram uirtutem, rerum, quas gesturus sum, uadem prædemq; habeo. Quàm diu uobiscum in acie stabo, nec mei, nec hostium exercitus meminero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumq; nostrorū, sed in exitu stamus. Peruenimus ad solis ortum, & Oceanum nisi obstat ignauia: inde uictores, perdomito sine terrarum, reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciūt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Maiora sunt periculis præmia. diues eadem & imbellis est regio. Itaque non tam ad glo-

riam uos duco, quàm ad prædam. Digni estis, qui opes, quas illud mare littoribus inuehit, referatis in patriam. Digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquantis. Per uos, gloriamq; uestram, qua humanum fastigium exceditis perq; & mea in uos, & in me uestra merita, quibus inuicti contendimus, oro quæsoq;, ne humanarum rerum terminos aduentem alumnorum commilitonemq; uestrum, ne dicam regem, deseratis. Cætera uobis imperaui, hoc unum debiturus sum. Et is uos rogo, qui nihil unquam uobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim, qui sæpe aciem clypeo meo texi, ne infregeretis in manibus meis palmã, qua Herculem Liberumq; patrem, si inuidia absuerit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Vbi est ille clamor alacritatis uestræ index? Vbi est ille meorum Macedonum uultus? Non agnosco uos milites, nec agnosci uideor à uobis. Surdas iandudum aures pulso. Auersos animos, & infractos excitare conor. Cumq; illi in terrã demissis capitibus tacere perseverarent: Nescio quid, inquit, imprudens in uos deliqui, quod me ne intueri quidem uultis in solitudine mihi uideor esse. Nemo respondet, nemo saltem negat, quos alloquor. Quid autem postulo? uestram gloriam & magnitudinem uindicamus. Vbi sunt illi quorum certamen paulò ante uidi contendentium, qui potissimum uulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseuerabo. Obijcite me fluminibus & beluis, & illis gentibus quarum nomina horretis. Inueniam qui desertum à uobis sequantur. Scythæ Bactrianiq; erunt mecum, hostes paulò ante, nunc milites nostri. Mori præstat, quàm precario imperatorem esse. Ite reduces domos, ite deserto rege quantes, Ego hic à uobis desperatæ uictoriæ, aut hono-

*ste morti locum inueniam. Nec sic quidem ulli militum uox  
 exprimi potuit. Expectabant, ut duces principesq; ad re-  
 gem perferrent, uulneribus uel continuo labore militia fa-  
 tigatos, non detrectare munia, sed sustinere non posse. Ce-  
 terum illi metu attoniti in terram ora defixerant. Ergo  
 primo fremitus sua sponte, deinde gemitus quoq; oritur:  
 paulatimq; liberius dolor erigi coepit, manantibus lachry-  
 mis: adeo ut rex, ira in misericordiam uersa, ne ipse quidem  
 quanquam cuperet, temperare oculis potuerit. Tandem uni-  
 uersa concione effusius flente, Cœnus ausus est, contanti-  
 bus cæteris, propius tribunal accedere, significans se lo-  
 qui uelle. Quem ut uidere milites detrahentem galeam ca-  
 piti (ita enim regem alloqui mos est) hortari coeperunt,  
 ut causam exercitus ageret. Tum Cœnus: *Dij probi-  
 beant, inquit, à nobis impias mentes, & profectò probi-  
 bent. Idem animus est tuis, qui fuit semper: ire iusseris, pu-  
 gnare, periclitari, sanguine nostro commendare posterita-  
 ti tuum nomen. Proinde si perseueras, inermes quoq; &  
 nudi, & exsanguis, utcunq; tibi cordi est, sequimur uel  
 antecedimus. Sed si audire uis non fictas tuorum militum  
 uoces, uerū necessitate ultima expressas, præbe queso pro-  
 pitias aures, imperium atq; auspiciū tuum constantissimè  
 secutis, & quocunq; pergis, secuturis. Viciisti rex magni-  
 tudine rerum non hostes modo, sed etiā milites. Quicquid  
 mortalitas capere poterat, impleuimus. Emensis maria ter-  
 rasq;, melius nobis, quàm incolis omnia nota sunt. Penè in  
 ultimo mundi fine consistimus: in alium orbē parat ire, &  
 Indiam quæris Indis quoq; ignotam. Inter feræ serpentesq;  
 degentes eruere ex latebris & cubiculis suis expetis, ut  
 plura quam sol uidet, uictoria lustres. Digna prorsus cogi-  
 tatio animo tuo, sed altior nostro. Virtus enim tua semper**

in incremento erit, nostra uis in fine iam est. Intuere corpora exanguia tot perfossa uulneribus, tot cicatricibus putrida. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica subuehi non potest. In externum degenerauimus cultum. Quoto cuique lorica est? quis equum habet? tunc quæri quam multos serui ipsorum persecuti sunt, quid cuique supersit ex præda. Omnium uictores, omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello. Instrumenta belli consumpsimus: hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obijcies beluis? Quarum ut multitudinem augeant de industria Barbari: magnam tamen esse numerum etiam ex mendacio intelligo. Quod si adhuc penetrare in Indiam certum est, regio à meridie minus uasta est. Quæ subacta, licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum uoluit esse natura. Cur circuitu petis gloriam, quæ ad manum posita est? Hic quoque occurrit Oceanus. Nisi mauis errare, peruenimus quod tua fortuna ducit. Hæc tecum quam sine te cum his, loqui malui, non ut inirem circumstantis exercitus gratiam, sed ut uocem loquentium potius, quam ut gemitum murmurantium audires. Ut finem orationi Cœnus imposuit, clamor undique cum ploratu oritur, regem patrem, dominum, confusis appellatum uocibus. Iamque et alij duces, præcipueque seniores, quibus ob ætatem et excusatio honestior erat, et authoritas maior, eadem precabantur. Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. Itaque inops consilij, defiluit è tribunali, claudique regiam iussit, omnibus præter assuetos adire prohibitis. Biduum iræ datum est, tertio die processit: erigique XII. aras ex quadrato saxo, monumentum expeditionis suæ munimenta quoque castrorum iussit extendi, cubilia quoque amplioris formæ, quam pro corporum habitu, relinqui, ut speciem omnium

augeter posteritati fallax miraculum præparans. Hinc re-  
 petens quæ emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra.  
 Ibi forte Coenus morbo extinctus est: cuius morte ingemuit  
 rex quidem. adiecit tamen, propter paucos dies longam  
 orationem cum exorsum, tanquam solus Macedoniam uisu-  
 rus esset. Iam in aqua classis, quam ædificari iusserat, stabat.  
 Inter hæc Memnon ex Thracia in supplementum equitum  
 sex millia, præter eos ab Harpalo peditum septem millia  
 adduxerat, armaq; x x v. millia auro & argento celata  
 pertulerat: quæis distributis, uetera cremari iussit, mille na-  
 uigijs aditurus Oceanum. Discordes & uetera odia retra-  
 ctantes Porum & Taxilem Indiæ reges firmata per assani-  
 tatem gratia, reliquit in suis regnis, summo in ædificanda  
 classe amborum studio usus. Oppida quoq; duo condidit,  
 quorum alterum Nicæam appellauit, alterum Bucephalon,  
 equi quem amiserat, memoriæ ac nomini dedicans urbem.  
 Elephantis deinde & impedimentis terra sequi iussis, se-  
 cundo anne defluxit, quadraginta ferme stadia singulis die-  
 bus procedens, ut opportunis locis exponi subinde copiæ  
 possent. Peruentum erat in regionem, in qua Hydaspes  
 annis Acesini committitur. hinc decurrit in fines Sobiorum.  
 Hi de exercitu Herculis maiores suos esse commemorant,  
 ægros relictos esse, cepisse sedem quam ipsi obtinebant. Pel-  
 les ferarum pro ueste, clauæ pro telo erant. Multaq; etiam,  
 cum Græci mores exoleuissent, stirpis ostendebant uesti-  
 gia. Hic excensione facta, c c l. stadia processit: depopula-  
 tusq; regionem, oppidum caput eius corona cepit. quadra-  
 ginta peditum millia gens in ripa fluminum opposuerat:  
 quam, anne superato, in fugam compulit, inclusosq; mœni-  
 bus expugnat. Puberes interfecti sunt, cæteri uenierunt. Al-  
 teram deinde urbem expugnare adortus, magnaq; ui defen-

dentium pulsus, multos Macedonū amisit. Sed cum in ob-  
 sidione perseverasset, oppidani, desperata salute, ignē subie-  
 cere tectis, se quoq; ac liberos coniugesq; incendio cre-  
 mant. Quod cum ipsi augerent, hostes extinguerent, noua  
 forma pugne erat. Delebant incolæ urbē, hostes extingue-  
 bāt: adeò etiā naturæ iura bellū in contrarium mutat. Arx  
 erat oppidi intacta, in qua præsidium dereliquit. Ipse nau-  
 gio circumuectus est arcem: quippe tria flumina tota India  
 præter Gangem maxima, munimento arcis applicant un-  
 das. A septentrione Indus alluit, à meridie Acesines Hyda-  
 ssi confunditur. Cæterum amnium coitus maritimis similes  
 fluctus mouent, multoq; ac turbido limo, quod aquarū con-  
 cursu subinde turbatur, iter quā manet nauigijs, in tenuem  
 alueum cogitur. Itaq; cum crebri fluctus se inueherent, &  
 nauium hinc proas, hinc latera pulsarent, subducere nau-  
 tæ uela cœperunt. Sed ministeria eorū hinc metu, hinc præ-  
 rapida celeritate fluminum occupantur. In oculis duo ma-  
 iora omnium nauigia submersa sunt: leuiora, cum & ipsa  
 nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt. Ipse  
 rex in rapidissimos uertices incidit. Quibus intorta nauis  
 obliqua, & gubernaculi impatiens agebatur. Iā ueslè detra-  
 xerat corpori, proiecturus semet in flumē: amiciq; ut exci-  
 perēt eū, haud procul nabāt: apparebatq; anceps, periculū  
 tam nataturi, quā nauigare perseverantis. Ergo ingenti  
 certamine concitant remos, quantumq; uis humana esse pote-  
 rat, admota est, ut fluctus, qui se inuehebant, euerberarētur.  
 Fundi crederes undas & retro gurgites cedere. Quibus  
 tandē nauis crepta, non tamen ripæ applicatur, sed in pro-  
 ximum uadum illiditur. Cum anime bellum fuisse crederes.  
 Ergo aris pro numero fluminum positis, sacrificioq; facto,  
 triginta stadia processit. Inde uentum est in regionem

Oxydracarum Mallorumq̄, quos aliàs bellare inter se solitos, tunc periculi societas iunxerat, nouē millia iuniorum peditum in armis erant, præter hos equitum decem millia, nongentæq̄ quadrigæ. At Macedones, qui omni discrimine iam defunctos se esse crediderant, posteaquam integrū bellum cum ferocissimis Indiæ gentibus superesse cognouerunt, improuiso metu territi, rursus seditiosis uocibus regem increpare cœperunt. Gangem annem, & quæ ultra essent, coactos transmittere, non tamen finisse, sed mutasse bellum, indomitis gentibus se obiectos, ut sanguine suo aperirent ei Oceanum. Trahi extra sydera & solem, cogiq̄ adire quæ mortalium oculis natura subduxerat. Nouis identidem armis novos hostes existere. Quos ut omnes fundant, fugentq̄, quod præmium ipsos maneret Caliginem ac tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem mari, repletum immanium beluarum gregibus fractum, immobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit. Rex non sua, sed militum solitudine anxius, concione aduocata docet, imbelles esse quos metuant. Nihil deinde præter has gentes obstare, quo minus terrarum spacia emensi, ad finem simul mundi laborumq̄; perueniant. Cessisse illis metuentibus Gangem, & multitudinem nationum quæ ultra annem essent, declinasse iter eò, ubi par gloria, minus periculum esset. Iam prospicere se Oceanum: iam perflare ad ipsos auram maris: ne inuiderent sibi laudem quam peteret. Herculis & liberi patris terminos transituros illos. Regi suo paruo impendio immortalitatem famæ daturos. Paterentur se ex India redire, non fugere. Omnis multitudo, & maximè militaris, mobili impetu fertur. Ita seditionis non remedia quàm principia maiora sunt. Non aliàs tam alacer clamor ab exercitu est redditus, iubentium du-



ceret dijs secundis, & æquaret gloria, quos æmularetur. Latus his acclamationibus, ad hostes protinus castra mouit. Validissimæ Indorum gentes erant, & bellum impigrè parabant, ducemq; ex natione Oxydracarū spectatæ uirtutis elegerant, qui sub radicibus montis castra posuit: lateq; ignes, ut speciè multitudinis augetet, ostendit, clamore quoque, ac sui moris ululatu identidem acquiescentes Macedonas frustra terrere conatus. Iam lux apparebat, cum rex fiduciæ ac spei plenus, alacres milites arma capere, & exire in aciem iubet. Sed (ut traditur) metu ne an seditione oborta inter ipsos, subito profugerūt Barbari. Certè auios montes & impeditos occupauerunt. Quorum agmen rex frustra persecutus, impedimenta cepit. Peruentū deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod pleriq; confugerant, haud maiore fiducia mœnium, quàm armorum. Iam admouebat rex, cum uates monere eum cœpit, ne committeret, aut certè differret obsidionem: uitæ eius periculum ostendi. Rex Demophoonta (is nanque uates erat) intuens: Si quis, inquit, arti tuæ intentū, & exta spectantem sic interpellet, non dubium quin incōmodus ac molestus uideri tibi possit. Et cum ille ita prorsus futurū respondisset: Censes ne inquit, tantas res, non pecudum fibras, ante oculos habenti, ullum esse maius impedimentum, quàm uatem superstitione captum? Nec diuius quàm respondit moratus, admoueri iubet scalas: cunctantibusq; cæteris, euadit in murum. Angusta muri corona erat, non pinne, sicut alibi, fastigium eius distinxerant, sed perpetua lorica obducta transitum sepserat. Itaq; rex hærebat magis quàm stabat in margine, clypeo undiq; incidentia tela propulsans. Nam undiq; eminus ex turribus petebatur. Nec subire milites poterāt, quia superne ui telorum obruebantur. Tandem magnitudinem peric

periculi pudor uicit : quippe cernebant cunctatione sua de-  
 di hostibus Regem. Sed festinando morabantur auxilia.  
 Nam dum pro se quisque certat euadere, onerauerunt scalas :  
 queis non sufficientibus, deuoluti, unicam spem Regis fesse-  
 lerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus uelut in so-  
 litudine destitutus. Iamq; læuam, qua clypeum ad ictus cir-  
 cumferebat, lassauerat clamantibus amicis, ut ad ipsos de-  
 siliret, stabantq; excepturi, cum ille rem ausus est incredi-  
 bilem atq; inauditam, multoq; magis ad famam temeritatis  
 quam gloriæ insignem. Nanque in urbem hostium plenam  
 præcipiti saltu semetipse immisit, cum uix sperare posset,  
 dimicantem certè & non inultum esse moriturum : quippe  
 antequam assurgeret, opprimi poterat, & capi uiuus : sed  
 fortè ita librauerat corpus, ut se pedibus exciperet. Ita-  
 que stans inuit pugnam, & ne circuiti posset fortuna pro-  
 uiderat. Vetusta arbor haud procul muro ramos multa  
 fronde uestitos uelut de industria Regem protegentes ob-  
 iecerat. huius spacioso stipiti corpus, ne circuiti posset, ap-  
 plicuit, clypeo tela quæ ex aduerso ingerebantur exci-  
 piens. Nam cum unum procul tot manus peterent, nemo ta-  
 men audebat propius accedere. Misilia ramis plura, quam  
 clypeo incidebant. Pugnat pro Rege primum celebrati  
 nominis fama, deinde desperatio, magnum ad honestè mo-  
 riendum incitamentum. sed cum subinde hostis afflueret,  
 iam ingentem uim telorum exceperat clypeo, iam galeam  
 saxa perfregerant, iam continuo labore grauia genua suc-  
 ciderant. Itaq; contemptim & incautè, qui proximi stete-  
 rant, incurrerunt, è quibus duos gladio ita exceperat, ut ante  
 ipsum exanimis procumberent. Nec cuiquam deinde pro-  
 prius incessendi eum animus fuit. Procul iacula sagittasq;  
 mittebant. Ille ad omnes ictus expositus, egrè iam exce-

ptum poplitibus corpus tuebatur, donec Indus duorum cubitorum sagittam (nanq; Indis, ut antea diximus, huius magnitudinis sagittæ erant) ita excussit, ut per thoracem paululum super latus dextrum infigeret. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma, moribundo similis, adeoq; resolutus, ut ne ad uellendum quidem telum sufficeret dextra. Itaq; ad expoliandum corpus, qui uulnerauerat, alacer gaudio accurrit. Quem ut iniicere corpori suo manus sensit, credo ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem reuocauit animum, & nudum hostis latus subiecto mucrone hausit. Iacebant circa Regem tria corpora, procul stupentibus cæteris. Ille, ut antequam ultimus spiritus deficeret, dimicans iam extingueretur, clypeo se alleuare conatus est: & posteaquam ad connitendum nihil supererat uirium, dextera impendentes ramos complexus, tentabat assurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit, manu prouocans hostes, si quis congredi auderet. Tandem Peucestes per aliã oppidi partem deturbatis propugnatoribus muri uestigia persequens Regi superuenit. Quo conspecto, Alexander iam non uitæ suæ, sed morti solatium superuenisse ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subit inde Timæus, et paulò post Leonatus, hinc Aristonius superuenit. Indi quoque cum intra moenia Regem esse comperissent, omnis cæteris, illuc concurrerunt, urgebantq; protegentes. ex quibus Timæus, multis aduerso corpore uulneribus acceptis, egregiaq; edita pugna cecidit. Peucestes quoq; tribus iaculis confossus, non se tamen scuto, sed Regem tuebatur. Leonatus dum auidè ruentes Barbaros submouet, ceruice grauiter icta, semianimis procubuit ante Regis pedes. Iam & Peucestes uulneribus fatigatus, submiserat clypeum. In Aristono spes

ultima

ultima hærebat. Hic quoq; grauius saucius, tantam uim hostium ultra sustinere non poterat. Inter hæc ad Macedones, Regem cecidisse, fama perlata est. Terruisset alios, quod illos incitauit. Nanq; periculi omnes immemores, dolabris perfregere murum, & quàm moliti erant aditum irruere in urbem, Indosq; plures fugientes, quàm congregi ausos, cæciderunt. Non senibus, non sceminis, non infantibus parcitur. Quisquis occurrerat, ab illo uulneratum Regem esse credebant. Tandemq; internecione hostium iuste iræ parentatum est. Ptolemæum, qui postea regnauit, huic pugnae affuisse, autor est Clitarchus, & Timagines. Sed ipse, scilicet gloriæ suæ non refragatus, abfuisse se, missum in expeditionem, memoriæ tradidit. Tanta componentium uetusta rerum monumenta uel securitas, uel par huic uitium credulitas fuit. Rege in tabernaculum relato medici lignum haste corpori infixum, ita ne spiculum moueretur, abscindunt. Corpore deinde nudato, animaduertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quàm ut secando uulnus auerent. Caterùm ne secantes profluum sanguinis occuparet, uerebantur: quippe ingens telum adactum erat, & penetrasse in uiscera uidebatur. Critobulus inter medicos artis eximia, sed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperæ curationis recideret euentus. lacrymantem eum ac metuentem, & solitudine prope modum exanguè Rex conspexerat. Quid, inquit, quod uetempus expectas, & non quamprimum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times, ne reus sis, cum insanabile uulnus acceperimus? At Critobulus tandem uel finito uel dissimulato metu, hortari eum cœpit, ut se continendū præberet, dum spiculum euelleret. Etiam leuem corporis

motum noxium fore. Rex cum affirmasset, nihil opus esse  
 ijs, qui semet continerent: sicut præceptum erat, sine motu  
 præbuit corpus. Igitur patefacto latius uulnere, & spiculo  
 euulso, ingens uis sanguinis manare cœpit. linguq; animo  
 Rex, & caligine oculis offusa, ueluti moribundus extendi.  
 Cumq; profluuū medicamentis frustra inhiberent, clamor  
 simul atq; ploratus amicorū oritur, Regem expirasse cre-  
 dentium. Tandem constitit sanguis, paulatimq; animum re-  
 cepit, & circumstantes cœpit agnoscere. Toto eo die, ac no-  
 cte quæ secuta est, armatus exercitus regiã obsedit, confes-  
 sus omnes unius spiritu uiuere. Nec prius recesserunt, quàm  
 compertum est, somno paulisper acquiescere. Hinc certio-  
 rem spem salutis eius in castra retulerunt. Rex, septem die-  
 bus curato uulnere, necdum obducta cicatrice, cum audis-  
 set, conualuisse apud Barbaros famam mortis suæ, duobus  
 nauigijs iunctis, statui in medium undiq; conspicuum taber-  
 naculum iussit, ex quo se ostenderet perijsse credentibus:  
 conspectusq; ab incolis, spem hostium falso nuncio conce-  
 ptã inhibuit. Secūdo deinde annē defluxit, aliquantū inter-  
 ualli à cætera classe præcipiens, ne quies corpori inualido  
 adhuc necessaria, pulsū remorum impediretur. Quarto po-  
 steaquam nauigare cœperat die, peruenit in regionem de-  
 sertam quidem ab incolis, sed frumento & pecoribus abun-  
 dantem. Placuit is locus, & ad suam & ad militum requiẽ.  
 Mos erat principibus amicorum, & custodibus corporis  
 excubare ante prætorium, quoties Regi aduersa ualetudo  
 incidisset. Hoc more tum quoq; seruato, uniuersi cubicu-  
 lum eius intrant. Ille sollicitus ne quid noui afferrent, quia  
 simul uenerant, percontatur num hostium recens nuntia-  
 retur aduentus. At Craterus, cui mandatum erat ut amico-  
 rum preces perferret ad eum: *Credis ne, inquit, aduētū ma-*

gis hostium, ut iam in uallo cōsisterent, quā cura salutis tuæ, ut nunc est tibi uilis, nos esse sollicitos? Quantalibet uis omnium gentium cōspiret in nos, impleat armis uirisq; totum orbem, classibus maria consternat, inusitatas beluas inducat, tu nos præstabis inuictos. Sed quis Deorū hoc Macedoniae cōlumen ac sydus diuturnum fore polliceri potest? cū tam auide manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot ciuium animas trahere te in casum? Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest? Eò peruenimus, auspiciū atq; imperiū secuti tuum, unde, nisi te reduce, nulli ad penates suos iter est. Qui si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares, & si nemo uellet, tamen ne admirari quidem posset, tam promptæ esse te ad omne discrimen audaciæ. Nam ubi paria sunt periculum ac præmiū, & secundis rebus amplior fructus est, & aduersis solatiū maius. Tuo uerò capite ignobilem uicum emi quis ferat, non tuorum modo militum, sed ullius etiam gentis Barbaræ, qui tuam magnitudinem nouit? Horret animus cogitatione rei, quam paulò antè uidimus. Eloqui timeo, inuicti corporis spolia inertissimas manus fuisse auecturas, nisi te inter ceptū misericors in nos fortuna seruasset. Totidem proditores, totidē desertores sumus, quot te non potuimus persequi. Vniuersos licet milites ignominia notes, nemo recusabit luere id, quod ne admitteret, præstare non potuit. Patere nos quæso alio modo esse uiles tibi. Quocunq; iusseris, ibimus. Obscura bella, & ignobiles pugnas nobis deposcimus. Temetipsum ad ea serua pericula, quæ magnitudinem tuam capiunt. Citò gloria obsolescit in sordidis hostibus. Nec quicquam indignius est, quā consumi eam, ubi non possit ostendi. Eadem ferè Ptolemæus, et similia ijs cæteri. Iamq; confusis uocibus flentes eum orabant, ut tandē exsatiatæ laudi modum faceret,

ac salutis sue, item publicæ parceret. Grata erat Regi pietas amicorum. Itaque singulos familiariter amplexus, considerare iubet: aliusque sermone repetito, Vobis quidem, inquit, o fidissimi piissimique; civium atque amicorum grates ago habeoque; non solum eo nomine, quod hodie salutem meam vestræ preponitis, sed quod à primordiis belli nullum erga me benevolentie pignus atque indicium omisitistis: adeo ut confitendum sit nunquam mihi vitam meam fuisse tam charam, quam esse coepit, ut vobis diu frui possim. Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, et mea, qui quidem hanc benevolentiam vestram uirtute meruisse me iudico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum percipere cupitis. Ego me metior non ætatis spatio, sed gloriæ. Licuit paternis opibus contento, intra Macedonia terminos per otium corporis expectare obscuram et ignobilem senectutem. Quanquam ne pigri quidem sibi facta disponunt, sed unicum bonum diuturnam vitam aestimantes sæpe acerba mors occupat. Verum ego, qui non annos meos sed uictorias numero, si munera fortunæ bene cõputo, diu uixi. Orsus à Macedonia imperium, Græciam teneo. Thraciam et Illyricos subegi. Tribalis Medisque imperito. Asiam, quæ Hellesponto, quæ rubro mari alluitur, possideo. Iamque haud procul absum à fine mundi. Quæ egressus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asia in Europæ terminos momento unius horæ transiui. Victor utriusque regionis, post nonum regni mei, post uicesimum atque octauum ætatis annum, uideor'ne uobis in excolenda gloria, cui me uni deuoui, posse cessare? Ego uerò non deero, et ubicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis. Aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longè submouerat. In his operibus

ribus extingui, mibi (si fors ita feret) pulchrū est. Ea stirpe sum genitus, ut multam prius quàm longam uitam debeam optare. Obsecro uos, cogitate nos peruenisse in terras, quibus scēminæ ob uirtutem celeberrimum nomē est. Quas urbes Semiramis condidit? quas genteis redegit in potestatiē? quanta opera molita est? Nondum scēminā æquauimus gloria, & iam nos laudis satietas cepit? Dī faucāt, maiora adhuc restant. Sed ita nostra erunt, quæ nondum attigimus, si nihil paruum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus est. Vos modò me ab intestina fraude, & domesticorum insidijs præstate securum. Belli Martisq; discrimen impavidus subibo. Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit. hostiū manus sæpe uitauit, suorum effugere non ualuit. Aliorum quoq; regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interemptos numerabitis, Ceterum, quoniam olim rei agitæ in animo meo, nunc promendæ occasio oblata est: mihi maximus laborum atq; operum meorū erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur, quando cunque excesserit uita. Si licuerit, ipse præstabo hoc. Si me præceperit fatum, uos mandasse mementote. Ac tum quidem amicos dimisit. Ceterum per complures dies ibi statua habuit. Hæc dum in India geruntur, Græci milites nuper in Coloniā à Rege deducti Carabaetra, orta inter ipsos seditione, defecerant, non tam Alexandro infensi, quàm metu supplicij: quippe occisis quibusdam popularium, qui ualidiores erāt, arma spectare ceperunt. Et Bactriana arce, quæ quasi negligentius asseruata erat, occupata, Barbaros quoque in societatem defectionis impulerant. Athanodorus erat princeps eorum, qui Regis quoq; nomen assumpserat, non tam imperij cupidine, quàm in patriam reuertendi cum ijs, qui auctoritatem ipsius sequebantur. Huic Bicon quidam nationis



nis eius, sed ob æmulationem infestus, comparauit insidias, inuitatumq; ad epulas, per Boxum quendam Macerianum in conuiuio occidit. Postero die concione aduocata, Bicon ultrò insidiatum sibi Athenodorum plerisque persuaserat. Sed alijs suspecta fraus erat Biconis, & paulatim in plures coepit manare suspicio. Itaque Græci milites arma capiunt, occisuri Biconem, si daretur occasio. Cæteri principes eorum, iram multitudinis mitigauerunt. Præter spem suã Bicon præsentis periculo ereptus, paulò post insidiatus auctoribus salutis suæ est: cuius dolo cognito, & ipsum comprehenderunt, & Boxũ. Cæterum Boxũ protinus placuit interfici: Biconẽ etiã per cruciatũ necari. lamq; corpori tormenta admouebantur, cum Græci milites, incertum ob quam causam, lymphatis similes ad arma discurrunt: quorũ fremitu exaudito, qui torquere Biconem iusserant, omisere, ueritine id facere tumultuantium uociferatione prohiberentur. Ille, sicut nudatus erat, peruenit ad Græcos, & miserabilis facies supplicio destinati in diuersum animos repente mutauit, dimittiq; cum iusserunt. Hoc modo pœna bis liberatus, cum cæteris, qui colonias à Rege attributas reliquerunt, reuertit in patriam. Hæc circa Bactra & Scytharum terminos gesta. Interim Regem duarũ gentiũ, de quibus antè dictum est, centum legati aduunt. Omnes curru uehebantur, eximia magnitudine corporũ, decoro habitu: lineæ uestes intextæ auro, purpuraq; distinctæ. Ei se dedere ipsos, urbes agrosq;, referabant, per tot ætates inuiolatam libertatem illius primũ fidei ditioniq; permissuros. Deos sibi ditionis autores, non metũ: quippe intactis uiribus iugũ excipere. Rex cõsilio habito, deditos in fidẽ accepit, stipendio, quod Arachosijs utraq; natio pēsabat, imposito. Præterea duo millia & quingẽti equites imperati: & omnia obediẽter

ter à Barbaris facta. Inuitatis deinde ad epulas legatis gentium, regulisq; , exornari conuiuium iussit. Centum aurei lecti modicis interuallis positi erant. Lectos circumdederāt aulea purpura auroq; fulgentia : quicquid aut apud Persas uetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum erat, confusis utriusq; gentis uitijs, in illo conuiuio ostendens. Intererat epulis Dioxippus Atheniensis pugil nobilis, & ob eximiam uirtutem uirium regi pernotus & gratus. Inuidi magniq; increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam. Cum ipsi praelium inirent, oleo madentem præparare uentrem epulis. Eodem igitur in conuiuio Horratus Macedo iam temulentus exprobrare ei coepit, & postulare, ut, si uir esset, postero die secum ferro decerneret : regem tandem uel de sua temeritate, uel de illius ignauia iudicaturum. Et à Dioxippo contemptim militarem eludente serociam, accepta conditio est. Ac postero die rex, cum etiam serius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinatus exsequi passus est. Ingēs hic militum, inter quos erant Greci, qui Dioxippo studebant, conuenerat multitudo. Macedo iusta arma sumpserat, æreum clypeum, hastam, quam Sarissam uocant, læua tenens, dextra lanceam, gladioq; cinctus, uelut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens & coronatus, læua puniceum amiculum, dextra ualidum nodosumq; stipitem præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat : quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas uidebatur. Igitur Macedo haud dubius eminens interfici posse, lanceam emisit: quam Dioxippus cum exigua corporis declinatione uitasset, antequam ille hastam transferret in dextrā asiluit, & stipite mediam eam fregit. Amisso utroque telo,

Macedo gladium cœperat stringere: quem occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arictauit in terram: erepto que gladio, pedem super cervicem iacentis imposuit, stipitem intentans, elisurusq; eo uictum, ni prohibitus esset à rege. Tristis spectaculi euentus non Macedonibus modò, sed etiam Alexandro fuit, maximè quia Barbari affuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse uerebatur. Hinc ad criminationem inuidorū adaperit sunt aures regis. Et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex cōposito subducitur: ministriq; quasi amisissent quod amouerant, regem adeunt. Sæpe minus est constantiæ in rubore, quàm in culpa. Coniectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. Et cum excessisset conuiuio, literis conscriptis quæ regi redderentur, ferro se interemit. Grauius mortem eius tulit rex, existimans, indignationis esse, non poenitentiae testem, utiq; postea quàm falso insimulatū cum, nimiū inuidorum gaudium ostendit. Indorum legati dimissi domos, paucis post diebus cum donis reuertuntur. treceti erāt equi, mille x x x. currus, quos quadrijugi equi ducebant. Lineæ uestis aliquantum, mille scuta Indica, & ferri candidi talenta centum, leonesq; raræ magnitudinis, & tigres, utrunq; animal ad mansuetudinem domitū. Lacertarū quoq; ingentium pelles, & dorsa testudinum. Cratero deinde imperat rex, haud procul amne, per quem erat ipse nauigaturus, copias duceret. Eos autē, qui comitari cum solebant, imponit in naues, & in fines Mallorum secundo amne deuehitur. Inde Sabracas adiit, ualidam Indiæ gētem, quæ populi, non regum imperio regebatur. sex millia peditum habebant, equitum sex millia. has copias currus quingenti sequebantur. Tres duces spectatos uirtute bellica elegerant. At

qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem uicos maxime in ripa habebant) ut uidere totum amnem quæ prospici poterat nauigijs cõstratum, & tot militum arma fulgentia, territi noua facie, deorum exercitum, & alium Liberum patrem, celebre in illis gentibus nomen, aduentare credebant. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, uariæq; nautarum uoces hortantium, pavidas aures impleuerant. Ergo uniuersi ad eos qui in armis erant currunt, furrere clamitantes, cum dijs prælium inituros. Nauigia non posse numerari, quæ inuictos ueherent. Tantumq; in exercitum suorum intulere terroris, ut legatos mitteret gentem dedituros. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto die peruenit. Nihil plus animi his fuit, quam cæteris fuerat. Itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum, qui Musiciani appellantur, intrauit. Hic Desteriolem Satrapem, quem Parapamisadis præfecerat, iisdem arguentibus, cognouit: multaq; auarè ac superbè fecisse conuictum, interfici iussit. Oxatres prætor Bactrianorum nõ absolutus modo, sed etiam iure amplioris imperij donatus est. Finibus Musicianis deinde in deditio-nem redactis, urbi eorum præsidium imposuit. Inde Præstos & ipsam Indiæ gentem peruentum est. Porticanus rex erat, qui se munitæ urbi cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertio die, quam cœperat obsidere, expugnauit. Et Porticanus cum in arcem confugisset, legatos de conditione deditio-nis misit ad regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderant: per quarum ruinas. Macedones euasere in arcem: qua capta, Porticanus cum paucis repugnans occiditur. Diruta igitur arce, & omnibus captiuis uenundatis, Sabi regis fines ingressus est: multisq; oppidis in fidem acceptis, ualidissimam gentis

gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris simile monstri uisum est, rudibus militariū operū: quippe in media ferme urbe ē terra existebant, nullo suffossi specus antē uestigio factō.

VIII. M. Indorum in ea regione cæsa, Clitarchus est author, multosq; captiuos sub corona uenisse. Rursus Musici defecerunt, ad quos opprimendos missus est Pithon, qui captum principem gentis, eundemq; defectionis autorē, adduxit ad regem. Quo Alexander in crucem sublato, rursus animum, in quo classem expectare se iusserat, repetit.

Quarto deinde die secundo anme peruenitur ad oppidum, quā iter in regnum erat Sani. Nuper se ille dederat, sed oppidani detrectabant imperium, & clauserant portas. Quorum paucitate contempta, rex quingentos Agrianos moenia subire iusserat, & sensim recedentes elicere extra muros hostem, secuturum profectō, si fugere eos crederet. Agriani (sicut imperatum erat) laceſsito hoste, subito terga uerterunt: quos Barbari effusē sequentes, in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renouato ergo prælio, ex tribus millibus Barbarorum quingenti cæsi sunt, mille capti, cæteri moenibus urbis inclusi. Sed non ut prima specie læta uictoria, ita euentu quoq; fuit: quippe Barbari ueneno tinxerant gladios. Itaq; saucij subinde expirabant. Nec causa tam strenuæ mortis excogitari poterat à medicis, quā etiam leues plagæ insanabiles essent. Barbari autem sperauerant, incautum & temerarium regem excipi posse. Et forte inter promptissimos dimicans, intactus euaserat. Præcipuè Ptolemæus leuo humero leuiter quidem saucius, sed maiore periculo quān uulnere affectus, regis solitudinem in se conuerterat. Sanguine coniunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant, certē pellice eius ortum constabat. Idem corporis custos, promptissimusq; bellator, &

paciſ

pacis artibus quam militiæ maior & clarior, modico ciuiliq; cultu liberalis in primis, adituq; facilis, nihil ex fastu regio assumpserat. Ob hæc regi an popularibus charior esset dubitari poterat. Tum certè primum expertus suorum animos, adè ut fortunam, in quã postea ascendit, in illo periculo Macedones ominati esse uiderentur: quippe non leuior illis Ptolemæi fuit cura, quàm regis, qui & prælio & solitudine fatigatus cum Ptolemæo assideret, lectũ, in quo ipse acquiesceret, iussit inferri. In quem ut se recepit, protinus altior insecutus est somnus. Ex quo excitatus, per quietẽ uidisse se exponit speciem draconis oblatã herbam ferentis ore, quam ueneni remedium esse monstrasset. Colorẽ quoq; herbæ referebat, agniturũ, si quis reperisset, affirmãs: inuentamq; deinde, quippe à multis erat requisita, uulneri imposuit: protinusq; dolore finito, intra breue spatium cicatrix quoq; obducta est. Barbaros ut prima spes sefellera, se ipsos urbẽq; dediderunt. Hinc in proximã gentẽ Pathaliam peruentum est. Rex erat Moeris, qui urbe deserta in montes profugerat. Itaque Alexander oppido potitur, agrosq; populatur. Magnæ inde prædæ actæ sunt pecorum armentorumq;, magna uis reperta frumẽti. Ducibus deinde sumptis amnis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alueo enatam. Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius asseruati profugerant, misit qui conquirerent alios: nec repertis, pernicax cupido incessit uisendi Oceanum, adcundiq; terminos mundi sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum tot' que fortissimorum uirorum salutem permittere. Navigabant ergo omnium per quæ ferebantur ignari. quantum inde abesset mare, quæ gentes colerent, quàm placidum amnis os, quàm patiens longarum nauium esset, anceps & cæca æstimatio augurabatur. Vnum erat

temeritatis solatium, perpetua felicitas. Iam cccc. stadia processerant, cum gubernatores agnoscere ipsos auram maris, & haud procul uideri sibi Oceanum abesse, indicant regi. Lætus ille, hortari nauticos cœpit, incumbere remis. adesse finem omnibus uotis expetitur. Iam nihil gloriæ deesse, nihil obstarè uirtuti. Sine ullo Martis discrimine, sine sanguine orbem terræ ab illis capi. Nec naturam quidem longius posse procedere. Breui incognita, nisi immortalibus, esse uisuros. Paucos tamen nauigio amissit in ripam, qui agrestes uagos exciperent, è quibus certiora nosci posse sperabat. Illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperere. Qui interrogati, quam procul abisset mare, responderunt, nullum ipsos mare ne fama quidè accepisse: cæterum tertio die perueniri posse ad aquam amarā, quæ corrumpet dulcem. Intellectum est, mare destinari ab ignaris naturæ eius. Itaque ingenti alacritate nautici remigant, & proximo quoq; die, quo propius spes admovebatur, crescebat ardor animorum. Tertio iam die mixtam flumini subibat mare, leni adhuc æstu confundente dispares undas. Tum aliam insulam medio anni sitam euecti paulò lenius, quia cursus æstu remorabatur, applicant classē, & ad comœatus petendos discurrunt, securi casus eius qui superuenit ignaris. Tertia fermè hora erat, cum stata uice Oceanus ex æstuans inuehi cœpit, & retrò flumen urgere. Quod primo coërcitum, deinde uehementius pulsū, maiore impetu aduersum agebatur, quàm torrentia præcipiti aluico incurrunt. Ignota uulgo freti natura erat, monstraq; & iræ deūm indicia cernere uidebantur, identidè intumescere mare, & in campos paulò antè siccos descendere supersusum. Iamq; leuatis nauigijs, & tota classe dispersa, qui expositi erant undiq; ad naues trepidi & impro

improuiso malo attoniti recurrunt. Sed in tumultu festinatio quoque tarda est. Hi contis nauigia appellebant, id dum remos aptari prohibebant, confederāt. Quidam enauigare properantes, sed non expectatis qui simul esse debebant, clauda & inhabilia nauigia languide moliebantur. Aliæ nauium inconsultè ruentes non receperāt, pariterq; & multitudo & paucitas festinantes morabantur. Clamor hinc expectare, hinc ire iubentiū, dissonæq; uoces nunquam idē ac unum tendentiū, non oculorum modo usum, sed etiā auritū abstulerant. Ne in gubernatoribus quidem quicquam opis erat, quorum nec exaudiri uox à tumultuantibus poterat, nec imperium à territis incompositisq; seruari. Ergo collidi inter se naues, abstergeriq; inuicem remi, & alij aliorū nauigia urgere cœperunt. Crederes non unius exercitus classem uehi, sed duorum nauale inisse certamen. Incutiebantur puppibus proræ, premebantur à sequentibus qui antecedentes turbauerant. Iurgantium ira perueniebat etiam ad manus. Iamq; æstus totos circa flumen campos inundauerat, tumulis duntaxat eminentibus uelut insulis paruis, in quos pleriq; trepidi, omiſſis nauigijs, enare cœperunt. Dispersa classis partim in præalta aqua stabat, quæ subsederant ualles, partim in uado hærebat, utcunq; inæquale terre fastigium occupauerant unde, cum subito nouus & pristino maior terror incutitur, reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus, reddebatq; terras paulò antè profundo salo mersas. Igitur destituta nauigia alia præcitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi auulsarū tabularum, remorūq; fragmentis. Miles nec egredi in terrā, nec in naues subsistere audebat, identidem præsentibus grauiora quæ sequerentur expectans. Vix quæ perpetiebantur, uidere ipsos credebant,



debant, in sicco naufragia, in amni mare. nec finis malorū: quippe æstum paulò post mare relaturum, quo nauigia alle uarentur, ignari, famem & ultima sibi met ominabantur. beluæ quoque fluctibus destitutæ terribiles uagabantur. Iamq; nox appetebat, & regem quoq; desperatio salutis ægritudine affecerat: non tamen inuictū animū curæ obruūt, quin tota nocte præsideret in speculis, equitesq; præmitteret ad os amnis, ut cum mare rursus æstare sensissent, pro cederent. nauigia quoq; lacerata refici, & euersa fluctibus erigi iubet, paratiosq; esse & intentos, cum rursus mare terras inundasset. Tota ea nocte inter uigilias adhortationesq; consumpta, celeriter & equites ingenti cursu refugere, & secutus est æstus. Qui primo aquis leni tractu subeuntibus, coepit leuare nauigia: mox totis cāpis inundans, etiam impulit classem: plaususq; militum nauticorumq; in speratam salutem immodico celebrantium gaudio, littoribus ripisq; resonabat. Vnde tantum redisset subito mare, quò pridie refugisset, quæ nam esset eiusdem elementi natura, modo discors, modo imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. Rex cum ex eo, quod acciderat, coniectaret, post solis ortum statum tempus esse, media nocte, ut æstum occuparet, cum paucis nauigijs secundo amne defluxit: euertusq; os eius, cccc. stadia processit in mare. tandem uoti sui compos, præsidibus & maris & locorum dijs sacrificio factio, ad classem redijt. Hinc aduersum flumē subiit classis, & altero die appulsa est haud procul lacu salso, cuius ignota natura plerosque decepit temere ingressos aquam: quippe scabies corpora inuasit, & contagium morbi etiam in alios uulgatum est. Oleum remedio fuit. Leonato deinde præmisso, ut puteos foderet, quā terrestri itinere ducturus exercitum uidebatur, quippe sicca erat regio, ipse cum copijs

copijs substituit, uernum tempus expectans. Interim & ur-  
 bes pleraq; condidit. Nearchus atq; Onesicrito nautica rei  
 peritis imperauit, ut ualidissimas nauium deducerent in  
 Oceanum: progressiq; quo ad tutò possent, naturam maris  
 noscerent: uel eodem amne, uel Euphrate subire eos posse,  
 cum reuerti ad se uellent. Iamq; mitigata hyeme, & nauib-  
 us, quæ inuitiles uidebantur, crematis, terra ducebat exer-  
 citum. Nouis castris in regionem Arabitarum, inde toti-  
 dem diebus in Gedrosiorum peruentum est. Liber hic popu-  
 lus, concilio habito, dedit se: nec quicquam deditis præ-  
 ter commeatus imperatum est. Quinto hinc die uenit ad flu-  
 men, Arabon incolæ appellant. Regio deserta, & aquarum  
 inops excipit, quem emensus, in Horitas transit. Ibi maio-  
 rem exercitus partem Ephestioni tradidit, leuem armatu-  
 ram cum Ptolemæo Leonatoque partitus est. Tria simul  
 agmina populabantur Indos, magnæq; prædæ actæ sunt.  
 Maritimos Ptolemæus, ceteros ipse rex, & ab alia parte  
 Leonatus urebant. In hac quoque regione urbem condidit,  
 deductiq; sunt in eam Arachosij. Hinc peruenit ad mari-  
 timos Indos, desertam uastamq; regionem latè tenent, ac  
 ne cum finitimis quidem ullo commercij iure miscètur. Ipsa  
 solitudo natura quoque immitia efferauit ingenia. Promi-  
 nent ungues nunquam recisi. Comæ hirsutæ & intonsæ  
 sunt. Tuguria conchis, & cæteris purgamentis maris in-  
 struunt. Ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, &  
 maiorum quoque beluarum, quas fluctus eiecit, carne ue-  
 scuntur. Consumptis igitur alimentis, Macedones primo  
 inopiam, deinde ad ultimum famem sentire cœperunt, ra-  
 dices palmarum (namq; sola ea arbor gignitur) ubique ri-  
 mantes. Sed cum hæc quoque alimenta defecerant, iumenta  
 cedere aggressi, ne equis quidem abstinebant: & cum de-  
 essent

essent quæ sarcinas ueherent, spolia de hostibus, propter quæ ultima Orientis peragrauerant, cremabant incendio. Famem deinde pestilentia secuta est: quippe insalubrium ciborum noui succi, ad hoc itineris labor, & ægritudo animi uulgauerant morbos, & nec manere sine clade, nec progredi poterant. Manentes fames, progressos acrior pestilentia urgebat. Ergo strati erant campi penè pluribus semiuuius, quàm cadaueribus. Ac ne leuius quidem ægri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum itineris festinando præriperent. Igitur qui defecerant, notos ignotosq; ut alleuarentur orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi possent, & mules uix arma portabat, imminentisq; etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo sæpius reuocati, ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem uersa. Illi relictæ, deos testes, sacra communia, regisq; implorabāt opem: cumq; frustra surdas aures fatigaret, in rabiem desperatione uersi, parem suo exitum, similesq; ipsis amicos & contubernales precabantur. Rex Dolore simul ac pudore anxius, quia causa tantæ cladis ipse esset, ad Phrataphernem Parthinorum Satrapem misit, qui iuberet camelis cocta cibaria afferre. Alios finitimarum regionum præfectos certiores necessitatis suæ fecit: nec cessatum est ab his. Itaq; fame dumtaxat uindictus exercitus, tandem in Gedrosiæ fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua statua habuit, ut uexatos milites quiete firmaret. Hic Leonnati literas accipit, conflixisse, ipsam cum octo millibus peditum & quingentis equitibus Horitarum, prospero euentu. A Cratero quoq; nuntius uenit, Ozinem & Zariaspem nobileis Persas defectionem molientes oppressos à se, in uinculis esse.

Præposito igitur regioni Siburtio (nanque Memnon præfectus eius nuper interierat morbo) in Carmaniam ipse processit. Aspastes erat Satrapes gentis, suspectus res novare uoluisse, dum in India rex esset. Quem occurrentem, dissimulata ira, comiter allocutus, dum exploraret quæ delata erant, in eodem honore habuit, cum Indiæ præfecti (sicut imperatum erat) equorum, iumentorum, iugalianq; uim ingentem ex omni, quæ sub imperio erat regione, misissent, quibus decrant impedimenta, restituit. Arma quoq; ad pristinum refecta sunt cultum: quippe haud procul à Perside aberant, non pacata modo, sed etiam opulenta. Igitur (ut supra dictum est) emulatus patris Liberi nõ gloriam solum, quam ex illis gentibus deportauerat, sed etiam famam, siue illud triumphus fuit ab eo primum institutus, siue bacchæ-tium lusus, statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus coronis que sterni iubet. Liminibus ædium crateras uino repletos, & alia eximie magnitudinis uasa disponi. Vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis uelis, alia ueste pretiosa. Primi ibant amici & cohors regia, uarijs redimita floribus coronisq;. Alibi tubicinum cantus, alibi lyre sonus audiebatur. item in uehiculis pro copia cuiusq; adornatis comessabundus exercitus, armis quæ maxime decora erant circumpendentibus. ipsum conuiuas que currus uehebat, crateris aureis eiusdemq; materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit. Partæ præda, si quid uictis saltem aduersus comessantes animi fuisset, mille hercule utri modo & sobrijs, septem dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumq; constituit, hic quoque

militiæ

*militiæ probrum uertit in gloriam, & præsens ætas, & posteritas deinde mirata est, per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos, Barbaris, quod temeritas erat, fiduciam esse credētibus. Hunc apparatus carnifex sequebatur: quippe Satrapes Aspastes (de quo antè dictum est) interfici iussus est. adeò nec luxuriæ quocquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.*

## Q. C V R T I I D E

REBUS GESTIS ALEXAN-

DRI MAGNI LI-

BER X.



**I** S D E M ferè diebus Cleander & Sitalces, & cum Agathone Eracon superueniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant, quinque millia peditum cum equitibus mille. Sed & accusatores eos è provincia, cui præfuerant, sequebantur: nec tot facinora, quot admisserant, compensare poterant cædis perquam gratæ regi ministerio: quippe cum omnia prophana spoliassent, ne sacris quidem abstinuerant, uirginesq; & principes sceminarum stupra perpeße, corporum ludibria deflebant. Inuisum Macedonum nomen auaritia eorum ac libido Barbaris fecerat. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem uirginem constupratam, seruo suo pellicem dederat. Pleriq; amicorum Alexandri non tam criminū, quæ palàm obijciebantur, atrocitatem, quàm memoriam occisi per eos Parmenionis, quod tacitum prodesse reis apud regem poterat, intuebantur, læti recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quæsitam, cuiquam esse diut

diuturnam. Rex, cognita causa, pronuntiauit, ab accusatoribus unum & id maximum crimen esse præteritum, desperationem salutis suæ. nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reuerti, aut credidissent reuersurum. Igitur hos quidem uinxit: sexcentos autem militum, qui seruitiæ eorum ministri fuerant, interfici iussit. Eodem die sumptum est supplicium de his quoq; quos autores defectionis Persarum Craterus adduxerat. Haud multò post Nearchus & Onesicritus, quos longius in Oceanum procedere iusserat, superueniunt. Nuntiabant autem quædam audita, alia comperta. Insulam ostio annis subiectam auro abundare, inopem equorum esse: singulos equos ab ijs, qui ex continenti traicere auderent, singulis talentis emi. Plenum esse Beluarum mare: æstu secundo eas ferri, magnarum nauium corpora æquantes: truci cantu deterritas sequi classem, cum magno æquoris strepitu uelut demersa nauigia subisse aquas. Cætera incolis crediderant: inter quæ, rubrum mare non à colore undarum, ut pleriq; crederent, sed ab Erythro rege appellari. Esse haud procul à continenti insulam palmis frequentibus consitam, & in medio fere nemore columnam eminere Erythri regis monumentum, literis gentis eius scriptam. Adijciebant, nauigia quæ lixas mercatoresq; uexissent, famam, auri secutis gubernatoribus, in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea uisa. Rex cognoscendi plura cupidine accensus, rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphratem appellerent classem, inde aduerso amne Babyloniam subituros. Ipse animo infinita complexus, statuerat, omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini insensus: inde Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum Gadis dirigere. Ibi nãq; columnas

Herculis esse, fama uulgauerat. Hispaniam deinde, quã Iberiam Græci à flumine Ibero uocabant, adire, & præteruehi Alpes, Italiæq; oram, unde in Epirum breuis cursus est. Igitur Mesopotamiæ prætoribus imperauit, materia in Libano monte cæsa, deuectaq; ad urbem Syriæ Capsagas, ingentium carinas nauium ponere: septiremes omnes esse, deduciq; Babyloniam. Cypriorum regibus imperatum, ut res stupãq; & uela præberent. Hæc agenti, Pori & Taxilis regum literæ traduntur, Abiasarem morbo, Philippũ præfectum ipsius ex uulnere interiisse, oppressosq; qui uulnerassent eum. Igitur Philippo substituit Eudemum. dux erat Thraccum. Abiasaris regnum filio eius attribuit. Ventum est inde Pasargadas: Persica est gens, cuius satrapes Orsines erat, nobilitate ac diuitijs inter omnes Barbaros eminent. Genus ducebat à Cyro quondam rege Persarum. Opes & à maioribus traditas habebat, & ipse longa imperij possessione cumulauerat. Is regi cum omnis generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam amicis eius daturus, occurrit. Equorum domiti greges sequebantur, currusq; argento & auro adornati, pretiosa supellex, nobiles gemmæ, aurea magni ponderis uasa, uestesq; purpureæ, & signati argenti talenta quatuor millia. Cæterum tanta benignitas Barbaro causa mortis fuit. Nam cum omnes amicos regis donis super ipsorum uota coluisset: Bagoæ spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis deuinxerat sibi, nullum honorem habuit, admonitusq; à quibusdam, quã Alexandro cordi esset: respondit, Amicos regis, nõ scorta, se colere: nec moris esse Persis, mares ducere, qui stupro effœminarentur. His auditis, spado potentiam flagitio & dedecore quesitam, in caput nobilissimi & infantis exercuit. Nanque gentis eiusdem leuissimos falsis criminibus  
astruxit

iſtruxit, monitos tum demum ea deferre, cum ipſe iuſiſſet. Interim quoties ſine arbitris erat, credulas regis aures implebat, diſſimulans cauſam iræ, quò grauior criminantis autoritas eſſet. Nondum ſuſpectus erat Orſines, iam tamen uiliior. Reus enim in ſecreto agebatur, latentis periculi ignarus, & importuniſſimum ſcortū, ne in ſtupro quidē & dedecoris patientia fraudis oblitum, quoties amorē regis in ſe accenderat, Orſinem modo auaritiæ, interdum etiam deſectiōnis arguebat. Iam matura erant in perniciem innocētis mēdacia, & fatum, cuius ineuitabilis ſors eſt, appetebat. Forte enim ſepulchrum Cyri Alexander iuſſit aperiri, in quo erat conditū eius corpus, cui dare uolebat inferias. auro argentoq; repletum eſſe crediderat: quippe ita fama Perſe uulgauerant. Sed præter clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperit. Cæterū corona aurea impoſita, amiculo cui aſſueuerat ipſe, ſolum in quo corpus iacebat uelauit: miratus, tanti nominis regem tantis præditum opibus, haud pretioſius ſepultū eſſe, quàm ſi fuiſſet è plebe. Proximus erat lateri ſpado, qui regem intuens, Quid mirum, inquit, eſt inania ſepulcra eſſe regū, quum ſatraparū domus aurū inde egeſtū capere non poſſint? Quod ad me attinet, ipſe hoc buſtū antea non uideram: ſed ex Dario ita accepi, tria millia talentū condita eſſe cum Cyro. Hinc illa benignitas in te, ut quod impune habere non poterat Orſines, donando etiam gratiam iniret. Concitauerat iam animum in iram, cum hi, quibus negotiū idem dederat, ſuperueniunt. Hinc Bagoas, hinc ab eo ſubornati, falſis criminibus occupant aures. Antequàm accuſari ſe ſuſpicaretur Orſines, in uincula traditus eſt. Non contentus ſupplicio inſontis ſpado, ipſe morituro manu iniecit. Quem Orſines intuens: Audieram, inquit, in Aſia olim regnaſſe ſoc-



minas: hoc uerò nouum est, regnare castratū. Hic fuit exitus nobilissimi Persarum, nec insontis modò, sed eximia quoque benignitatis in regem. Eodem tempore Phradates regnum affectasse suspectus occiditur. Cœperat esse præceps ad representanda supplicia, idem ad deteriora credenda. Sic scilicet res secundæ ualent commutare naturam, & rarò quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem enim paulò antè Lyncestem Alexandrum delatum à duobus indicibus damnare non sustinuerat. Humiliores quoque reos contra suam uoluntatem, quia cæteris uidebantur insontes, passus absolui, hostibus uictis regnare dixerat. Ad ultimū à semetipso degenerauit, usque adeo ut aduersus libidinem animi, arbitrio scortii alijs regna daret, alijs adimeret uitam. Iisdem ferè diebus literas accepit de rebus in Europa gestis, dum ipse Indiam subigit. Zopyrio Thraciæ præpositus, dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisq; subito coortis, cum toto exercitu oppressus erat. Qua cognita clade, Seuthes Odrysas populares suos ad defectionem compulerat. Amissa propemodum Thracia, ne Græcia quidem \*

Scriptores rerum gestarum Alexandri Magni, hoc loco Calaniæ loci, in philosophiæ studiis magni nominis, mentionem faciunt. Qui persuasus Taxillis regis Indiæ Alexandrum securus, tandè miro mortis genere seipsum interfecit. Cum enim lxxiiij. annos absque ullo morbo uixisset, dolore alui correptus in Perfide, finem uitæ suæ adesse coniectans, ne longo morbo perpetua uitæ felicitas contaminaretur, nèue multis medicorū pharmacis foret excrucandus, Alexandrum rogauit, ut sibi pyram construi, cumq; ascendisset, eandem incendi iuberet. Rex hominem ab horrendo incepto posse deterreri sperans, dissuadere cœpit. Verùm cum eum fixum atque immutabilem in sententia permanere, nec in uita retineri posse uideret, pyram secundum Calani uoluntatem extrui permisit. Quò delatus equo,

ad orat

adoratis patriis numinibus, Macedonas prehenfis manibus rogauit, ut illum diem lati cum rege potantes exigerent, quem paulò post Babylonè se uisurum dixit. His dictis pyrami ascendit alacriter, atq; membris decore cõpositis, eo quo resedit gestu perpetuo conseruato, occubuit. Incensa pyra, tubæ insonuere, totusq; exercitus clamores in cœlum sustulit, haud secus atq; in præliis fieri solet. Elephantis quoq; horrendum infremuerunt. Hæc de Calani morte grauisissimi scripserunt autores, inuicti animi, ad quæ libet dura cõstanter perferenda, singulare exemplum. Post hæc Susa profectus, Satyram, maiorem Darii filiam, legitimo sibi copulauit matrimonio. Junioem Dyrpetium Hephæstioni uxorem dedit. Optimaribus quoq; Macedonum, atq; insignioribus amicis, lectas ex omnibus gentibus nobilissimas uirgines, circiter LXX. matrimonio collocauit: ne solus noui moris author haberetur. Nuptiæ Persico more celebratæ sunt. Reliquis quoq; Macedonibus, qui dudum uxores duxerant, regale instituit conuiuium. Cui cùm nouem millia conuiuiarum interessent, unumqueng; ad peragenda libamina, aurea phiala donasse dicitur. Eodem tempore XXX. millia iuniorũ militum pari omnes ætate, sub præfectis ciuitatum partim à se conditarum, partim etiam deuictarum, ad omnia belli munia, ac Macedonia armatura pulcherrimè instructi, ad Alexandrum uenerunt: quos Epigonos, id est successores, appellabat. Horum aduentu Macedones nonnihil contristari uisi sunt. Cùm enim Macedones diuturna militia fatigati, regi in concionibus sæpius obloquerentur, ad compefcendam eorũ licentiã hos sibi comparauerat milites, quos etiam maximis ornauit beneficiis. Harpalus autem cui Rex Babylonæ thesaurorum atq; uectigalium curam demandauerat, cùm audiuisset Alexandri uirtute, Indorum reges maiore ex parte perdomitos, & felici rerũ omnium successu iam ei cuncta patere, arbitratur Alexandrum ulteriora cognoscendi & gloriæ augendæ cupidissimũ, haud facile eò loci rediturum. Delitiis itaq; atq; luxui deditus, uim nobilibus atq; ingenuis fœminis inferens, omne libidinis genus exercuit. Vocato etiam ad se ab Athenis insigni scorto, cui Potonice nomen erat, eidem, nõ solum uiuenti maxima & regia donauit munera: uerùm etiam post mortem, monumentum celeberrimum, triginta talentis in id collatis, extrui uoluit. His & similibus turpissimis uoluptatibus magna pecuniæ summa ex-

hausta, cum percepisset Alexandrum ex India redeuntē in multos præfectos, ob scelestā ipsorum in subditos facinora delatos, grauitè animaduertisse: timens (quæ sua erat conscientia) ne & sibi tale quippiam contingeret, collectis quinque millibus talentis, cum sex millibus mercenariorum, celerrimè in Atticam contendit. nemine uerò ipsum recipiente, relictis militibus ad Tanaron, ubi iam antea mercenariorum militum quos præfecti in Asia ex mandato regis dimiserant, ingens multitudo confluerat, Athenas cum pecunia est profectus. Ad quem continuo certatim magna uis ciuium confluit, auri magis quàm hominis amore compulsi, in primisq; oratores, & hi qui quæstus ex pulpito faciebāt. Quos exigua largitione perlectos, ut suam causam ad populum defenderent, sibi facile empticios fecit. Habita deinde concione populi, urbe excedere iussus, ad Græcos peruenit milites, ibiq; trucidatus est.

Ex his studiose lector, quæ in hoc fragmento desunt, facile resarciri poterunt.

*Igitur triginta nauibus Sunium transmittunt. promontorium est Atticæ terræ, unde portum urbis petere decreuerāt. His cognitis, rex Arpalo Atheniensibusq; iuxta institus, classem parari iubet, Athenas protinus petiturus. Quod consilium cum agit, clam literæ ei redduntur, Arpalum intrasse quidem Athenas, pecunia conciliaisse sibi principum animos: mox consilio plebis habito, iussum urbe excedere, ad Græcos milites peruenisse, à quibus interceptum, & trucidatum à quodam uiatore per insidias. his letus, in Europam traiciendi consilium omisit. Sed exules, præter eos qui civili sanguine aspersi erant, recipi ab omnibus Græcorum ciuitatibus queis pulsati erant, iussit. Et Græci haud ausi imperium aspernari, quanquam soluendarum legum id principium esse censebant, bona quoq; quæ extarent, restituere damnatis. Soli Athenienses non suæ modo, sed etiã Reipublicæ uindictæ, colluuiem hominum, quia egrè ferebant, non regis imperio, sed legibus moribusq; patrijs regi*

regi assueti prohibuere. Igitur exules sinibus eiiciunt, omnia potius tolerantur, quam purgamenta quondam urbis sue, tunc etiã exiliij, admitterent. Alexander senioribus militũ in patriam remissis, XIII. millia peditum, & duo millia equitũ, quæ in Asia retineret, eligi iussit, existimans modico exercitu continere posse Asiã (quia pluribus locis præsidia disposuisset) nuperq; conditas urbes quas colonis repleisset, res nouare cupientibus obstare. Ceterum priusquã secerne ret quos erat retenturus, edixit ut omnes milites æs alienum profiterentur. Graue plerisq; esse cõpererat. Et quanquam ipsorum luxu contractum erat, dissoluere tamen ipse decreuerat. Illi tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumptuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. Et rex satis gnarus, professioni æris pudorẽ non contumaciam obstare: mensas totis castris poni iussit, & decem millia talentorũ proferri. Tum demum fide facta professio est. Nec amplius ex tanta pecunia quàm centum & triginta talenta superfuere. Adeo ille exercitus tot ditissimarũ gentiũ uictor, plus tamen uictoriæ quàm prædæ deportauit ex Asia. Ceterum ut cognitum est, alios mitti domũ, alios retineri, perpetuam cum regni sedem in Asia habiturum rati, uecordes, & discipline militaris immemores, seditiosis uocibus castra cõplent, regemq; ferocius quàm aliàs adorti, omnes simul missionem postulare coeperunt, deformia ora cicatricibus, caniciemq; capitũ ostẽtantes. Nec aut præfectorũ castigatione, aut uerecundia regis deterriti, tumultuoso clamore & militari uolentia uolentem loqui inhibebant, palàm professi, nusquam inde nisi in patriã uestigium esse moturos. Tandem silentio facto, magis quia motũ esse credebant, quàm quia ipsi moueri poterant, quid nam acturus esset, expectabant. Ille, Quid hæc, inquit, repēs conster-

natio, & tam procax atq; effusa licentia denuntiat? Eloqui timeo, palàm certè rupistis imperiū, & precario rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendiq; aut intuendi uos ius reliquistis. Equidem cū alios dimittere in patriā, alios mecū paulò post deportare statuerim: tam illos acclamantes uideo qui abituri sunt, quàm hos cum quibus præmissos subsequi statui. Quid hoc est rei? Dispari in causa idem omniū clamor est. Peruelim scire, utrū qui discedunt, an qui retinentur, de me querātur. Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem, ita pariter ex tota concione responsum est, Omnes queri. Tū ille, Non hercule, inquit, potest fieri, ut adducar querendi simul omnibus hanc causam esse quam ostenditis, in qua maior pars exercitus non est, ut pote quā plures dimiserim quàm retenturus sum. Subest nimirum altius malum, quod omnes auertit à me. Quando enim regem uniuersus exercitus deseruit? Ne serui quidem uno grege profugiunt dominos: sed est quidam in illis pudor à cæteris destitutos relinquendi. Verū ego tam furiosæ consternationis oblitus, remedia insanabilibus conor adhibere. Omnē hercule spem quam ex uobis conceperam, damno: nec ut cū militibus meis (iam enim esse desistis) sed ut cum ingratisimis (ut oportet) agere decreui. Secundis rebus quæ circumfluunt uos, insanire cœpistis, obliti status eius quem beneficio exuistis meo. Digni hercule, qui in eodem consenesca- tis: quoniam facilius est uobis aduersam quàm secundam regere fortunam. En tandem Illyriorum paulò antè & Persarum tributarijs, Asia & tot gētium spolia fastidio sunt. Modò sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordēt. Aurum & argentum oculi ferre nō possunt. Lignea enim uasa desiderant, & ex cratibus scuta rubiginemq; gladio- rum. Hoc cultu nitentes uos accepi, & quingenta talenta

*æris alieni, quum omnis regia supellex haud amplius quàm sexaginta talentorū sit, meorū operū fundamēta, quibus tamē absit inuidia, imperiū maximæ terrarū partis imposui. Asiæ ne pertæsum est? quæ uos gloria rerū gestarū dijs pares fecit? In Europā ire properatis, rege deserto, quum pluribus uestrūm defuturū uiaticum fuerit, ni æs alienum luissem: Nempe in Asiatica præda, nec pudet profundo uentre deuictarū gentiū spolia circumferentes reueri uelle ad liberos coniugesq̃, quibus pauci præmia uictoriæ potestis ostēdere. Nam cæterorū, dum etiam spei uestræ obuiā istis, arma quoq̃; pignori sunt. Bonis uerò militibus cariturus sum pellicū suarū concubinis, quibus hoc solum ex tantis opibus superest, quod impenditur. Proinde fugientibus me pateant limites: faceßite hinc ocyus. Ego cum Persis abeuntiuū terga tutabor. Neminē teneo: liberate oculos meos ingratisimū ciues. Læti uos excipient parentes liberiq̃; sine uestro rege redeuntes? Obuiam ibunt desertoribus transfugiq̃;? Triūphabo mehercule de fuga uestra, & ubicūq̃; ero, expectā pœnas, hos cū quibus me relinquitis, colēdo præferēdoq̃; uobis. Iam autem scietis & quantū sine rege ualeat exercitus, & quid opis in me uno sit. Desiliuit deinde frendens detribunali, & in medium armatorū agmen se immisit, notatos quoq̃; qui ferocissimē oblocuti erāt, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, x i i i. asseruandos custodibus corporis tradidit. Quis crederet seuam paulò ante concionem obtorpuisse subito metu? & cum ad suppliciuū uideret trahi, nihil ausos grauiora quàm cæteros, \* tā effusam antea licentiā, atq̃; seditiosam militū uolentiā ita cōpressam, ut non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit, uerumetiam cuncti pauore exanimati, attonitis similes, quid de ipsis quoq̃; rex statuendū censeret, suspensa mente ex-*

peccarent. Itaq; siue nominis, quod gentes quæ sub regibus  
 sunt, inter deos colunt, siue propria ipsius ueneratio, siue  
 fiducia tanta ui exercentis imperiũ, cõterruit eos: singulare  
 certè ediderunt patientiæ exemplũ: adeoq; non sunt accessi  
 supplicio commilitonũ, cum sub nocte interfectos esse nos-  
 sent, ut nihil omiserint quod singuli magis obedienter ac-  
 piẽ facerẽt. Nã cum postero die prohibiti aditu uenissent,  
 Asiaticis modò militibus admissis, lugubrẽ totis castris edi-  
 dere clamorem, denuntiantes se protinus esse morituros, si  
 rex perseueraret irasci. At ille peruiacis ad omnia quæ  
 agitaasset animi, peregrinorũ militũ concionem aduocari iu-  
 bet, Macedonibus intra castra cohibitis: & cum frequentes  
 coissent, adhibito interprete, talem orationẽ habuit. Cum ex  
 Europa trajcerem in Asiã, multas nobiles gentes, magnam  
 uim hominũ imperio meo me additurũ esse sperabam. Nec  
 deceptus sum, quod de his credidi famæ. Sed ad illa hoc  
 quoq; accessit, quòd uideo fortes uiros erga reges suos pie-  
 tatis inuictæ. Luxu omnia fluere credideram, & nimia feli-  
 citate mergi in uoluptates. At hercule munia militiæ, hoc  
 animorum corporumq; robore, æque impigrè toleratis: &  
 quum fortes uiri sitis, non fortitudinẽ magis quàm fidem co-  
 litis. Hoc ego non nunc primũ profiteor, sed olim scio. Itaq;  
 & delectum è uobis iuniorũ habui, & uos meorũ militum  
 corpori immiscui. Idẽ habitus, eadẽ arma sunt uobis. Obse-  
 quiũ uerò & patientia imperij longe præstantior est, quàm  
 cæteris. Ergo ipse Oxatris Persæ filiã mecum in matrimo-  
 nio iunxi, non dedignatus ex captiua liberos tollere. Mox  
 deinde cum stirpem generis mei latius propagare cuperẽ,  
 uxorem Darij filiam duxi: proximisq; amicorũ auctor sui  
 ex captiuis generandi liberos, ut hoc sacro fœdere omne  
 discrimen uicti & uictoris excluderem. Proinde genitos  
 esse

esse nos mihi, non ascitos milites credite. Asia & Europe unum atque idem regnum est. Macedonum uobis arma do. Inueteraui peregrinam nouitatem: & ciues mei estis, & milites. Omnia eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum est. Eiusdem iuris esse debent, qui sub eodem rege uicturi sunt. \* Hac oratione habita, Persis corporis sui custodiam credidit, Persas satellites, Persas apparitores fecit. Per quos cum Macedones, qui huic seditioni occasionem dedissent, uincti ad supplicia traherentur, unum ex ijs autoritate & etate grauem, ad regem ita locutum ferunt. \* Quousque, inquit, animo tuo etiam per supplicia, & quidem externi moris, obsequeris? Milites tui, ciues tui incognita causa captiuis suis ducentibus trahuntur ad poenam. Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicij muta. Amico animo, si ueri patiens fuisset, admonebatur. Sed in rabie ira peruenerat. Itaque rursus, nam parumper quibus imperatum erat dubitauerant, mergi in anem, sicut uincti erant, iussit. Nec hoc quidem supplicium seditionem militum mouit. Nanque copiarum duces atque amicos eius manipuli adeunt, petentes, ut si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos, iuberet interfici. Offerre se corpora: trucidaret. \* Postquam uero cognitum est, Persis ducatus, datos barbaros in uarios ordines distributos, atq; Macedonica ijs imposita nomina, se uerò ignominiosè penitus reiectos esse, non iam amplius conceptum animis dolorem perferre potuerunt. Sed concursu in regiam facto, interiori duntaxat retenta tunica, arma ante ianuam, poenitentiae signum proiecerunt: ac prae foribus stantes, intronitti se, sibiq; ignosci suppliciter atque flentes orabant,



bant, utq; rex supplicijs suis potius saturaret se, quàm contramelijs, ipsos nisi uenia impetrata nō discessuros. *Que* cum Alexandro nunciata essent, apertis regiæ foribus, ad ipsos est egressus. Postquam uerò ipsorū eiulatum, atq; pœnitentiam nec non miserandum atq; afflictuū habitum uidisset, diu quoq; collacrymatus est. Eaq; modestia, ut ipsis ignosceret, obtinuerunt. Eis deinde nunc modestè incusatis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exautorauit, magnificentissimeq; donatos dimisit. Scribens quoq; ad Antipatrū, Macedonia præfectum, eis ad spectanda certamina priores in theatro sedes assignari, coronatosq; sedere iussit. Defunctorum quoq; liberos pupillos paterna contrahere stipendia uoluit, Cratero ijs præposito : quem etiam Antipatri loco, Macedonibus, Thessalis, Thracibusq; præesse iussit, Antipatrumq; cum supplemento Tyronum in Crateri locum uocauit. Iam pridem quidem Alexandro literæ, & ab Olympiade matre, & ab Antipatro redditæ erant, ex quibus mutuam inter ipsos simultatem perceperat. Mater Antipatrum affectati regni insimulabat, Antipater Olympiadem multa præter ipsius decorum gerere scripserat. Itaque euocari se ualde iniquo ferens animo, Alexandrum ueneno interficere statuit. Peractis his rebus omnibus Alexander ad Ecbatana Mediæ profectus, regni necessaria disposuit, spectacula denuo & solennes indixit dies. Illis forte diebus Hephestion, quem rex unice ac fratris loco diligebat, febricitans moritur. Ex quo Alexander incredibili affectus dolore, multa quæ regiam maiestatem minimè decerent, admisisse dicitur. Miserum quippe medicum, tanquam in curando negligentior fuisset, suspendi iussit. Super amici corpus exanime eiulans procubuit, uixq; inde ab amicis abstractus est. Diem atque noctem luctum

continuauit. Aliaq; nonnulla feruntur, quæ quidem ego mi-  
 nimè credo. Illud tamen uerū est, quod Alexander Heph-  
 stioni tanquam heroi sacrificari iusserit. In funus atq; mo-  
 numentum ei faciendum, plusquam duodecim millia talen-  
 torum impensa sunt. Reuertenti Babyloniam, Chaldæi ua-  
 tes occurrerunt, monentes ne Babyloniam ingrederetur.  
 Profectionem enim eius per id tempus, uitæ periculum ei  
 portendere. Quibus spretis, quò destinauerat ire pergit.  
 Nunciabatur enim ei, legatos ex diuersis terrarum orbis  
 partibus, undique Babyloniam confluisse, eiusq; aduentum  
 expectare. Ad eò totum orbem nominis eius terror inuase-  
 rat, ut cunctæ gentes, uelut destinato sibi regi, adularentur.  
 Igitur tanquam conuentum uniuersi orbis acturus, Babylo-  
 niam peruenire festinabat. Quò cum uenisset, legatos omnes  
 benignè susceptos domum remisit. Iisdem ferè diebus con-  
 uuium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod  
 Rex quoq; cum sodalibus uocatus, uenit. Ibi nondum Her-  
 culis scypho epoto, repente uelut telo confixus ingemuit.  
 Elatus è conuiuio semianimis, tanto dolore cruciatus est, ut  
 ferrum in remedia posceret. Amici causam morbi, intempe-  
 riam ebrietatis diuulgarunt. Re uera autem insidie fuerūt,  
 quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipa-  
 ter enim præparatum uenenum Cassandro filio, qui cum  
 fratribus Philippo & Iolla Regi ministrare solebat, dede-  
 rat, præmonito eo, ne alijs quàm Thessalo & fratribus cre-  
 deret. Philippus itaq; & Iollas, potum Regis præguſtare  
 soliti, in aqua frigida uenenum habentes, eam præguſtatæ  
 potioni Regis supermiserunt. Quarto deinde die cum mi-  
 lites partim mortuum suspicarentur, idq; celari crederent:  
 partim eius desiderium ferre non possent, mœsti sese in  
 regiam contulerunt, ut sibi Regis uidendi copia fieret

orantes, atque à custodibus ex mandato Regis intronisi sunt. \* Intuentibus lacrymæ obortæ, præbuere speciem iam non Regem, sed funus eius uisentis exercitus. Mæror tamen circumstantiam lectum eminebat : quos ut Rex aspexit, Inuenietis, inquit, cum excessero, dignum talibus uiris Regem. Incredibile dictu audituq; in eodem habitu corporis, in quem se composuerat cum admissurus milites esset, durasse donec à toto exercitu illo ad ultimum persalutatus est : dimissoq; uulgo, uelut omni uitæ debito liberatus, fatigata membra reiecit, propiusq; adire iussis amicis (nam & uox deficere iam cœperat) detractum anulum digito, Perdiccæ tradidit, adiectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri iuberent: quærentibusq; his, cui relinqueret regnum: respondit: Ei, qui esset optimus. cæterum præuidere iam, ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. Rursus Perdicca interrogante, Quando cælestes honores haberi sibi uellet : dixit, Tum uelle, cum ipsi felices essent. Suprema hæc uox fuit Regis, & paulò post extinguitur. Ac primò ploratu lamentisq; & planctibus tota regia personabat. Mox uelut in uasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant, ad cogitationes, quid deinde futurum esset, dolore conuerso. Nobiles pueri custodia corporis eius assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra uestibulum regię retinere potuerunt: uagiq; & furentibus similes totam urbem luctu ac mærore compleuerant, nullis questibus omisissis, quos in tali casu dolor suggerit. Ergo qui extra regiam astiterant, Macedones pariter Barbariq;, concurrunt, nec poterant uicti à uictoribus in communi dolore discerni. Persæ iustissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum Regem inuocantes, certamen quoddam mæroris edebant. Nec mæstorum

storum solum, sed etiam indignantium uoces exaudiebantur, tam uiridem & in flore ætatis fortunæq; inuidia deum ereptum esse rebus humanis. Vigor eius & uultus educentis in prælium milites, obsidentis urbes, euadentis in muros, fortes uiros pro concione donantis, occurrebant oculis. Tum Macedones diuinos honores negasse ei poenitebat, impiosq; & ingratos fuisse se confitebantur, quòd aures eius debita appellatione fraudassent. Et cum diu nunc in ueneratione, nunc in desiderio Regis hæsisent, in ipsos uersa miseratio est. Macedonia profecti ultra Euphratem, medijs hostibus nouum imperium aspernantibus, destitutos se esse cernebant: sine certo Regis hærede. sine hærede regni publicas uires ad se quenq; tracturum. Bella deinde ciuilia, quæ secuta sunt, mentibus augurabantur. Iterum non de regno Asiæ, sed de Rege ipsis sanguinem esse fundendum. Nouis uulneribus ueteres rumpendas cicatrices. Senes debiles modò petita missione à iusto Rege, nunc morituros pro potentia forsitan satellitis alicuius ignobilis. Has cogitationes uoluentibus, nox superuenit, terroremq; auxit. Milites in armis uigilabant. Babylonij alius è muris, alius è culmine sui quisq; tecti prospectabant, quasi certiora uisuri. Nec quisquam lumina audebat accendere. Et quia oculorum cessabat usus, fremitus uocesq; auribus captabāt. Ac plerunq; uano metu territi, per obscuras semitas alius alij occurrentes, inuicem suspecti & solliciti ferebantur. Persæ commissio more detonsis in lugubri ueste coniugibus ac liberis, non ut uictorem & modò hostem, sed ut gentis suæ iustissimum Regem desiderio lugebant. Assueti sub Rege uiuere, non alium qui imperaret ipsis digniorem fuisse confitebantur. Nec muris urbis luctus continebatur, sed proximam regionem ab ea, deinde magnam partem Asiæ

cis Euphratem tanti mali fama peruaserat. Ad Darij quo-  
 que matrem celeriter perlata est. Abscissa ergo ueste, qua  
 induta era, lugubrem sumpsit: laceratisq; crinibus, humi  
 corpus abiicit. Assidebat ei altera ex neptibus, nuper  
 amissum Ephestionem, cui nupserat, lugens, propriasq;  
 causas doloris in communi mœstitia retractabant. Sed o-  
 mnium suorum mala Sysigambis una capiebat. Illa suam,  
 illa neptium uicem flebat. Recens dolor etiam præterita  
 reuocauerat. Crederes modò amissum Darium, & pariter  
 miseræ duorum filiorum exequias esse ducendas. Flebat  
 mortuos simul uiuosq;. Quem enim puellarum acturum  
 esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum esse  
 se captas, iterum excidisse regno. Qui mortuo Dario ipsas  
 tueretur, reperisse: qui post Alexandrum respiceret, utiq;  
 non reperturas. Subibat inter hæc animum, octoginta frã-  
 tres suos eodem die ab Occho sæuissimo Regū trucidatos,  
 adiectumq; stragi tot filiorum patrem. E' septem liberis,  
 quos genuisset ipsa, unum superesse. Ipsum Darium flo-  
 ruisse paulisper, ut crudelius posset extingui. Ad ultimum  
 dolori succumbit, obuolutoq; capite assidentes genibus suis  
 neptem nepotemq; auersata, cibo pariter abstinuit & luce.  
 Quinto posteaquàm mori statuerat die extincta est. Ma-  
 gnum profectò Alexandri indulgentiæ in eam, iustitiæq;  
 in omnes captiuos documentum est mors huius: quæ cum  
 sustinuisset post Darium uiuere, Alexandro esse superstes  
 erubuit. Et herculè, iuste æstimantibus Regem, liquet, bona  
 naturæ eius fuisse, uitia uel fortunæ uel ætatis. Vis incredi-  
 bilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitu-  
 do non inter Reges modò excellens, sed inter illos quoq;  
 quorum hæc sola uirtus fuit: liberalitas sepe maiora tri-  
 buentis, quàm à Dijs petuntur: clementia in deuictos: tot  
 regna

regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dono data mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudisq; ut iusto maior cupido, ita ut iuueni, & in tantis admittenda rebus, iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreuerat, Philippum ultus erat: iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia: consilium par magnitudini animi, & quantam uix poterat ætas eius capere solertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus: nec ulla, nisi ex permissio uoluptas: ingentes profectò dotes erant. Vitia fortunæ, Dijs equare se, & cælestes honores accersere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus uenerari ipsum, uehementius quam par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentium mores, quas ante uictoriam spreuerat. Nam iracundiam & cupidinem uini sicut iuuenta iritauerat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, quum plurimum uirtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum à morte reuocauit? quoties temere in pericula uectum, perpetua felicitate protexit? Vitæ quoq; finē eundem illi, quem gloriæ statuit. Expectauere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoq; Oceano, quicquid mortalitas capiebat, impleret. Huic Regi Duciq; successor querebatur. Sed maior moles erat, quàm ut unus subire eam posset. Itaq; nomen quoq; eius, & fama rerum in totum propemodum orbem Reges ac regna diffudit: clarissimiq; sunt habiti, qui etiam minime parti tantæ fortunæ adhaeserunt. Cæterum Babylone (inde enim diuertit oratio) corporis eius custodes in regiam principes amicorum, ducesq; copiarum aduocauerunt.

re. secuta est militum turba, cupientium scire in quem Alexandri fortuna esset transitura. Multi Duces frequentia militum exclusi, regiam intrare non poterant, cum pre-co, exceptis qui nominatim citarentur, adire prohiberet. Sed precarium spernebatur imperium, ac primum eiulatus ingens prolatusq; renouatus est. Deinde futuri expectatio inhibitis lacrymis, silentium fecit. Tunc Perdicca regia sella in conspectum uulgi data, in qua diadema uestisq; Alexandri cum armis erant, anulum sibi pridie traditum à Rege, in eadem sede posuit: quorum aspectu rursus obortæ omnibus lacrymæ integrare luctum. Et Perdicca, Ego quidem, inquit, anulum quo ille regni atq; imperij uires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi reddo uobis. Cæterum quanquam nulla clades huic qua affecti sumus, par ab iratis Dijs excogitari potest: tamen magnitudinem rerum quas egit intuentibus credere licet, tantum uirum Deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, citò repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest, quàm quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominiq; quamprimum iusta soluamus, haud obliti in qua urbe, inter quos simus, quali Rege ac preside spoliati. Tractandum est commilitones, cogitandumq; ut uictoriam partam inter hos de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. Hoc ne uno, an pluribus, in uestra potestate est. Illud scire debetis, militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu. Sextus mensis est ex quo Roxane prægnans est. Optamus ut marem enitatur: eius regnum Dijs approbantibus futurum, quando adoleuerit, interim à quibus regi uelitis, destinate. Hæc Perdicca. Tum Nearchus: Alexandri sanguinem ac stirpem regie maiestati conuenire,

neminem ait posse mirari: cæterum expectari nondum ortum Regem, & qui iam sit præteriri, nec animis Macedonum conuenire, nec tempori rerum. Esse è Barsine filium Regis: huic diadema dandum. Nulli placebat oratio. Itaque suo more hastis scuta quatientes, obstrepere perseuerabant. Iamq; propè seditionem peruenerant, Nearcho peruicacius tuente sententiam. Tum Ptolemæus: Digna prorsus est soboles, inquit, quæ Macedonum imperet genti, Roxanes uel Barsines filius, cuius nomen quoq; in Europa dicere pigebit, maiore ex parte captiui. Cur Persas uicerimus, ut stirpi eorum seruiamus? quod iusti illi Reges Darius & Xerxes tot millium agminibus, tantisq; classibus nequicquam petiuerunt. Mea sententia hæc est, ut sede Alexandri in regia posita, qui consilijs eius adhibebantur, coëant, quoties in commune consulto opus fuerit: eoq; quod maior pars eorum decreuerit, stetur. Duces Præfectiq; copiarum his pareant. Ptolemæo quidam, pauciores Perdiccæ, assentiebantur. Tum Aristonius orsus est dicere, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, uoluisse optimum deligi. Iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui anulum tradidisset. Nec enim unum eum assedisse morienti, sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse cui traderet. Placere igitur, summam imperij ad Perdiccam deferri. Nec dubitauere, quin uera censeret. Itaque uniuersi procedere in medium Perdiccam, & Regis anulum tollere iubebant. Hærebat inter cupiditatem pudoremq; & quo modestius quod expetebat appeteret, peruicacius oblaturus esse credebat. Itaque cunctatus, diuq; quid ageret incertus, ad ultimum tamen recessit, & post eos qui sederant proximi constitit. At Meleager unus è Ducibus, confirmato animo, quem



*Perdiccæ cunctatio erexerat : Nec Dij fuerint, inquit, ut  
 Alexandri fortuna, tantiq; regni fastigiũ in istos humeros  
 ruat: homines certè non fierent. Nihil dico de nobilioribus,  
 quàm hic est : sed de uiris tantũ, quibus inuitis nihil perpeti  
 necesse est. Nec uerò interest, Roxanes filium, quando cũq;  
 genitus erit, an Perdiccã Regem habeatis, cum iste sub tu-  
 tele specie regnum occupãturus sit. Ita q; nemo ei Rex pla-  
 cet, nisi qui nondum natus est. Et in tanta omnium festinatio-  
 ne, non iusta modò, sed etiam necessaria, exactos menses so-  
 lus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum, quem  
 uos dubitatis paratum esse uel subdere? Si mediusfidius Ale-  
 xander hunc nobis Regẽ pro se reliquisset, id solum ex his  
 quæ imperasset non faciendum esse censerẽ. Quin igitur ad  
 diripiendos thesauros discurretis? harũ enim opum regia-  
 rum utiq; populus est hæres. Hæc elocutus, per medios ar-  
 matos erupit. Et qui abeunti uiam dederant, ipsum ad præ-  
 nunciatam prædam sequebãtur. Iamq; armatorũ circa Me-  
 leagrũ frequens globus erat, in seditionem ac discordiam  
 uersa concione : cum quidam plerisq; Macedonum ignotus  
 ex infima plebe, Quid opus est, inquit, armis ciuiliq; bello  
 habentibus Regem, quem queritis? Aridæus Philippo ge-  
 nitus, Alexandri paulò antè Regis frater, sacrorum cere-  
 moniarumq; consors modò, nunc solus hæres, præteritur à  
 uobis. quo merito suo? quid ue fecit, cur etiã gentiũ commu-  
 ni iure fraudetur? Si Alexandro similem queritis, nunquam  
 reperietis: Si proximũ, hic solus est. His auditis, concio pri-  
 mò silentium uelut iussa habuit. Conclamãt deinde pariter,  
 Aridæũ uocandũ esse, mortẽq; meritos qui concionẽ sine eo  
 habuissent. Tum Pithon plenus lacrymarũ orditur dicere.  
 Nũc uel maxime miserabilẽ esse Alexãdrũ, qui tam bonorũ  
 ciuũ militũq; fructu et præsentia fraudatus est. Nomẽ enim*

memoriamq; regis sui tantum intuentes, ad cætera caligare eos. Haud ambigue in iuuenem, cui regnum destinabatur, impensa probra, quæ magis ipsi odium, quàm Arideo contemptum attulerunt: quippe dum miserentur, etiam fauere cœperunt. Igitur non alium se, quàm eum, qui ad hanc spem genitus esset, regnare passuros, pertinaci acclamatione declarant, uocariq; Arideum iubent. Quem Meleager infestus inuisusq; Perdiccæ strenue perducit in regiam, & milites Philippum consalutatam regem appellant. Cæterum hæc uulgi erat uox, principum alia sententia. Equibus Pitbon consilium Perdiccæ exsequi cœpit, tutoresq; destinat filio ex Roxane futuro Perdiccam & Leonatum stirpe regia genitos: adiecit, ut in Europa Craterus & Antipater res administrarent. Tum iusiurandum à singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro. Meleager haud iniuria metu supplicij territus, cum suis secesserat. Rursus Philippum trahens secum, irrupit in regiam, clamitans, suffragari Reipub. de nouo rege paulò antè concepto: robur ætatis experirentur, modò stirpem Philippi, & filium ac fratrem regum duorum sibi metipsis potissimum crederent. Nullum profundum mare, nullum uastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utiq; si noua & breui duratura libertate luxuriat. Pauci Perdiccæ modò electo, plures Philippo quàm sperauerat, imperium dabant. Nec uelle nec nolle quicquam diu poterant, pœnitebatq; modò consilij, modò pœnitentiæ ipsius: ad ultimum tamen in stirpem regiam inclinauere studijs. Cesserat ex concione Arideus principum autoritate conterritus: & abeunte illo conticuerat magis quàm languerat militaris fauor. Itaq; reuocatus, uestem fratris eam ipsam quæ in sella po-

sita fuerat, induitur. Et Meleager thorace sumpto, capit arma, nouiq; regis satelles sequitur. Phalanx hastis clypeos quatiens, expleturam se sanguine illorum qui affectauerant nihil ad ipsos pertinens regnum, minabatur: in eadem domo familiaq; imperij uires remansuras esse gaudebant: hæreditarium imperium stirpem regiam uendicaturam: assuetos se nomen ipsum colere uenerariq; nec quenquam id capere, nisi genitum ut regnaret. Igitur Perdicca territus, conclauem in qua Alexandri corpus iacebat, asseruari iubet. sexcenti cum ipso erant spectatæ uirtutis. Ptolemæus quoq; se adiunxerat ei, puerorumq; regia cohors. Cæterum hæud difficulter à tot millibus armatorum claustra perfracta sunt. Et rex quoque irruerat stipatus satellitum turba, quorum princeps erat Meleager: iratusq; Perdicca, hos qui Alexandri corpus tueri uellent, seuocat: sed qui irruerant, eminus tela in ipsum iaciebant, multisq; uulneratis, tandem seniores demptis galeis quo facilius nosci possent, precari qui cum Perdicca erant, cœpere, ut abstinerent bello, regi q; pluribus cederent. Primus Perdicca arma deposuit, cæteri q; idem fecere. Meleagro deinde suadente ne à corpore Alexandri discederent, insidijs locum queri rati, diuersa regie parte ad Euphratem fugam intendunt. Equitatus qui ex nobilissimis iuuenum constabat, Perdiccam & Leonatum frequens sequebatur, placebatq; excedere urbe, & tendere in campos: & Perdicca ne pedites quidem secuturos ipsum desperabat. Itaque ne abducendo equites abruptisse à cætero exercitu uideretur, in urbe subsistit. At Meleager regem monere non destitit, ius imperij Perdiccæ morte sancientum esse, ne occupetur impotens animus rerum nouarum: meminisse eum quid de rege meruisset. Neminem autem ei

satis

satis fidum esse quem metuat. Rex patiebatur magis quam assentiebatur. Itaque Meleager silentium pro imperio habuit: misitque regis nomine qui Perdiccam accerferent. Iisdem mandatum ut occiderent, si uenire dubitaret. Perdicca nunciato satellitum aduictu, sexdecim omnino pueris regie cohortis comitatus in limine domus sue constitit, castigatosque & Meleagri mancipia identidem appellans, sic animi uultusque constantia terruit, ut uix mentis compotes fugerent. Perdicca pueros equos iussit conscendere: & cum paucis amicorum ad Leonatum peruenit, iam firmiore presidio uim propulsaturus, si quis inferret. Postero die indigna res Macedonibus uidebatur, Perdiccam ad mortis periculum adductam, & Meleagri temeritatem armis ultimum ire decreuerant. Atque ille seditione prouisa, quum regem adisset, interrogare eum cepit, an Perdiccam comprehendendi ipse iussisset. Ille Meleagri instinctu se iussisse respondit. Ceterum non debere tumultuari eos: Perdiccam enim uiuere. Igitur concione dimissa, Meleager equitum maximè defectione perterritus, inopsque consilij, quippe in ipsum periculum reciderat, quod inimico paulo antè intenderat, triduum serè consumpsit incerta consilia uoluen-do. Et pristina quidem regie species manebat. Nam & legati gentium regem adibant, & copiarum duces aderant, & uestibulum satellites armati que compleuerant. Sed ingens sua sponte mœstitia, ultimæ desperationis index erat, suspectique inuicem non adire propius, non colloqui audebant, secretas cogitationes intra se quoque uolentes: & ex comparatione regis noui desiderium excitabatur anxi. ubi ille esset, cuius imperium, cuius auspiciam secuti erant, requirebant. Destitutos se inter infestas indomitasque gentes, expetituras tot cladum suarum poenas

quandocunq; oblata esset occasio. His cogitationibus animos exedebant, cum annunciatur, equites qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babyloniam campis, frumentum quod in urbem inuehebatur, retinuisse. Itaq; inopia primum, deinde fames esse cœpit. Et qui in urbe erant, aut reconciliandam gratiam cum Perdicca, aut armis certandum esse censebant. Fortè ita acciderat, ut qui in agris erant, populationem uillarum uicorumq; ueriti, confugerent in urbem: oppidani cum ipsos alimenta deficerent, urbe excederent, & utriq; generi tutior aliena sedes quàm sua uideretur. Quorum consternationem Macedones ueriti, in regiam cœunt, quæq; ipsorum sententia esset, exponunt. Placbat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia, armisq; ponendis. Igitur à rege legatur Pallas Thessalus, & Antissas Megalopolitanus & Perilaus, qui cum mandata regis edidissent, non aliter posituros arma equites, quàm si rex discordiæ autores dedidisset, tulere responsam. His renunciatis, sua sponte milites arma capiunt: quorum tumultu è regia Philippus excitus, Nihil, inquit, seditione est opus: nam inter se certantium præmia qui quicuerint occupabunt. Simul mementote, rem esse cum ciuibus, quibus spem gratiæ citò abrumpere, ad bellum ciuile properantium est. Altera legatione an mitigari possint, experiamur, & credo nondum regis corpore sepulto, ad præstanda ei iusta omnes esse coituros. Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo, quàm exerce-re ciuium sanguine. Et si nulla alia concordie spes est, oro quæsoq; eligite potio-rem. Obortis deinde lacrymis, diademata detrahit capiti, dextram qua id tenebat, protendens, ut si quis se digniorem profiteretur, acciperet. Ingentem spem indolis antè eum diem fratris claritate suppressam,

ea moderata excitauit oratio. Itaq; cuncti instare cœperunt,  
 ut quæ agitasset, exsequi uellet. Eosdem rursus legat, pe-  
 tituros ut Meleagrum tertium ducem acciperent. Haud  
 egrè id impetratum est. Nam & abducere Meleagrū Per-  
 dicca à rege cupiebat, & unum duobus imparem futurum  
 esse censebat. Igitur Meleagro cum phalange obuiam e-  
 gresso, Perdicca equitum turmas antecedens occurrit.  
 Vtrunq; agmen mutua salutatione facta coit, in perpe-  
 tuum (ut arbitrabantur) concordia & pace firmata. Sed  
 iam satis admonebantur Macedonum genti bella ciuilia.  
 Nam & insociabile est regnum, & à pluribus expeteba-  
 tur. Primum ergo collegere uires, deinde disperserunt, &  
 cum pluribus corpus quàm capiebat, onerassent, cætera  
 membra deficere cœperunt: quod quæ imperium sub uno  
 stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde  
 iure meritoq; populus Romanus salutem se principi suo  
 debere profitetur, cui noctis quam penè supremam habui-  
 mus, nouum sydus illuxit. Huius hercule, non solis ortus,  
 lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite di-  
 scordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit fæ-  
 ces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita  
 serenitate discussit? Non ergo reuirescit solum, sed etiam  
 floret imperium. Absit modò inuidia, excipiet huius secu-  
 li tempora eiusdem domus utinam perpetua, certè diuturna  
 posteritas. Cæterum ut ad ordinem, à quo me contempla-  
 tio publicæ felicitatis auerterat, redeam: Perdicca unicam  
 spem salutis suæ in Meleagri morte deponerat: uanum  
 eundem & infidum, celeriterq; res nouaturum, & sibi  
 maximè infestum, occupandum esse. Sed alta dissimulatio-  
 ne consilium premebat, ut opprimeret incautum. Ergo  
 clam quosdam ex copijs, quib. præerat, subornauit, ut quasi

ignoraret ipse, conquerebantur palam, Meleagrum æquatum esse Perdiccæ: quorum sermone Meleager ad se relato, furens ira, Perdiccæ, quæ comperisset, exponit. Ille uelut noua re exterritus, admirari, queri, dolentisq; speciem ostentare ei cœpit. Ad ultimum conuenit, ut comprehenderentur tam seditiosæ uocis autores. Agit Meleager gratias, amplexusq; Perdiccam, fidem eius in se ac beneuolentiam collaudat. Tum communi consilio rationem opprimendi noxios ineunt. Placet exercitum patrio more lustrari: & probabilis causa uidebatur, præterita discordia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissæ canis uiscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abijcerentur parte. Intra id spatium armati omnes starent, hinc milites, hinc equites, illinc phalanx. Itaque eo die, quem huic sacro destinauerant, rex cum equitibus elephantisq; constitit contra pedites, quæis Meleager præerat. Iam equestre agmen mouebatur, & pedites subita formidine, ob recentem discordiam, haud sanè pacati quicquam expectantes, parumper addubitauerunt, an in urbem subducerent copias: quippe pro equitibus planities erat. Ceterum ueriti, ne temere comilitonum fidem damnarent, sublitere, præparatis ad dimicandum animis, si quis uim inferret. Iam agmina coibant, paruūq; interuallum erat, quod aciem utranq; diuideret. Itaque rex cum una ala obequitare peditibus cœpit, discordiæ autores, quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccæ ad supplicia deposcens, minabaturque, omnes turmas cum elephantis inducturum se in recusantes: stupabantq;, improuiso malo pedites. Nec plus in ipso Meleagro erat aut consilij aut animi. Tutissimum ex presentibus uidebatur, expectare potius, quàm mouere fortunam.

Tum Perdicca, ut torpentes & obnoxios uidit, ccc. ferre qui Meleagrum erumpentem ex concione, quæ prima habita est post mortem Alexandri, secuti erant, à cæteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus obijcit, omnesq; beluarum pedibus obtriti sunt, nec prohibente Philippo, nec autore: apparebatq; id modo pro suo uendicaturum, quod approbasset euentus. Hoc bellorum ciuiliam Macedonibus & omen & principium fuit. Meleager, serò intellecta fraude Perdicæ, tum quidem quia ipsius corpori uis non afferebatur, in agmine quietus stetit: at mox, damnata spe salutis, cum eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentis uideret inimicos, confugit in templum: Ac ne loci quidem religione defensus occiditur. Perdicca, perducto in urbem exercitu, concilium principum uirorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, ut rex quidem summam eius obtineret. Satrapes Ptolemæus Aegypti & Africæ gentium, quæ in ditione erant. Laomedonti Syria cum Phoenice data est. Philotæ Cilicia destinata. Lyciam cum Pamphylia & maiore Phrygia obtinere iussus Antigonus. In Cariam Cassander, Menander in Lydiam missi. Phrygiam minorem Helleffonto adiunctam, Leonnati prouinciam esse iusserunt. Cappadocia Eumentis cum Paphlagonia cedit. Præceptum est, ut regionem eam usque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Arbate gereret. Solus hic detrectabat imperium. Pithon Mediam, Lysimachus Thraciam, appositasq; Thraciæ ponticas gentes obtinere iussi. Qui Indiæ, quiq; Baëtris & Sogaians, cæterisq; aut Oceani aut rubri maris accolis præerant, quibus quisque finibus habuisset, imperij etiam ius obtineret. Decretum est, ut Perdicca cum rege esset, copijsq; præesset, quæ regem seque-



bantur. Credidere quidam, testamento Alexandri distributas esse provincias. Sed famam eius rei (quanquam ab autoribus tradita est) uanam fuisse comperimus. Et quidem suas quisque opes, diuisis imperij partibus tuebantur, quas ipsi fundauerant, si unquam aduersus immodicas cupiditates terminus staret. quippe paulò ante regis ministri, specie imperij alieni procurandi, singuli ingentia inuaserant regna, sublatis certaminum causis, quum & omnes eiusdem gentis essent, & à ceteris sui quisque imperij regione discreti. Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio: quippe sordent prima, cum maiora quæque sperantur. Itaque omnibus expeditius uidebatur augere regna, quam fuisset accipere. Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio, curis omnium ad formandum publicum statum à tam solenni munere auersis. Et non alijs quam Mesopotamiæ regioni feruidior æstus existit, adeò ut pleraque animalia, quæ in nudo solo deprehendit, extinguat. Tantus est uapor solis & cœli, quo cuncta uelut igne torrentur. Fontes aquarum & rari sunt, & incolentium fraude celantur. Ipsis usus patet, ignotus est aduenis. Ut tandem curare corpus exanimum amicis uacauit, nulla tæbe, ne minimo quidem liuore corruptum uidere, qui intrauerant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat uultum. Itaque Aegyptij Chaldæique iussi corpus suo more curare, primò non sunt ausi admouere uelut spiranti manus. Deinde precati, ut ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgauerunt corpus: repletumque est odoribus. Aureum solium, & capiti adiecta fortunæ eius insignia. Veneno necatum esse credidere plerique, filium Antipatri inter ministros Iollam nomine patris iussu dedisse. Sæpe certè audita erat uox Alexandri, Antipatrum regium

regium affectare fastigium, maioremq; esse præfecti opibus, ac titulo Spartanæ uictoriæ inflatum, omnia à se data asserentem sibi. Credebant etiam Craterum cum ueterum militum manu ad interficiendum eum nissum. Vim autem ueneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat. ungulæ iumentis duntaxat patiens esse constat. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum iarus emanat. Hoc per Cassandrum allatū, traditumq; fratri Iolli, & ab eo supremæ regis potioni inditum. Hæc, utcūq; sunt tradita, eorum quos rumor asperserat mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniae Antipater, & Græciam quoque inuasit. Soboles deinde excepit, interfectis omnibus, quicumque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant. Cæterum corpus eius à Ptolemæo, cui Aegyptus cesserat, Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam translatum est, omnisq; memoriæ ac nomini honos habetur.

FINIS.

## ANGELVS COSPVVS

IACOBO BANNISSO A'

secretis Maximiliani

Cæsaris. S.



ESSE tibi meritò nobiscum expostulādi locus, quòd anno proximo, quum dies plusculos in hac urbe moratus fueris, nullam familiaritatis simul contrahendæ curam habuerim, non ignorans, quanto emolumento & honori ea mihi esse posset amicitia. Quid enim decorum & commodum magis, quàm uiro omni humanitate, & summa eloquentia

ornato,

ornato, prudentiæ autem tantæ, ut Princeps sapientissimus multos iam annos secretiorum curarum suarum participem esse uoluerit, probatum & charum haberi: Non tuebor causam meam secus, quàm res se habeat. Fuit Cæsaris, Regum, Ducum, Antistitū & aliorum procerum, insignis adeò conuentus ille, ut prolixiori longè tempore his solis quæ præcipua erant, cognoscendis opus fuerit. Quum itaq; aliqua introspicere, plurima omittere necessarium mihi esse uiderem: feci quod pleriq; omnes, speciosa & succata ueris honestisq; prætuli. Neq; id prorsus sine ratione contigit: quandoquidem facilius apud uirum bonum, quàm cum ambitioso excusari possumus. Tu equi bonisq; consules negligentiam nostram, præcipuè quum munere (ut reor) non ingrato eam redimere sim paratus. Libris duobus de Alexandro & Philippo adiunxi uitam magni Alexandri, uersam ex Io. Monacho: quòd Diodorus ea tantum, quæ regni tempore & illustriora rex ille gesserit narrat: sint autem in primis annis, atq; extra rem bellicam, non pauca eius memoratu digna, quæ summo cum delectu Monachus (ut uitam scribentem decuit) non præteriuit. Innumere penè res in compendium hic ab eo scriptore collectæ sunt: ut, quod Phauorinus de Lysia, id nos de Monacho non incommode possimus dicere: Si uerbum de eius oratione amoueris, sententiam imminues. Tibi uerò libellum hunc dicauimus, uti amicitie inita pignus legentibus meæ erga te obseruantie sit testimonium: rerum autem, quas multas legisti & expertus es, memoriam uel imaginem citra temporis detrimentum tibi subministret. Partes tuæ erunt, munus ex autore, non interprete, pretiosissimum libenter suscipere, existimareq; animum meum, cuius fructum hunc in præsens accipis, tibi esse deuinctam maxime. Vale.

# ALEXANDRI

MAGNI VITA, IOANNE MO-

NACHO AVTORE, ET AN-

gelo Cospo Bononiensi

interprete.



**HILIPPI** Macedoniae regis ex Olympiade uxore filius fuit Alexander: licet fabuloso quodam commento traditum sit à nonnullis Hamnone, (ita Iouem nuncupant) qui sub serpētis specie cum matre consuetudinem habuerit, eum genitum fuisse: quod

totum procul est à ueritate. Olympias sanè priori nocte, quàm cum Philippo rem haberet, in quiete existimauit fulmen in uterum suum decidere, unde ignis excitatus & circunquaque diffusus sit. Iam uerò inito matrimonio, Philippus per somnium sibi est uisus notam uxoris uentri imprimere, reddidissèq; ita impactam Leonis effigiem. Id ipsum uates alij aliorsum interpretando trahabant. Aristander futuram mulieris partitionem illud dixit portendere, quòd inanibus rebus signa non effigerentur. Animi autem ingentis ac leonina natura ipsum fore puerum qui nasceretur. Eo die est ortus, quo Dianæ templum incensio conflagrauit. Tunc Magi, qui fortè aderant in eo ædis casu, discurretes, cladem, & graue infortunium toti Asiæ diem eum peperisse dictabant. Erat Alexãdro color albus, rubro tamè suffusus, præcipuè in pectore & uultu. E' mēbris atq; ore suauis quædã reddebatur fragrantia, quòd nimirum de caliditate ipsa proueniebat, qua præditū corpus & ignis instar seruēs humida omnia absuuebat, neq; putridū aliqd ad superiora redunda

*redundare patiebatur. Dedit autem à primis annis nonnulla constantis ingenij indicia. Celer enim cursu, interrogatus à quibusdam, num decertandi in Olympico stadio conditionem acciperet. Certe, inquit, si cum Regibus mihi certamen ineudum fuerit. Si quando uerò insignem quampiam urbem captam à patre, aut in praelio eum uictorem fuisse audiuerat, subtristis, equalibus suis dicebat: Nullam (ut uideo) occasionem mihi relinquet pater nauandi uobiscum illustre aliquod facinus. Quunq; Philippo equus Buccephalus æstimationis talentorum tredecim adductus fuisset, neq; Rege inspiciente sessorem quempiam, aut etiam uocem pati uoluisset, ac propterea inutilis prorsus iudicaretur, Qualem, inquit Alexander, equum (quum eo uti nesciant) isti reiiciendum arbitrantur? Commotus pater ei dixit: Ecquid tu illo uti posses? Is respondit: Commodius utiq; quam hi faciant, equam hunc tractauerim. Accedens que habena comprehendit atque equum contra solem fecit consistere, quòd eum ex umbræ motu, quæ oculis obuersabatur, consternari animaduertat. Tunc demulcto paululum animanti, saltum arripiens, insedit: progressusq; leni passu, nonnihil in cursum eum concitauit: quæ res sollicitudinem inspicientibus iniecit. Sed postquam audacter & cum gaudio conuerti uisus est, qui cum Philippo erant acclamationibus, at Philippus lachrymis præ letitia effusus filium est prosecutus: eumq; deosculans, Idoneum, inquit, & tibi compar regnum fili inuenias, non enim Macedonia tui est capax. Erat Alexandri ingenium, iussis & præceptis parum audiens: cæterum si rationes & apti ad persuadendum sermones adhiberentur, pronum ualde ad assentiendum. Operam dedit Aristoteli, non tantum in moribus & ciuilibus studijs, sed & secretioribus disciplinis,*

quas paucis impertiebantur, uocabantq; spectatiuas atque  
 auscultatorias. Circunferuntur eius literæ ad Aristotelem:  
 Haud rectè fecisti, quum auscultatorios libros ædideris.  
 Qua enim re alijs præstabimus, si quibus disciplinis insti-  
 tuti fuimus, iam omnibus eæ sint factæ communes? Rescri-  
 psit ille, ædidisse se & non ædidisse: quòd licet palam es-  
 sent, obscuritatis tamen plurimum haberent, ut difficulter  
 percipi possent. In Medicina non tantum, quæ speculationi-  
 nis, sed & quæ in actu ipso uersantur attingit. Iam uerò an-  
 nos sexdecim natus, cum pleraq; prudentiæ & fortitudi-  
 nis experimenta ædidisset, à patre uehementer diligebatur.  
 Sed quum præter ætatem amoribus indulgeret Philippus,  
 proptereaq; zelotypia & summa indignatio ureret Olym-  
 piadem, Alexander graueis cum patre suscepit alterca-  
 tiones. Anno demum ætatis uicesimo, successit in regnam  
 Macedoniæ, post parentis obitum interempti à Pausania.  
 Et quum initio tumultus undique contra eum exorti essent,  
 audacia & animi constantia incredibili citissimè motus  
 omneis compressit. Urbem Thebas & cœpit & euertit.  
 Athenienseis pace data sibi conciliauit. Quo tempore  
 Timocleam Thebanam insignem fœminam Thracius qui-  
 dam dux illata ui dicitur constuprasset. Quumq; post id  
 eam posceret pecuniam, solus à muliere ad puteum sedu-  
 ctus fuisset, in quo diceret pretiosiora rerum suarum occul-  
 tari. Ducem igitur super os putei spectandi causa decli-  
 natum, illa in profundum detrusit, superneq; iniectis la-  
 pidibus oppressit. Ob id facinus, adductam ad se in uinculis  
 fœminam, percunctatus est Alexander, quæ nam esset?  
 Ea imperterrita Theagenis, inquit, sum soror, qui contra  
 Philippum electus imperator, fortiter pugnans pro Græ-  
 ciæ libertate, occubuit. Magnanimitatem mulieris &

constant

constantiam admiratus Alexander, liberam eam cum filijs dimisit. Profectus autem ad Sinopensem, Diogenem, qui prope Corinthum degebat, eum se in sole fouentem inuenit, atque hominem salutatam rogauit, num rei cuiuspiam indigeret? Ille se Solis radio dixit indigere, proinde orauit, ut secederet, quo melius eo frui posset. Discedente illinc Alexandro, comites eius Diogenem irridebant. At ipse illius contemptorem animum non sine magna admiratione secum cogitans, Nisi essem, inquit, Alexander, Diogenes omnino essem. Inica expeditione contra Persas, prius quam classem conscenderet, amicis, huic quidem agros, alteri pagum, alijs uestigia alia est dilargitus. Tunc Perdicæ interroganti, quidnam sibi retineret? Spem, respondit Alexander. Transgressus Hellespontum, inuenit Darij præfectos cum ualidis copijs consedisse ad flumen Cranicum, ut transitu eum prohiberent. Macedones non mediocri timore sunt correpti, ex fluminis altitudine, ac rapiditate, & super hæc ex imposito hostium præsidio. Verum ipse acceptis alis tredecim equitum, in fluuium ipsum irrupit, cum eo, cum hostibus, atq; ipsis ripis, quæ & altæ & precipites erant, decertaturus, ut furiosi potius quam boni imperatoris facinus illud fuisse uideatur. Igitur in ipso traiectu, non dispositis ordinibus, pugnare est coactus, ac multis eum petentibus, quòd armis insignibus erat conspicuus, sæpius quidem est ictus, non tamen uulneratus. Inter alios quum gladio quidam eum grauius in galeam percussisset, adeò uis illa ualuit, ut disiecta galea capilli eius perstricti fuerint. Dum ita acriter prælio contenditur, Macedonicæ copię aquam transmiserunt, neq; amplius Persæ resistentes sese in fugam coniecerunt. Ab hac pugna magnum felicitatis incrementum factum est rebus Alexandri. Sardis

enim protinus, ac alia quædam obtinuit. Deinde ad maritima conuersus recepit Pamphyliam, Ciliciam, Pisidiam, Phrygiam. Paphlagonas etiam Cappadocasq; in ius suum traxit. Darius uerò Susis cum millibus hominum sexcentis discessit contra Alexandrum, copiarum suarum multitudini præfusus, atque audentior factus. postea quàm Alexandrum moram trahere in Cilicia audiuerat, id quod ipse ob timiditatem fieri existimabat. Sed eius rei causa fuerat ægrotatio, in qua curanda quum spem omnem reliqui medici abieciissent, unus Acarnan Philippus, medicamentis Alexandrum iuuare est aggressus. Interim à Parmenione missæ literæ regem commonebant, magnis muneribus & promissis Philippum à Dario corruptum fuisse, uti eum interimeret. Redditas literas Alexander legit, nec alicui monstratas penes se retinuit. Quumq; Philippus medicatam potionem in calice attulisset, intrepidus Alexander eam recepit, & Parmenionis epistolam medico legendam dedit. Atque ille quidem bibens, hic autem legens, alter alterum intuebatur: Alexander ameno ac hilari uultu, Philippus consternato ac pleno anxietatis. Properabat summo studio Darius in Alexandrum, ueritus (ut dicebat) ne hosteis effugerent. Tunc Amyntas Macedo, qui transfuga apud eum erat, Bono animo, sis inquit, ô Rex, non enim Alexander fugiet, sed iamiam contra te, quantum potest, contendit. Commissum est prælium ad Issum Ciliciæ, ubi Alexandro ad uictoriam obtinendam, locorum angustie magno adiumento, sed maiori longe fuit egregia uirtus sua imperatoria, qua prudentissimè usus, dum inter primos dimicabat, gladio femur est uulneratus. Ab hac tam insigni uictoria haud potuit Dareum fugientem capere, sed currum & arcum eius recepit. Macedones hostium castris direptis,

Darei



Darei tabernaculum cum famulatu, opibus, & omni apparatu regio, intactum Alexandro seruarunt. Deinceps quum matrem, uxorem, & duas Darei filias adduci, ac uiso Darei arcu in maximos ululatus eas, interfectum Dareum ratas prorupisse, Alexandro significatum esset, ad eum nuncium rex animo affectus, quanta esset fortunæ inconstantia, secum reputauit, ac quendam ad mulieres misit, qui diceret Dareum uiuere, eisq; triste nihil timendum esse, quandoquidem non hostis loco Dareum habebat, sed cum eo de principatu contendebat. Seruientium numerum, qui prius erant, integrum eis retinuit, neq; ipsas uoluit conspiciere. Indignum aliquid aut pati aut uereri eas non permisit. Potitus uictoria ad Issum, Damascum, in qua Dareus & Persæ pecuniæ impedimentorumq; uim magnam reliquerant, Cyprum deinde ac Phœniciam totam, Tyro excepta, per deditionem obtinuit. Tyrus expugnata est, ubi occupato ei somnia duo apparuerunt. Visus est primò Hercules appellans eum de mœnibus manu suscipere. Species altera ostendebat Satyrum ei adludentem, quem quum manibus apprehendere conaretur fugientem, ultrò tandem ipsius manus profectum reciperet. Somnium hoc ita expositum, est, ut facta nominis diuisione, diceretur, Sa, id est, tua Tyrus erit. Inde cum magnam Syriæ urbem Gazam inuasisset, lapide humerum percussus, eam expugnauit. Superata autem Aegypto, tactus est desiderio extruendi in regione ea Græcarum urbem, quam de suo nuncuparet nomine. Iamq; locum designauerat, quum dormienti ei canus & senex uir quidam Homero consimilis adstare, & uersus hosce recitare existimatus est:

Insula quin etiam undoso iacet equore ponti  
Aegypto prætenta, Pharon quam nomine dicunt.

Exper

Experrectus igitur confestim ad Pharon uisendam con-  
 tendit, lociq; opportuno situ delectatus, urbem ibi condi-  
 dit, aggereq; insulam continenti iunxit, cuius positum a-  
 ptissimum cum summopere adamasset, illud dixisse, tra-  
 ditur, Homerum in rebus alijs magnum, insuperq; sapien-  
 tem fuisse architectum. Suscepto uerò itinere ad templum  
 Hammonis, intrauit in terram quandam arenosam, &  
 aque egentem. Ibi felicitas illa, quæ in rebus omnibus ei  
 obsequens erat, uie difficultatem mitigauit. Oborta siqui-  
 dem ingenti pluuia, sitis periculum depulsum, & madesca-  
 ta arena, uti coacta resideret, aër temperatior redditus  
 est. Turbatis etiam semitæ indicijs quum duces aberrar-  
 ent, superuolantes corui ad rectum iter eos duxerunt. Et  
 si qui è numero comitum tardius euntes derelicti fuerant,  
 ut noctis aduentu impedirentur, eos quò contendere de-  
 berent, crocitu commouerunt. Emenso ita Alexandro  
 uarias itineris difficultates, ac delubrum Hammonis ingre-  
 denti occurrit sacerdos, qui Græco sermone regem allo-  
 qui cupiens, Barbarè extremum uerbum enunciauit: di-  
 cturus enim *παυλιος*, id est, filiule, perperam *παυλιος*  
 protulit, quod iouis filium significat. atque hic error opi-  
 nionem eam multis indidit Alexandrum Deo genitum  
 fuisse, cum rumoribus illud passim iactaretur, cum à sa-  
 cerdote filium iouis esse nuncupatum. Ipseq; inter Barba-  
 ros diuinam originem præ se ferebat, adeò ut mater Olym-  
 pias dicere consueuerit: Haud cessabit Alexander me Iu-  
 noni per calumniam deferre? Temperabat sibi tamen ab  
 eiusmodi ostentatione cum Græcis hominibus, & aliquan-  
 do sauciatus, quum sanguis flueret de uulnere, Huiusmodi,  
 inquit, cruor non mittitur è Deorum immortalium corpo-  
 ribus. Quum uerò Darius ei talenta decem millia in suo-

rum redemptionem, insuperq; eas omnes terras, quæ intra Euphratem essent, & filiarum alteram in matrimonio cum amicitia sua per literas offerret, Parmenio, Si ego, inquit, essem Alexander ea acciperem, ille addidit per Iouem & ego, si essem Parmenio. Darioq; si ad se ueniret, nihil humanitatis ei denegatum iri rescripsit. Eunuchus quispiam uxoris Darij aufugerat, incolumisq; ad dominum perueniens, de reginæ morte, quæ ex partu obierat, quum certiozem reddidit, qui in luctum uersus, uxoris sortem, quæ non tantum captiua, sed & regio sanere fuisset priuata, cœpit lamentari. Huic spado: Non inde, inquit, anxius sis, quoad enim uixit ea, tuaq; mater & liberi, incommodum nullum sunt perpeffi, ac moriens proximè domina summo cum honore est sepulta, neque in eo officio hostium caruit lachrymis. Ad hæc eunuchi uerba Darius obsecantum aliquid ueritus, hominem seduxit, & sibi uti diceret, num Alexandri erga uxorem suam affectus quispiam uenerius fuisset, iureiurando obstrinxit: qua enim ratione alia inimicum & iuuenem uirum mulieri honoris tantum impendere potuisset? Ille meliora, inquit, ò Domine loquaris, neque uxorem tuam probro eiusmodi deturpes, ac ipsi Alexandro calumniam impingas: certè qui plus continentia in Persicas mulieres, quàm fortitudinis contra uiros Persas præstitit. Modestiaq; & uirtutibus alijs Alexandri expositis, iuramento quæ dixerat confirmauit. Ibi Darius, uti sibi facultas remunerandi hostem pro tot acceptis erga suos beneficijs concederetur, quod si non posset, ne alius, quàm Alexander Cyri solio potiretur, precibus à Dijs optauit. Iam uerò omni eo tractu, qui est intra Euphratem, potitus Alexander castra mouit contra Dariam, cuius copie erant decies centum millium hominum,

minum. Quumq; alteri alteris in conspectum uenissent, superueniente nocte, quicquid spatij erat inter bina castra lucebat ob igneis innumeros Barbarorum, ac mirificus tumultus ex tanto hominum numero sentiebatur. Proinde Parmenio, & alij regij amici, ea multitudine perterriti, Alexandro consulebant, uti noctu in Barbaros inuaderet: haud enim, si aperto Marte comminus pugnandum foret, tanti exercitus uim sustineri posse. His Alexander respondit: Sibi non esse in animo uictoriam furari. Ac sequenti die praelio commisso ad Arbela, ut quidam, ut uero alij sentiunt, ad Gangamela, Barbari pedem coeperunt referre, instantesq; Macedones eos urgebant. Tunc Alexander uiso Dario, qui in eminentiori curru fortissimè resistebat, equitesq; plurimos & insignibus armis instructos, circum se habebat, in eam partem fugientis Persas compellere instituit, adeo, ut qui firmo gradu pugnam sustinebant, perturbati, atque eorum magna pars loco cedere coacti fuerint. Multis igitur iuxta Darium interemptis, cum frequentia cadauerum, regius currus quoquam impelli haud posset, Darius eò desiliens foemina equam inscendit, atque ita aufugit: ac, nisi Parmenio insequentem Alexandrum reuocasset, uti cornui, cui præerat, laboranti subsidio ueniret, quin caperetur, nullo pacto uitaasset. Per hanc insignem uictoriam Alexandri, Persarum imperium prorsus subuersum, ipseq; Alexander Asiae rex est declaratus, cui tota regio Babylonia cecidit. Susis autem positus, quadraginta millia talenta, signatæ pecuniæ aliarumue opum inexplicabilem numerum in regia inuenit. Progressus uictor in Persidem tantundem numorum ibi reperit. Diuitiarum, quas præterea adeptus sit eam uim tradidit, ut mularum iugis decem millibus, & quinq; millibus

*camelis exportatæ fuerint. Incendit post hæc regiam ipsam, subito que pœnitentia affectus, uti ignis extingueretur imperavit. Quunq; natura munificus esset, rebus suis plurimum auctis, magis longè quàm prius soleret, liberalitate utebatur. Animaduertens autem familiaris suos delicijs indulgere, ac ipso in victu esse prelauros, modestè eis obloquebatur: se inquiring admirari, quòd facta comparatione vitæ Persarum ad eam, quam ipsi ducerent, non hætenus nouissent. Seruile uoluptatibus se dedere, laboribus autem exerceri rem esse principibus dignam. Atque ipse quidem nihilo animum remittens, semper in expeditione aliqua, aut uenando, difficultatibus omnibus insuebat: quæ res amicis parta opulencia molliter frui cupientibus, & illum sequi coactis molestissima, faciebat ut maledictis eum incessere non uererentur. Sed enim æquo animo ferebat inuicem suorum obloquutiones: Regium esse dictitans benemerentem insimulationes sustinere. Postea uerò pluribus calumnijs adeo est irritatus, ut insensum, ac prorsus inexorabilem aduersus obtrectatores se exhibuerit. Solebat etiam antea, siquando capitalem causam cognosceret, manu aurem alteram obstruere, ueluti reo intactam atque accusationis totius expertem seruaturus. Adsumpserat secum tria millia armatorum, Dareumq; persequi instituit, ac multorum dierum iter progressus, ob uicæ asperitatem, & aquæ indigentiam, plerosque suorum amisit. In eâ profectioe quum Macedonas quosdam aquam utribus deferentibus obuios habuisset, galeam illi aqua impleuerunt, regi que nimia siti confecto porrexerunt. Accepit Alexander galeam, comitesq; uno obtutu in se uersos considerans, haud uoluit bibere, reddensq; galeam ijs qui dederant, Si ego, inquit biberem, quantum hî  
animo*

animo frangerentur? Pergens tandem, hosteis affectus  
 est, inq; eorum castra irrumpens, uti Darium caperet, o-  
 mni studio contendebat. Ille autem multis uulneribus con-  
 fessus, iacebat in curru, iamque deficiens aquam poposcit,  
 quam allatam postquam bibit Polystrato, qui eam obtulerat,  
 hoc meæ infelicitatis, inquit, extremum est, quod bene  
 habitus tibi gratiarum nihil possum rependere. Verum  
 idipsum ab Alexandro debes expectare. Ei autem ob sum-  
 mam clemētiam, qua in matrem, uxorem & liberos meos  
 usus est, Dij gratias referent. Atque inter dicendum ani-  
 mam efflauit. Mortuo quum Alexander superuenisset,  
 chlamydem suam ei iniecit, regioq; cultu ornatum cada-  
 uer ad matrem misit. Bessum qui eius necis autor fuerat,  
 illo modo discerpsit: Reclinatis ui duabus arboribus homi-  
 nem alligari, eas demum mitti iussit, uti ad naturalem sta-  
 tum ualido cum impetu redeunte utraque, ille in diuersa  
 auelleretur. Ingressus autem Hyrcaniam, quum Barbari  
 quidam iuxta Hyrcantum mare, quod & Caspium dicitur  
 habitantes, Bucephalum equum eius arripuissent, missis  
 nuncijs minatus est, nisi equum sibi remiserint, totam eo-  
 rum gentem internecone occisum iri. Illi equum reduxe-  
 runt, atque seipsos regi dederunt. Hinc in Parthiam ca-  
 stra mouit, ubi primum Barbaricam uestem induit, adhi-  
 bito temperamento, ut Medorum habitu molliorem, Per-  
 sarumq; magis uirilem adsumeret, cuius rei aspectu Macedo-  
 nes non parua molestia affecti sunt. E captiuorum mul-  
 titudine triginta nullia omnes adollescentis selegit, iussitq;  
 uti Græcas literas docerētur, & Macedonica instrueren-  
 tur armatura. Rhoxanen uenustatis egregiæ fœminam  
 quum adamaret, haud alias, quàm legitimo instituto eius  
 consuetudine uti uoluit. Inter amicos regios cum Hephæstio

nouam eius habitum ualde commendaret, ipseque itidem uestitum mutasset, eum φιλαλέξανδρον, (id est, Alexandri amicum) Craterum autem, qui patrijs uestimentis uti omnino perseueraret, φιλοβασιλέα, regis amicum uocabat: atque hoc quidem, si Macedones aut Græci alloquendi essent. Illo autem in Barbarorum negocijs utebatur, Philotam uerò Parmenionis filium insolescentem ea opinione, tanquam rerum, quas feliciter gessissent Macedones, ipse & pater autores fuissent, atque Alexandrum appellatione adolescentis eleuantem, quum præterea sibi insidias moliri percepisset, interfecit. Ac missis quibusdam in Mediam, Parmenionem, qui ibi erat, occidi curauit. Et Clitum unum ex amicis, quum poemata quædã in duces quosdam à Barbaris nuper superatos fuissent decantata, ac animo libenti ea Alexander audiuiisset, commotum indignatione, nimiaque procacitate & temulentia se effèrentem, ac grauibus conuitijs ei obloquentem, poma coniecto primum percussit. Quum que ille impudenter per summam audaciam prouerberetur, & Euripidis iambica enunciaisset, Heu quàm mali nunc Græciæ mores nocent, & reliqua: ira inflammatus Alexander, telo confòssum eum interemit. Statim uero animo sedato poenitentia correptus sibi ipsi uim intulisset, nisi à stipatoribus retentus, atque in cubiculum portatus fuisset. Ibi noctem, diemque sequentem totam in luctu transiit, ac nullo ædito uerbo, tanquam elinguis iacebat, tantummodo profundissimis suspirijs æstuans amicorum ad se accedentium sermones nullo pacto auscultare poterat. Tandem quum Aristander uates speciem, quam de Clito uiderat, aliaque signa sibi cognita ei narrasset, docuissetque fato id ipsum, quod fecerat, euenisse, leniri cœpit. Intraturus autem in Indiam, quum sarcinis currus onerati fuissent, suis primo,

primo, deinde amicorum, ignem iniecit. Postea Macedo-  
 num omnium curus incendi iussit: quod ipsum pauci ini-  
 quius tulerunt, reliqui cum clamore & ueluti diuino affla-  
 ti spiritu, ad eam rem patranda exiuerunt, unde alacri-  
 tatis multum Alexandro ad sumendam expeditionem ad-  
 ditum est. Iam uerò suis erat terribilis, & in eos qui deli-  
 quissent, absque aliqua clementiæ spe animaduertebat. Igi-  
 tur in prælijs committendis frequenter pericula & gra-  
 uia sustinuit uulnera, magnusq; militum numerus ex re-  
 rum necessariorum inopia & aeris intemperie perditus  
 est. Ipse summa præditus audacia, nihil audentibus inex-  
 pugnabile, nihil timidis tutum satis arbitrabatur. Quum  
 præruptam quandam petram expugnare adortus esset: mi-  
 litem, cui Alexandro erat nomen, appellans, Te, inquit,  
 ob eiusmodi nomen strenuè dimicare opus est. Macedonas  
 profundum fluuiam uerentes transire conspiciatus: Quis  
 ego, inquit, pessimus natate haud didicisti? Missi erant lega-  
 ti à ciuitatibus, quas premebat obsidione. In his natu gran-  
 dior, Acuphis nomine, interrogauit, quid nam agere de-  
 berent, quo ei gratificarentur, quum Alexander respon-  
 disse, Principem te eligant, mittantq; ad me optimos cen-  
 tum uiros. Addidit Acuphis ridens: Commodius, o rex, ego  
 imperaero, si ad te nequissimos, non optimos miserim. Im-  
 perabat Taxiles Indiæ parti uberrimæ iuxta ac amantissi-  
 mæ, quæ nihil Aegypto ipsi cederet. Is sapientia præditus  
 per legatos Alexandrum salutauit, Quid ue, ait, nobis o-  
 pus est bello, si nec aquæ neq; necessarij cibi austrendi gra-  
 tia ad nos uenisti? In reliquis, si ego potior sum, non recu-  
 so, quin beneficijs te prosequar: sin inferior, paratus sum  
 uti gratias tibi agam eorum, quæ in me contuleris. Hi-  
 sce permulctus Alexander, Tecum, respondit, contendo



atque decerto de ipsis gratijs : ne, quum sis bonus, melior  
 me fuisse uidearis. Acceptisq; multis muneribus plura lon-  
 ge reddidit. Nouissimè mille talentum pecuniam ei dona-  
 uit. Data uerò ciuitati cuidam Indiæ pace, abeuntes illinc  
 mercenarios milites, qui Indorum fortissimi existimaban-  
 tur, omneis interemit : quæ res magnis eius rebus belli ge-  
 stis, notam quandam inuissit. Deinde motis contra Porum  
 castris, qui & ipse in parte Indiæ regnabat, ac corpore cu-  
 bitorum quatuor, & palmi unius magnitudinem explebat,  
 eum superauit atq; uiuum cepit. Quumq; interrogasset, quo  
 nam modo ab se haberi deberet. Respondit ille, Regiè Per-  
 cumstanteq; Alexandro, num quidpiam aliud diceret : O-  
 mnia, dixit Porus, insunt uerbo huic, Regiè. Eum itaq; libe-  
 rauit, iussitq; sub præfecti appellatione uti imperaret non ijs  
 tantum, quæ habuerat, sed & alijs multis. In hac pugna  
 Bucephalus uulneratus post aliquot dies deceßit, cum iam  
 esset grandior natu : eaq; res non minori dolore Alexan-  
 drum affecit, quàm si necessarium quempiam amisisset.  
 Experti uerò Macedones quanto cum periculo aduersus  
 Porum decertassent, Alexandro fluiuium Gangem transi-  
 re deliberanti, audientes esse noluerunt. Fluminis eius la-  
 titudo stadia duo & triginta perficit, altitudinis autem est  
 ulnarum centum. Rex inde plurimum commotus intra  
 tabernaculum, ut in publicum nunquam prodiret, se con-  
 tinebat, perinde ac si uictus fuisset, quòd Gangem nõ traj-  
 ceret, haberi existimans. Amici tunc eum uarijs sermoni-  
 bus solari, ac milites maximo cum fletu deprecari coepe-  
 runt, donec exoratus copias reducere instituit, extructaq;  
 nauium ac ratiuum ui magna, Oceanum inuisere cupiens, eò  
 per flumina navigationem iniiuit, obiter ue urbeis nonnul-  
 las occupauit. Peruenerat ad Mallos, quæ gens Indorum  
 omnium

omnium est bellicosissima, ibi parum absuit quin interimeretur. Primus nanque per scalam murum inscendens, ea diffracta, ac hostibus undiq; ei ingruentibus, & tela conijcientibus, ex superiori loco in medium hostium desiluit, casuq; rectus constitit. Ad eius rei aspectum Barbari initio perturbati sunt: sed postea quum eum, duosq; tantum adiutores ibi esse conspicerent, conuersi oppugnare, ac missilibus eos eminus conficere aggressi sunt. In his unus, qui procul stabat, sagitta arcu missa Alexandrum petens, ossibus sub mamilla eam infixit, adeoq; introrsum uulnus penetravit, ut se demisso corpore inclinare rex coactus fuerit. Barbarus qui ictum intulerat, ense stricto adcurrit. Peucestas atque Lénæus, cum Regem suum defendere conarentur, uulnerati ambo, hic quidem est interfectus, Peucestas uerò perstitit in pugna. Alexander suis manibus eum, à quo ictus fuerat, interemit. Sed quum iam multis sauciatus uulneribus, nouissimè inflicto malleo in ceruice grauiter cæsus fuisset, muro sese acclinauit, atque ita Barbaros intuebatur. Interea Macedones multi superuenerant, qui eum sensibus destitutum ui receperunt, retuleruntq; in castra. Infixa ossi sagitta quum extraheretur, dolores acutissimos, ac animi defectum passus est, adeò ut mortem obiisse creditus sit. Tandem periculo liberatus, quum in multum temporis curaretur, factus est in castris tumultus à militibus regem suum uidere desyderantibus. Igitur in publicum prodiiit, posteaq; ualetudini pristinae redditus, & in ulteriora deuectus loca, urbeis aliquot cepit. Captis uerò gymnosophistis quibusdam, cum eis inexplicabiles quaestiones proposuisset, permisit tandem ut acceptis ab se muneribus discederent. Erat unus magnæ apud eos aestimationis, quem Calanum uocabant, huic Taxiles persuasit uti

ad Alexandrum se conferret. Veniens proinde ad regem bubulam pellem aridam in medium coniecit, obambulansq; eius extrema pedibus premebat. Pellis quum ad unam tantum partem calcaretur, reliquis in altum attollebatur. Eo facto, media deinceps firmus institit, atq; ita pellis undique immota conqueuit. Tali exemplo Alexandrum ille commouit, ne in longinquis locis tempus tereret, sed imperij medium tueretur: ita enim in eius finibus quietura omnia. Septem mensibus per flumina ad Oceanum nauigans Alexander quum in mare intrasset, iter rursus conuertit, nauibusq; Indiæ littori, quod eis erat ad dexteram, iussis adnauigare, terra ipse proficisci coeperat: quum in magnam rerum omnium indigentiam incidens suorum numerum magnum adeò perdidit, ut uix totius exercitus partem quartam ex India reduxerit: idq; morbis, uictu noxio, aestibus ac fame accidit. Transijt enim per regionem inopem, quæ paucos tantummodo ouium greges habebat, marinis piscibus se alentes, ita ut earum caro & parum salubris esset, ac grauiter oleret. Die demum sexagesimo ex ea terra egressus, in opulenta Gedrosiæ loca intrauit, ibiq; & exercitus refectus est, atque ipse festis comestationibus operam dedit. Descendens autem uersus mare in duces quosdam scelestos animaduertit. Superiores enim expeditiones, acceptumque apud Mallos uulnus, exercitus etiam multitudo tanta amissa, fecerunt, ut duces ac præfecti plerique regis salutem despondentes, contumeliose & iniquius in populos se gerere non uererentur, quæ res ad noua molienda nationes sollicitabat. Abulitus quispiam præfectus, in regis aduentum nullos conuictus comparaauerat, sed pecuniam trium millium talentorum attulit. Iussit eam rex equis apponi, quibus inde nihil tangentibus, quid

*hac nobis inquit est opus. Ad Persas profectus quum Cyri sepulchrum suffossum inuenisset, eum qui fecerat Pellæum insignem uirum interemit. Sepulchro hæc erant inscripta: O uir quisquis es & undecunque aduenis, neque enim te uenturum ignorauit. Ego sum Cyrus, qui Persis imperium constitui: pusillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne inuideas. Ea legenti Alexandro miserationem iniecerunt, quum secum reputaret, quanta esset rerum humanarum inconstantia. Matrimonio autem sibi iungens Statiram Darij filiam in nuptiarum celebritate, conuiuis, qui ad nouem millia accepti sunt, singulis auream phialam donauit. Aliâ que multa liberaliter faciens, pro his, qui ære alieno obstricti erant, debita ferè decem millium talentorum exoluit. Tunc Antigonus unus è ducum numero se debitis teneri simulans, falsum adduxit creditorem, cui argentum est datum. Sed dolo deprehensus rex successus Antigonum ex aula pepulit, ac militum præfectura spoliavit. Qui tanto est correptus dolore, ut suspicio fuerit, eum sibi ipsi uelle mortem consciscere: quod ne accideret ueritus Alexander, indignationem suam leniit, ac pecuniam illi restituit. Quum uerò adolescentes, quos triginta millia numero institui iusserat, fortitudine, dexteritate, atque exercitationum consuetudine egregia præstarent, magno inde gaudio Alexander, Macedonum rursus animi non mediocri afficiebantur molestia. Dimittente que eo debiliores, & qui aliqua corporis parte manci erant, uti mari in patriam nauigarent, contumeliæ ac probro maximo id sibi uideri esse, reclamationum, potius omnes mitteret, iuuenibus, qui bene pyrrhicam saltarent, contentus. Excanduit Alexander, atque corporis sui custodiam Persis credidit, Macedonas post id humiliter ei satisfaci-*

cientes denuò recepit. Eorū quos bello parum utilis noue-  
 rat, bene donatos militia liberauit, Antipatroq; per literas  
 iniunxit, ut quum æderentur certamina primus eis in the-  
 atro locus daretur, utq; coronati ibi sederent. In Ecbatana  
 deinceps eo profecto Hephæstio in febrem incidit, ex qua  
 ob intemperantiam uictus inualeſcente mortem obiit. Id  
 quod Alexander, nulla rationis molestia seruata, molestif-  
 simè tulit. Medicum cruce affecit, equos mulosq; tonderi,  
 mœnium pinnas in urbibus deiçei, diu tibicines reliquos ue  
 musicos nihil in castris canere imperauit. Quum uerò Ba-  
 bylonia iter suscepisset, Nearchus qui ex Oceano in Eu-  
 phratem cum classe reuerterat, ei occurrit. Secum is dixit  
 fuisse Chaldeos, qui Alexander uti Babylone abstineret  
 consulebant. Nihili fecit uerba ea rex, pergensq; quum iam  
 mœnibus appropinquaret, corui in eius conspectu diutius  
 inter se contendentes, mortui ceciderunt. Renunciatum est  
 ei sacra de regis incolumitate ab Apollodoro duce Baby-  
 lonis fuisse facta. Igitur uatem, qui sacrificium illud cura-  
 uerat, Pythagoram nomine interrogauit, quo nam modo  
 ea res se habuisset. Quum ille iecur fibris mutilatum ap-  
 paruisse diceret, Papæ, inquit, signum hoc malum est: atque  
 ipsum uatem absque offensa aliqua dimisit. Verum & alia  
 euenerunt prodigia, ueluti hoc fuit: Exuerat sese ut pila atq;  
 unctioe uteretur. Adolescentes, peracto ludo, quum ue-  
 steis uellent induere, conspiciunt in regis solio sedentem ho-  
 minem, qui nihil loquebatur, uestemq; regiam ac diade-  
 ma sibi induxerat. Quæsitus qui nam esset: ad multum tem-  
 poris uocem nullam ædidit, tandem uixq; Dionysium se  
 appellari respondit, gente esse Messenium, quumq; uinctus  
 ob delationem quandam adductus fuerit; Serapim eum à  
 uinculis liberasse, & eò adductum, uti uestem diademaq;  
 adsume

adsumeret, ac tacitus sederet, iussisse. Verum hunc Alexander ex uatum consilio interim fecit, fractusq; inde animo timore ac mentis perturbatione, nunquam liber erat adeo, ut nihil non portentum ei esse uideretur. Lotus autem quum ad Medium comessandi causa se contulisset, ibiq; noctem ac totum sequentem diem duxisset, feбри est correptus, & sitiens multum uini ebibit: sic mente alienatus deinde & mortuus est. Vna hæc est opinio de eius obitu. Altera, traditum est plures dies cum febricitantem balneo usum, hincq; adeo morbum inualuisse, ut absque usu uocis cubuerit. Tunc Macedonas, ueluti defuncto rege tumultum fecisse, inclamatisq; ductibus fecisse, uti hostia aperirentur: itaque iacentem in lectulo Alexandrum ab eis conspectum esse, qui postea diem suum obiuerit. Non desunt & qui dicant elapso tempore aliquanto rumoribus uulgatum, ueneno illum esse interemptum, eiusq; facti Aristotelem Antipatro autorem fuisse, cuius opera ad regem res mortifera sit delata, aqua scilicet frigore nimio prægelida, quam de Nonacridis saxo quodam fluere aiunt: tenuissimiq; roris instar ungula duntaxat asini suscipi posse, quodcumq; enim uas aliud, ob acerrimam uim frigoris, disijci. Id ipsum, quod ueneno Alexander extinctus fuerit, maior pars scriptorum uti fictum reiiciunt: eaq; ducuntur coniectura. quod cadauer nulla adhibita cura dies complures in locis calidis positum, quum seditiones inter Duces fuissent abortæ, non aliquam tamen eius offense significationem dederit: sed incolume & tanquam recens à morte uisum fuerit. Prædicant etiam regem, quum omnem uiuendi spem abieciisset, uoluisse clanculum se in Euphratem demergere, ut eam de se relinqueret opunionem, ueluti ab hac uita ad deos migrasset: prohibitum autem ne id faceret fuisse à Rho-

xane persentiente, cui cum magno gemitu illud ab eo exprobratum sit: Mihi ò mulier diuinitatis famam, ne mortalis fuisse crederet, inuidisti. Ad hunc modum Alexander summam fortunæ indulgentiam expertus decessit. Sed enim cum in Tyri oppugnatione occupatus esset, à summo pontifice Iudæorum auxilia & comineatus per epistolam rogauit, ac Dario quæ pendebantur stipendia poposcit. Illi se Dario obstrictum esse iureiurando, quod nunquam uiuente rege eo uiolaturus esset, respondentem, Alexander multum succensuit, minatusq; est in Iudæam cum omnibus copijs se uenturum. Capta igitur Tyro, uersus Hierosolyma mouit castra. Tunc pontifex Ioad regis iram ueritus, Deum, ut genti suæ præsidio esset, orauit. Qui inter dormiendum ei consuluit, bono esset animo, populus urbe adornata, pertas patefaceret, ipse & sacerdotes uestimentis consuetis induti, reliqua hominum turba amictu albo uestita, regi obuiam prodirent. Fecit quod monitus fuerat. Ianq; Alexandro propius urbem accedente, exiuit pontifex cum sacerdotibus & populo in locum, unde urbs ac templum conspici poterat. Existimabant comites regis permissurum cum urbis direptionem, deq; summo pontifice supplicium sumpturum. Cæterum Alexander postquam populum ac sacerdotes cum apparatu, quem diximus, pontificemque hyacinthina ueste, cui aurum intertextum erat indutum, ac cydarim in capite gestantem, ubi in laminula Dei nomen inscriptum legebatur, è longinquo uidit, progressus solus supplex pontificem salutauit. Magna inde Macedonas omnibus admiratio incessit. Parmenioni interroganti, quam ob causam Iudæorum pontificem adorasset, respondit Alexander: Se non illum, sed Deum ipsum, cuius pontificatum gereret, adorasse: eius autem uenerandi hominis speciem se in somnis

sonnis uidisse, quum adhuc prope Macedoniam esset, eiusmodi habitu adornatum, quæ in Asiæ imperio quasnam uia potiri posset cogitantem senem uereretur, confirmauerit: atque expeditionis tantæ ducem fore, Persarumq; regnum traditurum se pollicita sit. Quum itaq; alium nullum hactenus in eò habitu conspexisset quàm istum, ueteris formæ, quæ insomnis apparuerit, se reminisci, & reputare Dei auxilio bellum conficere, in quo Dario superato Persarum Imperium habiturus esset. His dictis, humanè excipiens pontificem cum eo in urbem, & deinceps in templum intrauit. Vbi pontifice præeunte sacrum fecit. Inspecioq; Danielis libro id in eo scriptum reperit: Græcum quendam Persarum imperio finem allaturum. Propterea gaudio affectus, quæcumq; ab se petebatur, iudæis liberaliter cōcessit.

FINIS.

## ALEXANDRI MA-

GNI EPISTOLA, DE SITV

*Indiæ, & itinerū in ea uastitate, ad Aristotelem præceptorem suum, in latinitatem uersa à Cornelio**telem præceptorem suum, in latinitatem uersa à Cornelio**telem præceptorem suum, in latinitatem uersa à Cornelio*

Nepote.

ALEXANDER MAGNVS ARISTOTE-

TELI PRÆCEPTORI SVO S.



EMPER memor tui, etiam inter dubia bellorum nostrorum pericula, (charissime præceptor, ac secundum matrem meam sorores que meas acceptissime,) quoniam te deditum philosophiæ nouerum scribendum tibi de regionibus Indiæ, ac de statu cœli, innumeris que serpentum & hominum, ferarum que generibus, existimaui, ut aliquid



ut aliquid nouarum rerum cognitione studio & ingenio possit accedere. Quanquam enim in te consummata prudentia nullum adiutorium exoptulet doctrinae, quod & tibi & tuo seculo, ac futuris temporibus conueniat: tamen ut mea gesta cognosceres quem diligis, & ne quid inusitatum haberes, ea quae in India uidi per summos labores ac pericula Macedonum, scribenda tibi putavi. Sunt enim digna memoriae singula, ac multis modis coaceruata quemadmodum inspexi. Non crederem cuiquam esse tot prodigia, nisi subiecta ipse meis oculis prius cuncta ponderassem. Miranda est terra, quantam aut bonarum rerum aut maliarum contentrix existat, & parens publica ferarum ac fructuum, metallorum atque animalium. Quae si omnia intueri liceret homini, uix suffectura tot uarietatibus rerum ipsa crediderim nomina. Sed ego de ijs quae primum cognoui eloquar, daturus operam, ne aut fabula, aut turpi mendacio dignus efficiar. Etiam naturam animi mei, cum fueris praceptor, non ignoras, solere me terminum aequitatis custodire, & parcius omnia loqui quam gesta sint. Et nunc spero cognoscas nihil me tanquam captantem, iactantemque gloriam militiae nostrae asserere. Quae utinam minus fuissent laboriosa nobis, nec tot rerum experimenta necesse esset cognoscere. Ago gratias Macedoniae iuuenum uirtuti, & inuicto exercitui nostro, qui in ea patientia perseverauerit, ut rex regum appellarer. Quo te meo titulo Letari (charissime praceptor) si dubito, delinquo: & a mea tuaque aberro pietate, nisi tibi & Olympiadi matri, sororibusque meis de singulis regni mei commodis scribam, quae tibi & illis communia esse arbitror. Id quoque nisi feceris parum de nobis simpliciter iudicare uideberis. Prioribus literis significaueram tibi de solis lunaeque eclipsi,

& de

& de constantia syderum, aërisq; indicijs, que omnia non sine magna cura, & ordine tibi misi, & has nouas implicaturus historias omnia chartis commendabo. Que cum relegeris, scito esse talia, que curam Alexandri tui completi debuerunt. Mense Maio rege Persarū Dario apud Gangem annum superato, acceptaq; in deditiōē omni eius regione, ordinarios preparatoresq; nostros preposuimus, orientis prouincijs, multis opibus regalibus ditati: quod priori epistola significaueram. Et nunc (ne sim scribendo multiplex) priora facta iam præcognita prætereo. Mense Iulio deficiente in Indiam Phasiacem peruenimus: ubi mira celeritate Poro rege deuicto, potiti ingentibus diuitijs, regia gaza repleti sumus. Que dum memini (quia memorabile fuit) & equum mihi uisum est describere de innumerabili exercitu eius, in quo fuere præter peditum copias, sedecim millia & octingente quadrigæ omnes falcate. Captis igitur elephantis quadringentis, qui superpositas cum armatis iaculatoribus turres gestauerant, ipsam urbem regiam Pori, domumq; inuasimus: in qua columnas aureas solidasq; ingēti crassitudine atq; altitudine triginta pedum cum suis capitellis ad modum CCCCXL. numerauimus, auratosq; parietes laminarum digitalium crassitudine. Quos cum estimare uellem, aliquibus in locis interscidi, uineamq; solidam auro sarmentoq; aureo inter columnas pendente muratus sum: in qua folia aurea, racemiq; crystallini, & lychnites erant interpositi, distinguentibus smaragdis. Thalami quoque cubiliaq; omnia margaritis, & unionibus, & carbunculis exornata erant. Fores quoq; eburneæ miri candoris, & hebenina lacunaria nitebāt testudinibus cupressinis, & in quibus lauari erant soliti balnearibus, aureæ quoq; solide cum crateribus aureis statuæ & innumeri thesauri fons.

In domorum parietibus innumerabilia auium genera uarijs coloribus, oberrabant inter aureas platanos unguibus rostrisq; inauratis, proin auribus torquibusq; margaritas unionesq; geretia. Multa gemmea & crystallina uasa potatoria, & sextariola multa aurea inuenimus, & raro argentea. Quibus in potestatem redactis, interiorē Indiam perspiciere cupiens, cum uniuerso exercitu Cassias portas perueneram: ubi cum fertilissimarum regionum admirarer felicitatem, quaedam gaudio digna cognoui loca, quanquam prædixerant regionis illius incolæ, ne in serpentes & rabida ferarum genera incideremus, quæ plurima in his uallibus & campis, syluisq; & montibus habitant, nemorum ac saxorum latebris occultata. Sed ego ut fugientem ex prælio Porum primum assequerer, antequam in desertas urbes terrarum ue abiret solitudines, compendiosa quam tuta itinera eligere malui. Acceptis igitur centum quinquaginta ducibus, qui breuitates itinerum nouerant, mense Augusto perferuentes sole harenas, & egentia humoris loca profectus sum. Pollicitus præmia his qui nos periti regionum ducebant per ignota Indię loca: si me cum incolumi exercitu in Baetriacem perduxissent, adq; penitus abditos Seres: quæ gens arborum folijs decerpendo lanuginem, ex syluestri uellere uestes detexunt. Sed illi maiorem hosti quam mihi fauorem accommodantes, efficere pergebant, ut nos in exitialia serpentum & rabida ferarum genera ignaros regionum inducerent. Quod illos cogitasse ex ipsis patebat experimentis. Tum ego cernens ex parte mea id accidisse, qui utilia consilia spreueram amicorum, pariter & Cassiorum hominum, qui prædixerant, ne ita uincere festinarem, ut nullo modo interueniente dolo adimenda esset uictoria. Imperaui militibus ut armis induti me sequerentur: præte-

res cum auri margaritarumq; ex rapina non paruum præ-  
 dam secum ueherent, timendum esset, ne occultò hostes sua  
 ablaturis uictoribus insidiarentur. Et sanè miles ita locu-  
 pletatus erat, ut uix auri pondus ferre posset. Accedebatq;  
 armorum non parua grauitas, quia omnes aureis incluse-  
 ram laninis: ita ut totum agmen igneo ueluti sydere ac ful-  
 gore clarum, radiantibus auro insignibus sequebar cum si-  
 gnis & uexillis. Eratq; interea uarietatis spectaculum in  
 conspiciendo tali exercitu, quia ornatu pariter ac uiribus  
 inter cæteras gentes eminebat. Ego certè respiciens felici-  
 tatem meam insigni inuentutis numero, immenso afficie-  
 bar gaudio. Sed ut aliquid plerunq; in secundis rebus for-  
 tuna obstrepit, accidit nobis siti laborare. Quam cum iam  
 uix sustineremus, miles Zephirus inuentam in lapide con-  
 cauo aquam galea aurea mihi protulit, ipse sitiens: animæ  
 meæ magis quam propriæ uitæ consulens. Quam ego con-  
 uocato exercitu palàm effudi, ne me bibente magis sitire  
 miles inciperet. Collaudataq; Zephiri erga me beneuolen-  
 tia, dignis eum muneribus ornauit. Quæ res cum animæ-  
 quiozem fecisset exercitum, iter coeptum institui: nec lon-  
 gè mihi in desertis locis flumen apparuit, cuius ripas se-  
 xagenorum pedum harundo uestiebat, pinorum abie-  
 tumq; robora uincens crassitudine, qua Indi materia ad  
 conficienda ædificia utebantur. Tum ego, quia quadru-  
 pedia & exercitus sitiebant, iussi continuò castra poni à  
 metatoribus. Quæ dum ponuntur, ipse sitim leuare cupiēs,  
 amariorem helleboro aquam fluminis gustauit, quam neq;  
 homo bibere, nec ulla pecudum haurire sine tormento po-  
 tuit. Angebar autem magis pro mutis animalibus quam  
 pro nostra necessitate, durabiliorem hominem cunctis in re-  
 bus recognoscens quam pecudem. Quippe mecum erant

qui aurum uehebant elephantes ingentis magnitudinis mille, quadringentæ quadrigæ equorum omnes falcate, bigæ uerò mille, ducentæ equitum turmæ, ducenta & septuaginta milia peditum, mulorum castrensium sub armis duo milia, ad sarcinas militum uehendas circiter duo milia: camelorum uerò, dromedariorum, & bubalorum duo milia, subiugaliūq; & bouum duo milia qui frumenta uehebant: armentorum uerò ad usum carnis quotidianæ ingens numerus sequebatur. Ceterum in equis, & in mulis, & camelis, & elephantis aurea quoq; frena: non parum luxus nobis permiserat uictoria. Sed tunc in aspera illa siti pecora uix se continere poterant. Milites quoque nunc ferramenta lambendo, nunc oleum gustando, diram sic aliquo modo differre sitim conabantur. Vidimus & iam plerosque pudore amisso, suam ipsorum urinam, uexatos ultimis necessitatibus haurientes. Quæ res me dupliciter torsit. Primò de statu exercitus magis quàm de proprio meo sollicitus periculo. Iussi tamen ut armati sequerentur agmen, legèq; edixi in eum animaduersurum qui non legitimis indutus insignibus in acie deprehensus esset. Quod ipsi quoq; mirabantur, quòd ita (ubi nullus appareret hostis) necessum esset in tanta siti armatos ingredi. Sed ego sciebam per bestiosa serpentinaq; loca nobis iter esse, ac ne imprudentes circumueniremur, & ne inopinato periculo uerberaremur metuebam. Ripam igitur fluminis sequentes hora diei nona ad oppidum peruenimus, quod in medio anse in insula ex his arundinibus (quas paulo ante descripsimus) erat ædificatum. Tum paucos Indorum seminudos notauimus homines, qui uisis nobis continuo intra tectorū suorum culmina delituerunt. Quorum ego presentiam desiderans, ut dulcè ignaris aquam demonstrarent: apparente nullo, paucas eijcere in

eere in ciuitatem sagittas imperati, ut si uoluntate sua nol-  
 lent procedere, metu bellico coacti sese exhiberent. Eo ma-  
 gis propter timorem cunctis abditis, diu apparente nemine,  
 ducentos milites ex Macedonibus leuibus armis nisi per  
 annem nataturos. Iamq; quartam partē fluminis enataue-  
 rant, cum horrida res uisu subito nobis conspecta est. Maio-  
 res elephantorum corpore Hippopotami inter profundos  
 aquarum gurgites emersi apparuerunt, raptosq; in uerti-  
 cem crudeli poena milites flentibus nobis absorpserūt. Ira-  
 tus tum ego ducibus qui nos in insidias deduxerant, iubeo  
 centum quinquaginta in flumen mitti. Quos propulsos na-  
 tantesq; inuicti rursum Hippopotami digna iustaq; poena  
 affecere. Sed maior multo numerus beluarum quam prius  
 adfuit, spe subeundæ in cibum gentis. Vbi cum apparuisset,  
 ueluti formicis flumen uisum est feruere. At ne noctu cum  
 aquarum uel beluarum prodigijs bella gereremus, iussi tu-  
 bicinio ad iter militem aptari. Quid enim in tali manere lo-  
 co sitientibus nobis proderat? Igitur ab hora diei decima  
 cum ad undecimā iter fecissemus, uidimus homines per me-  
 dium amnem factis ex arūidine præteruēbi nauiculis. Quos  
 cum dulcis aquæ percunctaremur locum, sua lingua ubi in-  
 ueniri posset, dixerunt ingens nos stagnum dulcissimæ aquæ  
 inuenturos, quo & ipsi nos quinquaginta itinerum duces  
 erant deducturi. Et quoniā factum est nobis tot perpeti ma-  
 la, nocte tota ambulauimus siti & onere armorum confecti.  
 Quibus necessitatibus illa quoq; adijciebantur incommoda,  
 quod tota nocte incurstantibus leonibus, ursis quoq; & ti-  
 gridibus, pardis ac lyncibus pariter resistebamus: quæ ge-  
 nera ferarum promiscua nobis in syluis occurrebant. Tan-  
 dem ad horam circiter octauam postero die, cum iam ferē  
 siti defecissemus, ad prædictum nobis stagnū peruenimus,

quod erat circumdatum vetustissima abundantique sylva, mille passus patens. Tum ego aqua epota alacer, pecora & iumenta cum exercitu refeci. Moxque cum lassâ quadrupedia militum refecissem otio, castra in longum per stadia vigintiduo, totidemque in latum collocare iussi. Quibus celeriter erectis, iubeo cedi nemus, ut facilius aquatoribus esset accessus ad stagnum, quod unicum in illis regionibus erat. Igitur inter ipsa tentoria aggregabantur impedimenta, & elephanti in media castrorum parte collocabantur, ut aptius contineri possent, si quis noctu oriretur tumultus, pauciorue aliquis novus. Erant autem mille quinquaginta extrinsecus ignes accensi, sufficiente sylva quantum uellemus. Hora deinde undecima, testante bucina, cibum ipse cepi, & militibus capere imperavi, aureis lampadibus accensis, ad modum duobus millibus: cum ad primos lune radiantis ortus, subito arrectis caudarum aculeis à pascualibus Indicis, scorpiones prope consuetam petentes aquationem, ad castra innumeri confluxerunt: tumultu acciti nostro, an siti, incertum erat: ceterum ad nocendum promptissimi. Hæc prodigia insecuta est immensa uis cerastarum, humidorumque serpentum uarijs distinctorum coloribus. Nam quidam rubentibus squamis erant, quidam nigri & candidi coloris, quidam auri fulgore consimiles inspiciebantur. Sibilabat tota regio, non paruum nobis instrens metum. Sed frontem castrorum densaueramus clypeis, & in manibus longas habebamus hastas, quarum acutissimis spiculis malas bestias configebamus, & ignibus plures aliquando necabamus. Quæ res nos prope duas horas in eo opere sollicitos tenuit. Pota autem aqua minores serpentes abire coeperunt, maiores cum uigenti nostro gaudio latebras petierunt. Tum ad horam noctis

noctis tertiam aliquam sperantibus nobis requiem, binorum, ternorumque capuum cristati serpentes aduerunt columnarum crassitudine aliquanto proceriores, qui ad potandam aquam ex uicinis montium speluncis processerunt, oribus squamisque suis humum atterentes. Quorum pectora erecta cum trifurcis linguis fauces exortabant, scintillantibus ueneno oculis, quorum halitus quoque erat pestifer. Cum his hora non amplius una bellauimus, triginta seruis & uiginti militibus amissis. Orabamque Macedones ne aduersis casibus cederent, ne uel deficerent animo in periculis, quorum quauquam dura est patientia, omnes officiebant operi. Post discessum autem serpentum, cancri immodicæ multitudinis crocodilorum pellibus contexti, ad castra uenerunt. Quæ prodigia duricia thoracis, uel lorice, ferrum respuebant. Multi ignibus usti, multi se in stagnum receperunt. Iam nos uigilijs inquietos, quinta noctis hora, buccina admonebat, ad quiescendum. Sed adfuerunt albi leones taurorum magnis comparandi corporibus: qui cum ingenti murmure concussis ceruicibus, stantibusque, alte iubis, in modum fulminum in nos impetum faciunt, exceptique uenabulis ruunt, tantus repente oriebatur tumultus. Nec minus sera nocte apri ingentis formæ metuendi, maculosi lyncibus mixti, tigridibusque & horribilibus pantheris miscebant prælia. Nulla iam peste ex eo comparente, uespertilionum genus columbinis corporibus æquale in nos, uultusque nostros inferebatur. Habebant illæ dentes hominum more, quibus artus militum niolabant. Una præterea noui generis bestia maior elephante comparuit, tribus armata in fronte cornibus equo simile caput, atrii coloris, gerens. Hanc Indi appellare Odonta uel dentem



dentem tyrannum soliti sunt. Hæc pota aqua, intuens castra, subito in nos impetum dedit, ne ignis quidem oppositi tardabatur ardoribus. Ad quam suppressendam cum opposuissem Macedonum manum triginta sex occidit, tres & quinquaginta calcatos inutiles fecit, uixq; tandem ipsis defixa uenabulis, occubuit. Antelucano deinde mox tempore è caelo postes uenire apparuerunt, candore uersicolore in modum ranarum, cum quibus mures Indici in castra uenerunt uulpibus similes, quorum morsibus uulnerata quadrupedia statim expirabant. Hominibus autem idem morsus non usque ad interitum nocebat. Appropinquante luce, nycticoraces uenere aues uulturibus similes, quorum corpora immanitate superabant, colore fuluo, rostro, pedibusq; nigris. Totam hæ stagni compleuere ripam non nobis perniciem ferentes, sed solitos pisces cum unguibus extrahabant insumebantq;. Quas nos aues cum neque fugare, neque abigere ausi essemus, conficcatis unguibus de conspectu nostro abicere. Tunc ego locorum demonstratores, qui nos semper in insidias deducebant pessime meritos crurifragio puniri iussi, ut nocte uix spirantes à serpentibus consumerentur, ut nos consumi uoluerunt. Manus quoque eis confringi imperavi, ut meritis pro factis suis uterentur supplicijs. Habita deinde concione ut fortes milites essent, ne ue aduersis (ut scaminæ) casibus afficerentur, castra concentu buccinarum repente amoueri, & ad Noti uenti spiracula tendi iussi, ubi collectis Barbarorum, Indorumq; copijs, noua conspirantes bella cognouimus. At meis militibus ingentes erant animi, quibus & sensus uictoriam suppeditabat & felicitas. Relictis itaque periculosissimis inuictisq; locis montium, munitum uix tandem iter calcauimus, & in loca Bactrianorum auro diuitijsq; opulenta

opulenta peruenimus. Benignisq; excepti com meatibus, cum Persarum confines adiacerent agri, in reparando bello castra per triginta dies statui. Otio mox facto septem dierum itinere eo peruenimus, ubi cum collecto Porus confederat exercitu, propriae se ditioni magis quam praelio dare ratus. Nam & com meatus nobis palam, non ut hostis, dedit potestatem: cupiensq; me nosse, milites meos subinde com meatantes interrogabat, ubi ego essem, quid agerem? Qui cum incerta responderent, ipse auditis interrogationibus (omnia enim mihi Regi magno Macedones referebant); sumpto habitu militari, depositoq; meo cultu, perueni in castellum uini & carnis tanquam emptor: casuq; Porus sciscitans me interrogauit, quid faceret Alexander, aut cuius esset aetatis? Quem ludens mendacio temporis, tanquam homo senior, inquam, dux noster in tabernaculo suo se accenso ignis calore reficit. Tum ille gaudio alacer, quia cum decrepito sene esset praelium commissurus, cum esset ipse iuuenis timore elatus. Quid ergo, inquit, non respicit aetatem suam? Respondi ei uno id proposito, ignorare me quid faceret Alexander, cum essem gregarius ex Macedonico exercitu miles. Tradidit ergo mihi minis plenam epistolam, quam si regi Alexandro darem, pollicitus est premium. Cui iurans dixi facturum ut in manus eius haec litterae perueniret. Reuersusq; protinus in castra & antequam legerem, & postquam legi epistolam, magno risu sum dissolutus: cuius tibi & matri meae, sororibusq; meis, superbiam inclinatumq; Barbari temeritatem miraturis, exemplar misi. Mox cum Indis contuli manum, superatisq; his ut uolebam, arreptis armis, Poro regna restitui. Qui ut insperato honore donatus est, mihi thesauros suos manifestauit, quos esse ignorabam: quibus me & comites meos, & uni-

uersum ditauit exercitū, factusq; est amicus ex hoste Mæ-  
 cendonibus, & ad Herculis Liberi que trophæa deduxit. In  
 orientis autem ultimis oris, aurea utriq; deorum constituta  
 erant simulachra. Quæ an solida essent ego scire cupiens,  
 omnia iussi perforari, & rursum cum uiderem solida esse,  
 simili metallo compleui. Liberumq; & Herculem deustis  
 uictimis placavi. Ultra deinde procedens, ut memorabile  
 cernerem aliquid, nihil præter desertos ad Oceanum cam-  
 pos, syluasq; ac montes inhabitare elephantos, ac serpentes  
 intellexi. Pergebam tunc ad mare, uolens, si possem, orbem  
 terrarum circum nauigare. Et ecce amnis quem tenebro-  
 sum uadosumq; mihi locorum incolæ affirmabant, & quod  
 Herculi Liberoq; non esset ultra excedere concessum, præ-  
 stantissimos deos hac in re maiores me uideri potius uolui,  
 quam patientia immortalium sacra uestigia præterirem.  
 Quibus honoratis collaudatisq;, sinistram partem Indiæ  
 scrutari institui, ne quid mihi in ignotis subtraheretur locis.  
 Poro rege non detrectante, ne abdita tegere uideretur sui  
 regni bona. Palus erat sicca & canna abundans, per quam  
 dum transitum tentaremus, belua noui generis serrato ter-  
 go, duo capita habens, alterum lunæ simile, hippopotami  
 pectore: crocodili alterum simillimum: duris munitum  
 dentibus, duos milites uno ictu occidit repentino. Hanc  
 ferreis uix unquam comminuimus malleis, quam hastis non  
 ualebamur transfigere. Admirati satis diuq; nouitate, per-  
 uenimus deinde ad sylvas Indorum ultimas: ubi cum ca-  
 stra per quinquaginta in longum stadia, & latum ferè to-  
 tidem collocassemus iuxta amnem Buemar, cœperamus  
 uelle soporari sub nocte pura hora postere dici undecima:  
 cum subito pabulatores lignatoresq; exanimati omnes per-  
 uenere simul, nunciantes ( ut facilius arma caperemus) ue-

nire è syluis, elephantorum immensos greges ad expugnan-  
 da castra. Imperavi ergo Thessalicis militibus ut ascende-  
 rent equos, secumq; tollerent sues, quorum grunnius time-  
 re bestias noueram, & occurrere elephantis primùm iussi.  
 Deinde alios cum hastis armatos subsequi equites, & tu-  
 bicines omnes in prima adesse acie. Equis insidentes præ-  
 cedere, & pedites omnes in castris remanere iussi. Ipse cum  
 Poru rege & equitatu præcedens, uideo agmina bestia-  
 rum in nos erectis promuscidibus tendentia. Quarum  
 quedã nigrae, & candida, & rubri coloris, & uariae que-  
 dam erant. Hos Porus capabiles mihi in usus bellorum af-  
 firmabat, facileq; auerti posse, si ab equitibus uerberari  
 sues non desisterent, quod nihilominus fiebat. Nec mora,  
 trepidantes elephantia, conuersi complures, priores saltus  
 petere coeperunt, buccinis hominum & grunniibus suum  
 attoniti. Quorum equitibus poplites cedentibus ad mo-  
 dum nongentos octoginta occidimus, detractis que corni-  
 bus seu dentibus, insigni onustus præda in castra perueni.  
 Iussi que tunc clypeis & loriceis uallum præcingi, ne quid  
 iniuriæ noctu elephantorum aliarumq; ferarum uolentia  
 adferret. Quæta nox fuit usque ad lucem, omnesq; somno  
 refecti. Primo deinde auroræ diluculo, in alias Indiæ pro-  
 fecti regiones, in campo patenti mulieres uiros que pilo-  
 sos in modum ferarum toto corpore uidimus, pedum altos  
 nouenorum, sine ueste & nudos: hos Indi Ichthyopha-  
 gos appellant. Hi assueti fluminibus magis quam terris  
 erant, crudo pisce, & aquarum haustu uiuebant. Quos  
 cum adire uellemus, uicinis se maris immergere gurgiti-  
 bus. Deinde Cynocephalis ingentibus plena inuenimus  
 nemora, qui nos laceffere tentabant & erectis sagit-  
 tis fugiebant. Iam desertis nobis intrantibus loca,  
 nihil

nihil dignum spectaculo ab Indis ultra superesse referebatur. Igitur aditurus Phasiacem unde ueneram, signa conuerti imperavi, ut ex eo loco usq; ad duodecimum miliarium castra uicina aquationi poneremus. Atq; iam cuncta tentoria erecta erant, largiq; ignes accensi, cum repente Euri uenti tanta uis exorta est, ut omnia tabernacula principiaq; nostra conturbauerit euerteritq;, ultra omnem modum nobis stupentibus. Quadrupedia multo uehementius uexabantur exituq; scintillis, & titionibus in terga uenientibus adurebantur. Tum hortor milites, quia æquinoctiali tempore id octobrio mense accidisset, quodq; in hyeme, non æstate, autumnus ue urgeret, non deorum iram esse, sed æris dispositionem. Vix tandē recollectis sarcinis ex integro in apriciori ualle castrorum sedem inueni. Ordinatisq; omnibus rebus coenare militem iussi. Nam & flatus Euri ceciderat, & frigus ingens uespertino adcrecebat tempore. Cadere mox in modum uellerum coeperunt niues. Quarum aggerationem metuens, ne castra, cumularentur, militem calcare niuem iubebam, ut quamprimum iniuria pedum tabesceret, proderenturq; ignes aliquatenus qui niue erant pene extincti. Vna tamen tum res saluti fiat, quod momento temporis hæc deletæ sunt niues imbre superueniente largo, quem protinus atra nubes subsecuta est, uisæ que nubes aliæ de coelo ardentes tanquam faces decidere, ut incendio earum totus campus arderet. Verebantur dicere deorum me premi ira, quod homo Herculis Liberiq; uestigia transgredi conatus essem. Iussi autem milites suas uestes opponere ignibus. Nox serena continuo nobis orantibus reddita est, ignes ex integro accenduntur, & à securis epulæ capiuntur. Et triduo sine sole claro, id nobis continuè accidit minaci pendente nube. Tum sepultis ad modum quingentis militibus

militibus, qui inter niues perierant, castra inde mutari imperavi. Nam ad ædita cœlo promontoria, & ad Oceanum in Aethiopiam uenimus, ad Dionysios quoq; mōtes, & antrum Liberi. Perdidi quoq; homines in antrum missos, qui dicebantur tertia die febribus mori, quia speluncam dei introissent. Quod fuisse manifestum mortibus eorum probauimus, quia ui intrare præter religionem, & sine muneribus specus petierant. Supplex itaque orabam numina, ut me regem totius orbis terrarum, cum sublimibus trophæis triumphantem in Macedoniam Olympiadi matri meæ remitterent. Quam rem frustra me petere ita cognoui: quoniam dum sciscitor, si quid etiam uel unum uidere possim admiratione dignum, aut memoria, omnibus Indis negantibus usquam esse, castra diuerti in Phasiacem cum antea Noti uenti flatus essem secutus. Dumq; iter sumpsi, agmen sub signis me ducente, duo senes facti sunt nobis obuiam. Quos cum interrogarem nunquid nossent in illa regione memoria dignum aliquod spectaculum. Responderunt mihi, esse uiam decem non amplius dierum, quo si cum uniuerso exercitu pergere uellem, aquationis tantum causa tantis impedimentis turbarer. Cæterum si comitatibus quadraginta millia hominum præponerem, propter itinerum angustas semitas & bestiosa satis loca, posse mihi contingere ut aliquid incredibile perspicerem. Tum ego, dicite mihi, inquam duos senes humanitatis lege demulcens, quid sit istud quod mihi tam illustre, & tam magnificum sic pollicemini? Tum hi exbilarati blanda mea uoce, Videbis, inquiunt, rex quicumque es, duas Solis & Lunæ arbores, Indicæ & Græcæ loquentes: quarum uirile lignum, est Solis, alterum foemineum, est Lunæ, & ab his quæ tibi insent bona, aut mala nosse poteris. Quæ tam incredibili re illudi me à barbaris senibus

ris senibus existimans, poena eos impingi, & aliqua contumelia affici iussi, ita dicens: Ita ne eò maiestas mea peruenit ab occidente usq; ad orientem, ut à senibus barbaris ac decrepitis illud me uideam? Quibus iurantibus se nihil falsi comminisci, experiri me posse, modò uellem, an uera dicerent, aperituros breui id nō esse uanum. Orantibus amicis comitibus meis, ne tantæ rei experimento fraudaremur, quadraginta millia mecum cum equitatu traxi. Remissis in Phasiacen copijs, cum quibusdam præfectis, exercituq; cuncto, elephantis & rege Poro & impedimentis omnibus. Mox lecto robore iuuentutis, admirabilia uisuri spectacula, profecti sumus ducentibus Indorum senibus, qui nos per inania & egentia plerumque aquarum adduxerunt. Tandem que per aliqua serpentum ferarumq; loca deducti, in proximam oraculi sedem deuenimus. De his autem feris & serpentibus, quia innumere erant, & Indica lingua uocitate, scribendum tibi non putauit. Cum appropinquarem ad regionem nobis prædictam, uidimus foeminas, uirosq; aliquot Pantherarum, Tigridumq; pellibus contextos. A quibus cum quaereremus, qui nam hominum essent? Indos se sua lingua esse dicebant. Locus autem erat spaciosus & largus, thure & opobalsamo abundans, quæ plurima ramis suorum nemorum innascebantur, his uesci eius regionis incolæ consueuerant. Et cum necessarium nobis prædictum multisq; incognitum locum incesimus, homo pedum amplius decem statura altior, nigro corpore, dentibus caninis ante oraculum apparuit, perforatis auribus, ex quibus uniones dependebant annuliq; , & erat pellibus ferinis uestitus. At cum me more ritu que suo saluasset, metum simulatione silentioq; textit. Cui (cum interrogaret ad quid ego uenissem) dixi, me cupere

cupere sacras Solis & Lunæ arbores inspicere. Tum barbarus: Si contu puerili, inquit, & foemineo contactu uacas, licet diuinum locum intres. Secutusq; me cum amicis, & commilitonibus meis circiter trecentis, deponere annulos, uestesque cunctas cum calceamentis imperauit. Parui per omnia homini, ut pareremus religioni. Undecima diei hora erat, expectabatq; sacerdos Solis occasum. Nam Solis arborem loqui ac respondere ad primos iubaris ortus affirmabat. Item noctis eadem tempora custodire ipsam Lunæ arborem. Quæ res mihi plus mendacio, quam ueritati similis uidebatur. Igitur perambulare totum incipio nemus, quod intra parietem erat non magno edificatum opere. Video opobalsanum cum optimo odore omnibus undique ex ramis abundantissime manare. Cuius odore captus, & ipse edulia de corticibus euellebam, idemq; comites mei faciebant. In medio autem luci sacræ arbores similimæ cupressis, frondium genere, pedum alte centenorum erant: quas Bebrionas Indi appellant. Eas etiam mirarer, diceremq; frequentibus imbribus ita excreuisse: affirmabat sacerdos se nunquam in his locis pluuiam, neque stram, aut ullam auem, aut ullum uidisse serpentem. Terminos autem esse ab Indorum maioribus Soli & Lunæ consecratos. Affirmabat idem quod in eclipsi Solis aut Lunæ uberrimis lacrymis sacræ arbores commouerentur suorum numinum statui timentes. Et cum sacrificare institueram, & uictimas immolare, prohibitus sum à sacerdote qui negabat licere aut thus in eo sacrario igne uri, aut animal ullum interfici. Sed præcepit ut prouolutus truncis arborum oscula darem, rogeremq; Solem & Lunam ut ueridica mihi darent responsa. Quod ego dum facturus essem, interrogandum ta-



men sacerdotē existimavi Indicē an Græcē mihi essent arbores responsuræ. Tum ille, inquit, utraque Solem eloqui lingua & futura pronuntiare. Luna autem (dixit ille) Indico sermone incipit, Indico finit. Dum hæc geruntur, uidimus ab occidente iurare fulgentibus Phœbi radijs percussa arborum cacumina. Et sacerdos ait, Sursum omnes intuemini, & de quibus quisq; rebus consulturus est, occulto cogitet silentio, nemo palam pronunciet. Tum ego, & amici, & commilitones, adcuratius intuiti sumus, ne inter nemorum densitatem aliqua more hominum nos falsitas illuderet. Mox nullo interueniente dolo, ad cacumina ramosq; perspeximus. Cominus igitur stantes, diuina aurbus aucupauimus oracula. Cogitabam an deuictō orbe terrarum patriam triumphans ad Olympiadem matrem, sororesq; charissimas, possem reuerti. Tunc subito Indico sermone tenuissimè respondit arbor: Inuictē bellis Alexander, ut consuluisti, unus eris terrarum orbis dominus, sed uiuus in patriam non reuerteris: ita enim fata de tuo capite statuerunt. Tum ego oraculum cū ignorarem, qualiter Indus esset interpretaturus, alios mecum interpretes adduxeram, quos ego partim munerybus partim minis constrinxeram, ut quæcunq; arbores indicarent, ipsos exponere cogerem. Quibus itaq; cognitis, omnibus metu percussis, flentibusq; qui mecum erant palam (quia moris erat) aliud eram consulturus, sed uespertino tempore nondum exorta Luna. Cū rursus ad locum inuitati iuxta arbores constissemus, illas mox solita consuetudine adorauimus. Tres fidelissimos mecum induxeram amicos Perdicam, & Clytonem, & Phylotam, quia nullum metuebam ultra, nec in me quicquam metuendum erat, ubi neminem fas erat interfici. Consulto igitur ubi moriturus essem, ad primum

Lunæ

Lunæ ortum percussa cornu, splendoreq; accepto arbor Græcè respondit: Alexander, inquit, plenum iam ætatis finem non habes, sed sequenti anno mense Maio in Babylone morieris, & à quo minime speras decipieris. Tunc lachrymas effudi, amiciq; mei circumstantes flebant, nullum habentes dolum, aut scelus, sed pro mea salute mori parati. Postero autem mane resurgendum existimaui. Neq; enim ego quicquam de fidelissimis mihi amicis consulueram, an illos cauendos esse Alexandro præmoneret oraculum. Discessu deinde factò, cum iam ad epulas diuerteremur, ipse animo eger, ad requiem, rogantibus amicis, ne me anxietate, & ieiunio conficerem, paululum cibi contra animi mei uoluntatem accipere coepi, meq; (ut præsto essem ad primum solis ortum) in sacrario collocaui. Postero die expergesfactus diluculo, amicos, & iam somni sopore sopitos, excitauit. Verùm adhuc ipse sacerdos pellibus uelatus ferinis, quiescebat: positaq; ante eum in tabella eburnea ingens libatura erat, quæ illi ex præcedenti cœna superfuerat: item culter eburneus. Nam ære, ferro, plumbo, & argento egent, auro abundant. Opobalsamo & thure, uescuntur, cadentisq; riuuli ex uicino monte potant aquam homines, adcumbentes & quiescentes sine ullis cervicalibus, stratis tantum pellibus ferarum, hoc amictu contenti. Viuunt itaque annis ferè trecentis. Excitato sacerdote locum intraui, tertio consulturus sacratissimam Solis arborem, cuiusnam percussoris manum cauere deberem: quem ue exitum mater mea sororesq; meæ habituræ essent. Arbor Græcè dixit, Si mortis tuæ tibi insidiatorem prodidero, sublato eo instantia fata facile mutabis. Mihi quoque tres irascerentur sorores, Clotho, Lachesis, Atropos, quod ueridico oraculo earum pensa impedierim.

Igitur ad annum & menses octo Babylone morieris, non ferro, ut suspicaris, sed ueneno. Mater tua turpissimo & miserando exitu, quandoq; insepulta iacebit in uia, auium ferarumq; præda. Sorores tuæ diu felices erunt. Tu quoque breue hoc quod superest tempus orbis terrarum dominus eris. Huc tu caue ne nos ulterius scisciteris, quam excede nostri luci terminos, & ad Phasiacem Porumq; reuertere. Sed & Sacerdos monuit ut abiremus: dicens, fletu & ululatu nostro sacras nos arbores offendisse. Tum ego concionatus ad uniuersos milites, dixi ut Porum & Phasiacem, ex responso repeteremus, quod nobis faustum felixq; esset futurum, illic accepturi. Quod idcirco commentabar, ne à commilitonibus meis in desperationem redactis, in alienis desereret locis. Ergo uoces quas ex responsis unà mecum audierant, nullo modo, qui his nominibus appellantur, Sermition, Protefilas, Siluius, & Mistemis, Timotheus, & Lacon, & Trasselon, & Dedicus, & Machathaon, & Enodes, & Simbrius, & Snifidus, & Perdicca, & Philotas, & præfectus prætorij Coradas, sed silentio que audierant, ex sua fide & meo tegebant consilio. Iamq; à sacris excesseramur arboribus, nec iam odore thuris, opobalsamiq; nares uerberabantur. Indi enim sacra deorum ad Oceanum tenebant, dicentes, non parum me quoque esse immortalem, qui eo usque penetrare potuissem. Quibus ego quod de nobis opinarentur insinuans, gratias agebam. Peruenimus deinde in uallem Iordeam, in qua serpentes habitabant, habentes in collo lapides qui smaragdi appellantur. Hi lumen in oculis profusum accipiunt, & uallem uix ulli adeundam incolunt, Lasere & albo pascuntur pipere. Hanc super uallem pyramides sunt pedum tricenorum ab antiquis Indorum edificatæ. Sed hi serpentes, quos paulo

paulo antè descripſimus, inter ſe quotannis uere primo depugnant, multiq; morſibus depereunt. Inde non paucos ingentis formæ ſmaragdos extulimus. Per magna enim pericula incedebamus in Scyritas, talis generis beſtias, habentes capita leonum & caudas, unguibus binis, latas ad ſex prope pedum meſuram, quibus uerberati homines inutiles fiebant. His erant intermixti Gryphes roſtra habentes aquilarum, ex alia corporis parte diſſimiles, qui mira uelocitate in ora oculosq; noſtros exiliebant, ſcutaq; & clypeos noſtros caudis crudelem in modum tranſuerberabant. Qui tandem partim ſagittis, partim militari- bus contis conſiciebantur. In eo certamine, beſtiarum utriuſq; generis morſibus, ducentos octo milites perdidit: occidimus uerò decem & ſeptem millia. Inde ad Cluias flumen uenimus, quod ſine flexu rectà ad Oceanum ſerebatur: latum ſtadijs ad ripam alteram uiginti. Veſtiebant arundines ad tercentum per littora quarum unam uix triginta milites poſſent ferre: excedebāt autem arborum proceriſſimarum altitudinem. In his arundinetis unam potentiſſimo Euro ſtratam uidimus. Inhabitabant etiam eundem locum Elephantorum millia innumera, qui nos (neſcio quo fato) nec laceſſere tentabant, alioqui crudeliſſime conculcati fuiſſemus. Multis itaq; collectis dentibus, & ratibus ex arundine factis tranſnauigauimus amnem. Vterius ipſum litus inerant Indibalenarum ferarumq; pellibus conſecti. Hi non nobis fuerunt inhospitales, quippe qui nobis ſpongias albas purpureasq; in manus dedere cum buccinis, & genere cochlearum capientum ſingulos binosq; cōgios, & ſtragula mollesq; tunicas ex uitulorum marinorum pellibus factas. Cochleas præterea ſextariales, eſcasq; pulcherri- mas. Itē uermes ex ipſo flumine extractos ſœmore humano

crassiores, qui nobis omni genere piscium sapore præferendi sunt. Et fungos immensæ magnitudinis viginti numero croco rubriores apposuerunt nobis. Item murenas ducenta habentes pōdera: affirmantes in mari oceano, quod erat ad milliarium tertium & uigesimum, maiores esse. Pisces præterea Scaros pondus centenum & quinquegenum habentes, qui in gurgitibus uasis eburneis capiebantur, ne arundines morsu confringerent, aut à capillatis mulcribus (quæ piſce uiuebant aquis immersæ) prenderentur. Quæ itidem mulieres ignaros regionum homines in flumine natantes, aut tenendo gurgitibus suffocabant, aut in arundinata tractos, cum essent specie mirabiles, affectu suo auidè uictos rumpebant, aut uenera exanimabāt uoluptate. Quarum nos duas tantum modo cepimus, colore niueo, nymphis similes, diffusos post terga capillos habentes. Sed & in Gange flumine erant admirabilia portenta: de quibus (ne tibi fabulosus uiderer) scribendum non putauim: nisi quòd ab ortu solis & Eufrate ad Noti uenti spiracula exeunt. Quorum fluminum ripæ altera ab alia non sunt conspicuæ aquarum latitudine. Inde ad castellum quod Indi incolunt, peruenimus, ubi monita à senibus optimis accepimus. Qui nos recte deducentes, ire ad Porum in Phasiacem per Caspias portas docebant. Neq; tamen his auditis, semper inesse dolum suspicantes, Euri uenti flatus secuti, incidimus in malignas feras, de quarum capitibus uelut gladij à uertice, acuta serrataq; eminebant ossa. Et hæ arietino more aduersus homines currebant. Tum inuictæ plurimorum militum clypeos cornu suo transuerberabant. Quarum occisis ad modum octo millibus quadringentis quinquaginta, sic inde ad Porum exercitus meus cum summo tandem labore ac periculo meo peruenit. Ibiq; legato meo Antigone nomi-

ne quem

ne quem Perside præposueram, præcepi ut inter Pori Persarum, & Babyloniorum pilas solidas, aureas duas pararet, & in his omnia facta scriberet, faceretq; in ultima India Liberi & Herculis trophæa. Quorum centum erant argentea, sed ego quinque meæ æquæ aurea, eis altiora denis pedibus statui, imperauiq; transcribere, quæ miraculo sunt futura, posterisq; seculis, charissime præceptor, nõ parua admiratione, nouũ, perpetuũq; uirtutis monumentũ, ut inuidẽdũ mortalibus esset, et perpetua de nobis opinio fieret. Hæc animo & industria, optime Aristoteles, ponderato. Vale.

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS.

<b>A</b> dolominus rex Sydoniorum constituitur.	ficitur	26
& eius magnanimitas	Adulatio perpetuum principum malum	237
Abiazares Indorũ rex. 238	Aegyptij uani, & nouandis rebus apti	60
239.268	Affarij	183
Abulites Susæ præfectus ciuitatem Alexandro tradit	118. & seq.	71
Acesines Indiæ fluuius	248	Agis malus poëta & adulator
Achilles ab Alexandro felix appellatus	24	237
Acies Alexandri	34.45.94	Agidis Lacedæmoniorũ regis bellũ aduersus Antipatrum 61. Strenuè pugnando moritur
Acies Darij	44.94	148
Ada Carie regina Alexandro occurrit	25	Agramnes quomodo Indiæ regnum occuparit
Ada Alexãdrum in filiũ adoptat, & toti Carie præ-		271
		Alexander Amyntæ filius matris dolo necatus
		10

Alexander Magnus natus	11	Alexandri copiarum numerus	24
Alexāder adhuc puer rebus bellicis delectatus	12	Alexander lotus in amne Cydno, morbo corripitur letali	36
Alexādri indoles qualis	12	Alexander Iſſon peruenit	40
Alexandri cura multis demandata	13	Alexander ad Darium tendit, tam ducis quā militis officio fungens	48
Alexander nullis illecebris, sed sola uirtute motus. ibi.		Alexander uulneratur	37
Alexandro regni cura committitur	14	48. 204. 206. 251. 253	
Alexander poculum coniecit in Attalum, & cum patre dissentit	16	Alexander uictor hostes persequitur	23
Alexā. a patre discessus. ibi.		Alexandri clementia in captiuos	51. 52
Alexander reuocatus ibid.		Alexandri continentia	53
Alexander xx. annos natus regnum suscipit	17	Alexander Syriā petit	54
Alexandri pietas & humanitas	18	Alexander peritissimus transandi militū animos	64
Alexander generali concilio Græcorum Imperator designatus	18	Alexander Aegyptum intrat	78
Alexādri cognatio cū Theſſalis	18	Alexandriam condit	82.
Alexander ante Perſicū bellum finitimas gētes adortus	19	195. 207. 291	
Alexandri strategema	19	Alexander alias urbes condit	267
Alexander ad Danubium profectus	20	Alexander se Iouis filiū appellari iubet	61
Alexand. in Asiā traiecit	22	Alexander Aethiopiam inuisere cupit	83
		Alexander omnis periculi contemptor	85

Alexādrī cōmiseratio super morte uxoris Darij	89	oblectabatur difficultati- bus	163	
Alexander quando maximē territus fuerit	98	Alexander suorum insidijs petitus	185	
Alexandri somnus profun- dus	99	Alexander aquam porrectā sibi in summa stit: respuit	200	
Alexandri perpetua felici- tas	111	Alexander sex oppida con- struit	218. & Petram ex- pugnat	220
Alexander Babylonem in- greditur	114	Alexander insignis magni- tudinis leonē occidit	223	
Alexandrū quaedam in disci- plina militari mutasse	118	Alexand. in uno saltu cccc. feras strauit	224	
Alexander quanta difficul- tate ad Ariobarzanē cō- tenderit	125	Alexandri ebrij iactantia, & Clyti cædes	224. 227	
Alexander uino uictus & meretrice Persepolim in- wendit	133	Alexander in aquis pericli- tatur	278	
Alexandri uirtus ac iustitia larario perspecta	141	Alexandrum ingens oceani uidendi cupido inuadit, & quid ei in ea profectio- ne acciderit	193. 194. 195	
Alexandri etiam nomen pa- uē hostibus incussit	144	Alexādrī triumphus, in quo Liberum patrem est imi- tatus	299	
Alexāder Darij cædem de- pleat	146	Alexander Cyrum & Semi- ramim maximē & præ cunctis regibus est admi- ratus	206	
Alexāder inuictus, & ui- tius uictus	148	Alexander primus cum Scy- this bellum gessit	208	
Alexander capiti Persicum diadem circundat	161			
Alexander suas suorūq; mi- litū sarcas exurit	162			
Alexandri nimis omnibus				



<i>Alexander ad superstitionē intermissam relapsus</i>	208	<i>Alexandri mors</i>	313
<i>Alexandro Hermolaus insidias struit</i>	204	<i>Alexandrum ueneno necatū pleriq; credere</i>	329
<i>Alexander Carthagini insensus</i>	301	<i>Alexandri corpus septem diebus inhumatum &amp; in- corruptum mansit</i>	329
<i>Alexander Africam, Hispaniam, Italiam &amp; Epirum petere constituit</i>	302	<i>Alexandri uirtutum &amp; uittiorū enumeratio</i>	317. 318
<i>Alexander Græcis ciuitatibus imperat ut exules recipiant</i>	307	<i>Alexandria condita</i>	82. 193
<i>Alexander militum suorum es alienum dissoluit</i>	307	207. 291	
<i>Alexander xij. milites obloquentes sua manu corripit, atq; sui corporis custodibus eos seruādos tradit</i>	310	<i>Amazonum gentis descriptio</i>	156
<i>Alexander Babylone conuentum uniuersi orbis agit</i>	314	<i>Amicitia inter pares firmissima</i>	21.
<i>Alexander reiectis Macedonibus omnia ministeria Persis commisit</i>	311	<i>Amyntas accusatus se excusat, &amp; absoluitur</i>	18.
<i>Alexander Macedonibus ignoscit</i>	312	189	
<i>Alexandro mortis periculū prædictum</i>	313	<i>Amyntæ fuga &amp; interitus</i>	60.
<i>Alexander moriens annulū suū Perdicaæ tradit</i>	315	<i>Andromachus Syriæ præfectus, uinus à Samaritanis crematus</i>	83
		<i>Animum nonnunquam præ sagire mala</i>	31
		<i>Antigonus Alexandri prætor strenuè contra Persas pugnat, &amp; uincit</i>	61.
		<i>Antiphanes scriba quitum</i>	184
		<i>Antipater ab Alexandro euocatus</i>	312
		<i>Antip</i>	

I N D E X.

<i>Antipatri cum Olympiade simultas</i> 113	<i>Ariobarzanis pugna, &amp; in teritus</i> 126
<i>Antipater Alexandrū uene no interficere statuit</i> 313	<i>Arisbas in exilio cōsenuit</i> 11
<i>Antipater regnum Macedo doniæ &amp; Græciæ inua sit</i> 329	<i>Aristomenes superatur</i> 61
<i>Aornus petra</i> 254	<i>Aristander aruſſer Alexā dri</i> 76.209
<i>Apophthegma Alexandri</i> 2	<i>Aristonicus cum ſuis capi tur</i> 74
<i>Aqua paludis quæ ingreſſos ſcabie oppleuit</i> 296	<i>Aristonis fortitudo</i> 87
<i>Aqua ſolis</i> 80	<i>Aristoni fortis pro Alexā dro pugna</i> 282
<i>Aquila ſuper caput Alexan dri uifa</i> 107	<i>Aristoni oratio</i> 320
<i>Arabie fertilitas</i> 113	<i>Ariſtoteles Alexandri præ cepto</i> 13
<i>Arabis cuiuſdam Darij mi litis audax ſācinus</i> 76	<i>Aridæus in regiam perdu citur</i> 322
<i>Arachosij eorumque ſitus</i> 193.297	<i>Aridæus reuocatus ueſte re gia induitur</i> 321
<i>Aradus inſula Alexandro ſe dedit</i> 57	<i>Arfanes omnia igne ferroque uaſtat</i> 34
<i>Araxes fluiuius</i> 123	<i>Artabazus Darij ſingularis</i>
<i>Arbella 85. Alexandro tra ditur</i> 113	<i>Amicus</i> 135.143
<i>Ariaſſi cur Euergetæ dicti</i> 192	<i>Artabazus cum nouem filijs ſe comitantibus Alexan dro dedit</i> 157
<i>Arimazes quàm ſuperbè re ſponderit Alexandro</i> 219	<i>Artacacna oppidum</i> 163
<i>Arimazes &amp; nobiliſſimi gē tis ſuæ crucibus affixi</i> 222	<i>Arus oppidum</i> 157
	<i>Aruſpicum mos</i> 208
	<i>Aſtaſpes Carmeniæ ſatra pes</i> 299
	<i>Athenienſibus bellum illatiū</i>

- à Philippo 15  
 Athenienses uicti ibid.  
 Athenienses pacē petunt 18  
 Athenienses secundo pacem  
 petunt 23  
 Athenienses mandato regis  
 Alexandri resistere 307  
 Athenodorus Bactrianorum  
 princeps Biconis insidijs  
 interfectus 287. 288  
 Attalus grauis. Alexandri  
 inimicus 172  
 Attinas cū omnibus suis in-  
 terfectus 222  
 Auaritiæ nihil nefas 89  
 Auaritiam esse insatiabilem  
 246  
 Augurium Alexandro ex-  
 hibitum 76  
 Auij Sexthæ barbarorū iu-  
 stissimi Alexandro se de-  
 dunt 205  
**B**abylon à quo condita,  
 & quam magnifica  
 ciuitas 114. 115  
 Babyloniorū turpitude 116  
 Bactriani populus 75  
 Bactriana arx occupata  
 287  
 Bactrus amnis 198  
 Bagoas spado Nabarzani ue-  
 niam exorat apud Ale-  
 xandrum 159  
 Bagoæ spadonis scelus in  
 Orsinem 303  
 Bagistanes arcis Babylo-  
 nicæ custos quomodo Ale-  
 xandrum exceperit 114  
 Barzentes Arachosijs au-  
 tor deficiēdi, uinctus Ale-  
 xandro traditur 259  
 Barbaris hominibus in cor-  
 porum maiestate uenera-  
 tio est 160  
 Boz uia, & in ea nobilium  
 ferarum greges 223  
 Bezira urbs opulenta, op-  
 pugnatur 252  
 Belon mules quidam Philo-  
 te insultat 178  
 Belua inuistate magnitudi-  
 nis apparet 69  
 Beluæ magnas naues equā-  
 tes 301  
 Beneficiorum gratia sempi-  
 terna est 246  
 Bessi & Nabarzani consi-  
 lium de capiēdo Dario  
 136. 138  
 Bessi de bello consultatio in-  
 ter pocula 195  
 Bessus regni Persici affecta-  
 tor

tor	75	Calani mirum mortis genus	
Bessus sumpta ueste regia, se Artaxerxē nominari ius- sit	161	ibid.	
Bessus astu capt <sup>o</sup> ac uinctus Alexandro traditur	202	Calis insidiarum in Alexan- drum particeps	182
Betis à suis derelictus	37	Calisthenes in tormentis in- terijt	247
Bicon Athenodorum in con- uiuio necat	288	Camporum profundi maris species	199
Bicon quomodo tormentis enecandus euasit, & in patriam sit reuersus	288	Canes uenatici nobiles & admirandi	270
Boxus Athenodori interfe- ctor occiditur	288	Carthago à Tyrijs cōdita	63
Branchidarum urbs fundi- tus deuastata	203	Carthaginiensiu legati Ty- rum ueniunt	63
Broculus Mazæi filius ad Alexādrū transfugit	144	Caspium mare dulcius cæ- teris	156
Bucephalus ab Alexandro domitus	13	Castra Cyri	34
Bucephalus equus Alexan- dri captus	159	Catenes artis sagittandi pe- ritissimus	204
Byzantiij obsidio	14	Caucasus mons	194
Byzantiū qñ Cōstātinopolis dici cœperit	ibid.	Chari ducis fortitudo	256
<b>C</b> Aduceatores Alexādri à Tyrijs occisi	63	Chæronensis pugna	15
Cadusij Scythæ	105	Charidemī confidens respō- sum & consilium Dario, propter qd' iugulatus	30
Celenarum arx oppugna- tur ab Alexandro	10	Choerilus malus poëta	257
Calanus Indus philos.	305	Cualium bellorū inter Ale- xādri p̄cipes origo	327
		Cleander missus ad cōducē- dos Alexādro milites.	26
		Cleandri furor	300
		Cleo Siculus, adulator	237
		Cleomenes	

I N D E X.

<i>Cleomenes Africæ uectigalibus præficitur</i>	82	<i>Cyānus fluiuius</i>	35
<i>Clyti laus</i>	224	<i>Cyrus nobilissimus rex</i>	94
<i>Clyti non satis sobriij in Alexandrum conuicia</i>	225	<i>Cyrus primus Medorum &amp; Lydorum regna ad Persas transtulit</i>	104
<i>Clytus à rege iterfectus</i>	227	<i>Cyropolis obsidetur</i>	206
<i>Cobares ad Alexandrum transfugit</i>	197	<i>Cyri sepulchrum ab Alexandro apertum</i>	303
<i>Cœle Syria</i>	57	<b>D</b> <i>Acdala regio</i>	252
<i>Coenus dux</i>	257	<i>Dabæ opprimuntur</i>	223
<i>Cobortanus satrapa Alexandro se dedit</i>	235	<i>Damascus capta quātā prædā inuenerit Alexan.</i>	54
<i>Cōstātinopolis quā capta</i>	14	<i>Danubius omnium Europæ fluminū amplissimus</i>	20
<i>Copides cur gladij dicantur</i>	263	<i>Darius Arsani filius XIII.</i>	24
<i>Cophes Arthabazi filius</i>	219	<i>à Cyro</i>	24
<i>Corporum maiestas ueneratur Barbaris</i>	160	<i>Darij exercitus descriptio</i>	29.44.45
<i>Coruus præteruolans glebā ex unguibus in caput Alexandri dimittit</i>	76	<i>Dario Chaldeos uaticinatos fuisse, ipsius imperiū ad Macedōes trāsiturū</i>	31
<i>Corui bellicæ machinæ</i>	68	<i>Darius castra ad Euphratē mouet, &amp; quis fuerit agminis ordo</i>	32.33
<i>Crateri prudentia &amp; fortitudo</i>	127	<i>Darij castra cum cognatis eius occupata</i>	49
<i>Crateri cōtra Philotam odium &amp; oratio</i>	167.168	<i>Darius turpiter abiectis regni insignibus fugit</i>	50
<i>Crateri ad regē oratio</i>	284	<i>Darius interfectori Alexandri mille talenta promiserat</i>	50
<i>Critobolus medicus Alexandri</i>	283		
<i>Cydaris</i>	33		

I N D E X.

Serat	37	Dimichi	143
Darius Alexandrum timidi-		Diogenes Cynicus	23
tatis insimulat	42	Dioxippi monomachia cum	
Darius desperata pace bellū		Horrata	289
renouat	74	Dioxippus seipsum interfi-	
Darius bellum redintegrat		cit	290
88.134		Disciplina militaris mutata	
Darij fuga	108	ab Alexandro	118
Darius natura simplex &		Diuersoria in Media qualia	
mitis	139	190	
Darius Græcæ linguae peri-		Doriphori Darij	32
tus	139	Draconis herbam offerentis	
Darius Alexand. fidē implo-		species Alexandro in so-	
rat cōtra paricidas, à qui		mnis uisa	293
bus cōfossus relinquitur	144	Drangæ populi	164
Darij carpus matri missum		Ducis optimi officium	46
146		Dyardenes Indiæ flu.	248
Defectus Lunæ	87	Dymni in Alexandrum in-	
Delicata aqua	118	sidie	167
Democrates Atheniensis se		Dymni mors	167
gladio transfigit	138	<b>E</b> Briū scortum de exscin-	
Demophon uates	280	denda Persopoli fert	
Demosthenes defectionis au-		sententiam	132
tor auro corruptus	18	Ecbatana urbs, caput Me-	
Demosthenes in legatione		diæ	134
ad Alexandrū fuit, sed ad		Elephanti uulneribus fatiga-	
regem non peruenit	19	ti suos sternunt	265
Derices populi	29	Eneri populus	28
Desperatio magnam ad ho-		Epaminondas filio suo domi-	
nestæ moriendum incita-		præceptorem fouet	10
mentum	281	Ephesus occupata	25
		Epig	

I N D E X.

Epigoni Alexandri qui	305	<b>C</b> Abaza regio	233
Epimenes Alexandro insi-		<b>G</b> Gangabæ qui Persis di-	
dias molitur	241	cantur	55
Equus pauidum ad omnia		Gangarides populi	271
animal	264	Ganges fluvius Indiæ maxi-	
Erigui ducis fortitudo & pu-		mus	247.271
gna cū Satibarzane	198	Gaza qd Persis dicatur	34
Erigui mors	231	Gazæ obsidio & oppugna-	
Erimanthus fluvius	248	tio	75
Erythreum mare unde di-		Gedrosij populus	297
ctum	248.301	Gedrosia regio fertilis	298
Eryx dux interfectus	257	Germanorum animosum re-	
Euphrates à Dario pōtibus		sponsum	21
iunctus	40	Getarum fuga	20
Eurilochus insidias Alexan-		Gloria sæpius fortune, quā	
dro paratas regi aperit	241	uirtutis beneficium	252
Euclemonis oratio	128	Gordij Midæ patris uehicu-	
<b>F</b> Alcati currus emissi	104	lum	28
Fama infirmisimū ad-		Gordium ciuitas	27
uersus uiros fortes telum		Gordius nodus & eius disso-	
102		lutio	28
Farnabazj gesta	61	Græci captiui quàm misera-	
Fatum ineuicabile	76	biliter apud Persas tra-	
Fons bitumen fundens	114	ctati fuerint	127
Fortuna	134.299	Græciæ gloria dominatio-	
Fortuna qualis pingatur Scy-		nis ablata	15
this	213	Græcorum militum defectio	
Fortuna plerunq; naturam		ab Alexandro	287
corrumpit	31	Granicus annis	24
Fortunam rebus famam pre-		<b>H</b> Agis ac Cleo adulato-	
tiumq; constituere	299	res	237
		<u>Halicar</u>	

Halicarnasus solo equata 25	India regio qualis 236.248
Hammoniorum regio 80	Indus amnis 247
Hammonis Iouis templum	Indi Alexandro occurrunt
& oraculum 81	imperata facturi 250
Harpagones quid 63	Indi maritimi 297
Harpali luxuria, timiditas	Indorū regis magnificentia
& perfidia 306	in bello & pace 249
Harpalus interfectus 307	Indorum ingenia, mores &
Hecatompilos urbs 151	cultus 249
Hectoris Parmenionis filij	Indorū uarię gentes debel-
mors 83	late ab Alexandro 291
Hephæstionis mors 313	291.293
Hephæstioni mortuo tanquā	Indorum sophi 250
heroi sacrificatum ibid.	Iollas Antipatri filius Ale-
Hermolus nobilis puer uir-	xandro uenenum præ-
gis cesus Alexandro mo-	buit 314.319
latur exitium 240.243	Iouis Hammonis templi, si-
Histaspis uxor clemētissimē	mulachri, & uatis de-
tractata ab Alexand. 150	scriptio 80.86
Honestā mors uiris fortibus	Ira atq; superbia, mala inui-
expetenda 217	cta 53
Horratę Macedonis cum	<b>L</b> acedæmoniorū rex ani-
Dioxoppo duellum 289	mi inuicti 147
Horti pensiles in Babylonia	Laconum strages 148
116	Lagarus Agrianorum rex
Hydaspes fluiuis 277	Alexā. ualde familiaris 21
<b>I</b> beria quę, & unde dicta	Lanificium apud Persas con-
302	tumeliosum 120
Ignauā necessitas acuit 126	Legati ab Danubij accolis
Ignis æternus 97	atq; Germanis ad Alexā
Immortales apud Persas 32	drum ueniunt 20
Imperij Alexād. diuisio 328	Legati ex omnibus terrarū



<i>partibus ad Alexand. ue- niunt</i> 313	<i>plicia tracti</i> 311
<i>Leges à uictoribus præscri- buntur, à uictis non dari, sed accipi solent</i> 72	<i>Macedonici agminis ordo</i> 94.99
<i>Leonnatus corporis Alexã- dri custos 242. uulnera- tur</i> 282	<i>Macedonũ habitas in præ- lijs</i> 30
<i>Liber pater cur è Iouis se- mine natus fingatur</i> 251	<i>Macedonũ erga reges suos ingenita ueneratio</i> 39
<i>Libri arborum Indicarum teneri instar cere litera- rum notas accipiunt</i> 248	<i>Macedonũ sub Philippo mi- litantiũ quanta uilitas &amp; paupertas</i> 309
<i>Literas Tyrrij primi aut do- cuere aut didicere</i> 71	<i>Madates Vxiorum præfe- ctus</i> 120
<i>Lune eclipsium ratio</i> 87	<i>Mæotis palus</i> 156
<i>Lustratio exercitus cũ Ma- cedonibus facta</i> 326	<i>Magia ars sit, an ludibrium</i> 175
<i>Lycus fluuius</i> 27	<i>Mallij cũ Oxydracis prop- ter Alexandri aduentum sociantur</i> 279
<i>Lyncestes Alexander sisti- tur iudicio, &amp; occiditur</i> 183.184	<i>Malliorum ad Alexandrum legatio</i> 291
<i>Lysimachus leoni obiectus, unde orta sit ea fabula</i> 223	<i>Maracandorum urbis ma- gnitudo</i> 205
<b>M</b> <i>acedones gloria ubi- que noti</i> 101	<i>Mardorum gens bellicosi- sima</i> 94.132.158
<i>Macedones regi obstrepunt</i> 270.279	<i>Mardorum deditio</i> 159
<i>Macedones missiõnẽ ab Ale- xandro petunt</i> 119	<i>Marcotis palus</i> 79
<i>Macedones à Persis ad sup- plicia tracti</i> 311	<i>Maris æstus &amp; reciproca- tio</i> 295.296
	<i>Marsia amnis qui &amp; Ly- cus</i> 26
	<i>Matrimonij apud Macedo- nes</i>

nes initi pignus	236	Mulier attonitæ similis Alex-	
Mazæces Amyntâ cum suo		xandri perniciem remo-	
exercitu uniuerso cædit	60	rata	241
Mazæi fuga	94.109	Mullinus scriba equitû Ale-	
Mazæus se cum urbe Baby-		xandri	254
lonia Alexandro dedit	114	<b>N</b> abarzanis sceleratum	
Media	113.133	consiliû de capiendo	
Meleagri dictum in Alexan-		rege suo	136.138
drum	259	Nabarzanis ad Alexandrû	
Meleager regi consuluit ut		literæ	155
Perdiccâ interficiat	323	Nabarzanes in Indiam pro-	
Meleager occiditur	327	fugit	164
Melon Darij interpres ca-		Nasamones populi	80
ptus	143	Naturæ humanæ prauitas	
Memaceni pertinaces rebel-			196
lant Alexandro	206	Naura regio, ubi parêtes flu-	
Memnon cõstituitur prætor		pro cû liberis coeût	229
Arachosiorum	193	Necessitas in aduersis effica-	
Memphis	78	cior quàm ratio	234
Menedemus insidijs Daba-		Nearchi oratio	319
rum circumuentus	210	Nicanor Parmenionis filius	
Menedemi clades quâtû per-		mortuus	162
turbauit Alexandrû	211	Nicanor alius nobilis auda-	
Meros mons	251	cia Macedo	260
Mesopotamia	113	Niues quâ altæ & difficiles	
Miletus expugnata	25	apud Parapamisadas	193
Milites ad Alexandrum mo-		Noctis umbra clarior apud	
ribundum intromissi	314	Bactrianos quàm lux	198
Moeris Pataliæ rex	293	<b>O</b> bssequio mitigantur im-	
Mos principum Macedo-		peria	245
num	245	Ochus fluuius	218
		<b>B</b>	Olymp

Olympiadis cum Antipatro simultas	313	Parmenionis consilium salu- bre	40
Olynthus expugnata	12	Parmenion occiditur, eiusq; caput ad regem perfer- tur	191
Omphis Indorū rex se suaq; Alexandro cōmittit.	257	Parmenionis laudes	ibid.
Omphis regiū insigne sumit	258	Parapanisus mons	198
Oraculū Philippo de regni successore datum	13	Parthieni gens	150
Orsinis nobilitas & præfe- ctura	94	Pasagardarum gens, & rex Orsines	302
Orsines, quanquā innocēs, occiditur	302.303	Pasitigris fluij ortus & fluxus	120
Oxatres Darij frater in co- hortem Alexandri amico- rum receptus	150	Pathalia gens	293
Oxidates liberatus constitu- itur satrapa	150	Papientie exemplum	310
Oxus fluuius	200.218	Patria est uiro forti ubi se- dem elegerit	79
Oxydracarū oppidi expu- gnatio	280.281	Pauones agrestes	268
<b>P</b> alma arbor	301	Pausanias Philippū obtrun- cat, & qua de causa	16
Panicus terror inuadit Alexandri exercitum	95	Pellices Darij CCCLX.	33
Paphlagonia Alexandro pa- ret	28	Perdiccas insidijs perijt	10
Parapanisade, eorumq; re- gio	193	Perdiccæ cōsiliium de inter- ficiendo Meleagro	326
Pardalis	114	Perdicca copijs Alexandri relictis præfectus	328
Parmenionis literæ in con- uisione lectæ	171	Perennis fons	163
		Perfidiam nullis meritis mi- tigari	201
		Persarum ad Grancium cæ- sorum numerus	25
		Persarū alia strages igēs	111
		Persar	

<i>Persarum mira fides in ar-</i>	<i>sus</i>	10
<i>canis regum celandis</i>	<i>Philippus regnum Macedo-</i>	
75	<i>niæ apprehendit</i>	10
<i>Persagada oppidum</i>	<i>Philippi primum bellū cum</i>	
131	<i>Atheniensibus</i>	10
<i>Persepolis regni Persici ca-</i>	<i>Philippus Thessalorū equi-</i>	
<i>put</i>	<i>tum robur sibi adiungit</i>	12
73	<i>Philippus Olympiadē ux-</i>	
<i>Persepolis incensa ab Ale-</i>	<i>rem ducit</i>	<i>ibid.</i>
<i>xā. instinctu Thaidis</i>	<i>Philippi post nuptias som-</i>	
133	<i>nium</i>	<i>ibid.</i>
<i>Persia's regionis descriptio</i>	<i>Philippus dextrum oculum</i>	
123	<i>amittit</i>	<i>ibid.</i>
<i>Persidis regiæ excidium &amp;</i>	<i>Philippus Pagas capit</i>	<i>ibid.</i>
<i>deprædatio</i>	<i>Philippus omnium libertati</i>	
130	<i>insidiatus</i>	11
<i>Persis in sella regis consed-</i>	<i>Philippus à Thebanis dux</i>	
<i>se capitale est</i>	<i>electus</i>	12
235	<i>Philippus discordes i Thra-</i>	
<i>Petræ descriptio &amp; occupa-</i>	<i>cia fratres regno spoliatur</i>	12
<i>tio</i>	<i>Philippus toti Græciæ bel-</i>	
218. 219	<i>lum inferre statuit</i>	14
<i>Peucestes Aegypto præfici-</i>	<i>Philippus piraticam aggre-</i>	
<i>tur</i>	<i>ditur &amp; Atheniensib. Scy-</i>	
82	<i>thisq; bellum infert</i>	14. 15
<i>Peucestes Alexandro suc-</i>	<i>Philippus Atalo pepercit,</i>	
<i>currit</i>	<i>sed satis infelicitè: &amp; cur</i>	
282	<i>ei pepercerit</i>	16
<i>Phalanx Macedonibus quid</i>	<i>Philippus studiorum huma-</i>	
30	<i>niorum cultor</i>	17
<i>Pharrasij populi</i>	<i>Philippus quàm diu uixerit</i>	
271		
<i>Phegelas rex Alexandro cū</i>		
<i>donis occurrit</i>		
271		
<i>Philippus Amyntæ filius</i>		
9		
<i>Philippus regnum Macedo-</i>		
<i>niæ ad summam potentiã</i>		
<i>cucxit</i>		10
<i>Philippus Alexãdri Magni</i>		
<i>pater</i>		11
<i>Philippus è custodia elap-</i>		

I N D E X.

<i>&amp; regnauerit</i>	<i>ibid.</i>	<i>libus</i>	115
<i>Philippus medicus Alexan.</i>		<i>Porus Rex Indorū &amp; eius</i>	
<i>parricidij insimulatus se</i>		<i>cū Alexandro bellū</i>	259
<i>excusat</i>	37	<i>Pori fuga &amp; ex Elephanto</i>	
<i>Philippus Lysimachi frater</i>		<i>lapsus</i>	265.266
<i>rare indolis adolescens</i>		<i>Pori magnanimitas</i>	266
<i>extinguitur</i>	231	<i>Porus superatus ampliore</i>	
<i>Philippus Antipatri filius</i>		<i>donatur regno quàm an-</i>	
<i>cum fratre suo Alexan-</i>		<i>tea tenuerat</i>	266
<i>drum ueneno occidit</i>	314	<i>Porus &amp; Taxiles in suis re-</i>	
<i>Philotas ab Alexandro affe-</i>		<i>gnis relictī</i>	277
<i>ctati regni accersitus</i>	167	<i>Potonice, scortum Athenien-</i>	
<i>Philotas producitur uinctus,</i>		<i>se nobile</i>	305
<i>&amp; quàm seuerè fuerit tra-</i>		<i>Principum Macedonū mos</i>	
<i>ctatus usq; ad mortē</i>	168.		240
	169.170.usq; 184	<i>Probitas plerisq; pauperta-</i>	
<i>Phrataphernis deditio</i>	157	<i>tis causa</i>	59
<i>Pisides deuicti</i>	26	<i>Prometheus uinctus in Cau-</i>	
<i>Plato Atheniensis, dux exer-</i>		<i>casti montis rupe</i>	195
<i>citus Alexand.</i>	134	<i>Ptolemæus Rex plurimas</i>	
<i>Pæones capti</i>	10	<i>urbes, Alexander maxi-</i>	
<i>Polemon Amyntæ frater su-</i>		<i>mas, cepit</i>	252
<i>giens reducitur &amp; absol-</i>		<i>Ptolemæus Alexandri cog-</i>	
<i>uitur</i>	188.189	<i>natus uulneratur</i>	292
<i>Polydamas ad interficiendū</i>		<i>Pugna ad Graniciū ann.</i>	24
<i>Parmenionem missus</i>	189.	<i>Pylæ Ciliciæ</i>	34
	190	<i>Pyramus fluiuius</i>	35
<i>Pomœriorum designando-</i>		<b>R</b> <i>Eges plures à suis, q̄ ab</i>	
<i>rum ritus</i>	82	<i>hostibus iterfectos</i>	287
<i>Pons lapideus Euphratis, u-</i>		<i>Regnum insociabile</i>	325
<i>num ex Orientis mirabi-</i>		<i>Regum &amp; reginarum In-</i>	
		<i>dic</i>	

<i>die quanta luxuria</i>	249	<i>Scythæ Anij, quales</i>	205
<i>Regina Indiæ Alexandro</i>		<i>Scytharū gens &amp; sedes</i>	130.
<i>occurrit</i>	254	207. Earū solitudines	213.
<i>Res secūdas commutare na-</i>		<i>funduntur &amp; fugātur</i>	215
<i>turam</i>	304	<i>Scythia à Philippo expu-</i>	
<i>Rhidagus fluvius</i>	155	<i>gnata &amp; deprædata</i>	14
<i>Rhinocerotes ubi proue-</i>		<i>Semiramis</i>	287
<i>niant</i>	267	<i>Seuthes Odrysa ab Alexan-</i>	
<i>Romana mansuetudo</i>	72	<i>dro deficit</i>	304
<i>Romani</i>	240	<i>Sidon urbs celebris</i>	58
<i>Romanum imperium</i>	326	<i>Simultas inter Olympiadem</i>	
<i>Romanus populus</i>	326	<i>&amp; Antipatrum</i>	313
<i>Roxane Cohortani filia ab</i>		<i>Sisenes quanquam innoxius</i>	
<i>Alexandro uxor ducta</i>		<i>occiditur</i>	41
235. & seq.		<i>Siti plures Alexādro milites</i>	
<i>Roxane ex Alexandro gra-</i>		<i>perijſſe q̄ ullo prælio</i>	201
<i>nida</i>	319	<i>Sobij populus quis, &amp; qui</i>	
<i>S Abracæ Indiæ gens</i>	290	<i>corum mores</i>	277
<i>Sabracarum deditio</i>	291	<i>Sogdiana regio qualis</i>	217
<i>Sacæ</i>	153. 235	<i>Sogdianorū defectio ab Ale-</i>	
<i>Sanguinis riuī in igne, &amp;</i>		<i>xādro 205. ad supplicium</i>	
<i>eius guttas in pane appa-</i>		<i>perducti carnē hilare ca-</i>	
<i>ruiſſe</i>	63	<i>nunt, ac tripudiant</i>	217
<i>Sariſophori</i>	106	<i>Sophitis regnum &amp; opulen-</i>	
<i>Satibarzanis defectio &amp; fu-</i>		<i>tia, moresq; eius gentis</i>	
<i>ga. 164. Eius duellum cum</i>		<i>laudatiſſimi</i>	269
<i>Erigyio</i>	198	<i>Spitamenes ab uxore in ſo-</i>	
<i>Saturni immane ſacrum</i>	68	<i>mnis obtruncatur</i>	232
<i>Satyram Darij filiā Alexan-</i>		<i>Statua Cyri</i>	34
<i>der in uxore ducit</i>	305	<i>Sunium, Atticæ promonto-</i>	
<i>Scelerati, irrequieti ſunt</i>	175	<i>rium</i>	307

<i>Superstitione efficacissimè</i>	<i>Taxili regnum suum ab Ale</i>
<i>multitudinem regi</i> 88	<i>xandro redditum</i> 277
<i>Susa Alexandro tradita</i> 118	<i>Taxilis literæ Alexandro</i>
<i>Susides pylæ, quàm difficul-</i>	<i>redditæ</i> 302
<i>ter expugnatae</i> 122	<i>Taxilis frater proditor à</i>
<i>Susij</i> 94	<i>Poro transfixus</i> 265
<i>Susitanorum deserta Alexā-</i>	<i>Tēpestas maris descripta</i> 66
<i>der intrat</i> 199	<i>Tenedos capitur</i> 73
<i>Symmachus nobilis audacia</i>	<i>Thais scortum temulentum</i>
<i>Macedo</i> 260	<i>Alexandro Persepolis in-</i>
<i>Symni Aethiopes</i> 80	<i>cendendæ autor</i> 132
<i>Syrmus Triballorū Rex in</i>	<i>Theati Athen. oratio</i> 129
<i>Insulam Peucam fugit</i> 20	<i>Thebanarum defectio</i> 21
<i>Sysigambis prudentia</i> 105	<i>Thebæ clarissima Bœotie ci-</i>
<i>Sysigambis plus quàm petie-</i>	<i>uitas funditus eversa</i> 22
<i>rat impetrauit ab Alexā-</i>	<i>Thessalus Medius conuiuū</i>
<i>dro. 122. Eius L X X X. fra-</i>	<i>Alexandro occidendo in-</i>
<i>tres uno die ab Occho in-</i>	<i>situit</i> 314
<i>terfecti. 317. præ dolore ob</i>	<i>Thraces nullius legibus nec</i>
<i>Alexandri mortem, mo-</i>	<i>imperio obnoxij</i> 19
<i>ritur,</i> <i>ibid.</i>	<i>Thymodes Mentoris filius</i>
<i>Sysimithres in fidem acce-</i>	31.41
<i>ptus ab Alexandro</i> 230	<i>Tigris uolentissimus orien-</i>
<b>T</b> <i>Abas oppidum</i> 143	<i>tu fluius</i> 86
<b>T</b> <i>alestris Amazonū re-</i>	<i>Timocleæ cōstantia &amp; in-</i>
<i>gina cū Alexādro liberos</i>	<i>signe facinus</i> 22
<i>coiccare cupit</i> 159.160	<i>Triballi ab Alexandro sub-</i>
<i>Tanaim Alexāder cum ex-</i>	<i>acti</i> 286
<i>ercitu trajat</i> 213	<i>Triballi Philippo negotium</i>
<i>Tarson Alexander intrat</i> 35	<i>faceffunt</i> 11.15
<i>Taurus mons</i> 194	<i>Triumphus quem Arrianus</i>
	<i>Dionysium</i>

I N D E X.

Dionysium appellatū scribit	299	xandri immixtum	314
Troglodytæ eorumq; regio	80	Veneri Macedonici uis	329
Tubæ uis in bello	186	Veneti unde oriundi	28
Tyridates custos pecuniæ		Verbena in auguris manu præferbantur dum litaret	98
Darij prodit eam Alexandro	127	Veritas Charidemo capitale supplicium peperit	30
Tyrij legatos Alexandri occidunt	63	Victores leges dicunt, uicti accipiunt	72
Tyrij quales se gesserint in obsidione	64.65.66.67	Vini largus usus Indis	250
Tyrij Caribaginis conditores	63	Virtus nominis immortalitatem parit	13
Tyrij deuastant Alexandri molem	64	Viuere in seruitute, tristius morte	244
Tyrij literas aut inuenere, aut primi didicere	71	Vtilitas muliebri gratiæ præposita	188
Tyrionum captiuitas et strages	70.71	Vxiorum regionis descriptio	110
Tyrus urbs clarissima & uetustissima	61.71	Vxij ad Syzigambim pro uenia apud Alexandrum impetranda mittunt	121
Tyrus septimo mense capta	71	Vxor Darij mortua	89
Tyrus ab Agenore condita	71	Xenippa, regio	228
V Aticinas mulier	241	Zoberis fluius	154
V Venenum potioni Alexandri		Zopyrio Thraciæ præfectus cum uniuerso suo exercitu oppressus	304



f

ate quinto ~~uy~~ este

